

ANTICHRISTI Demonstratio, CONTRA FABVLAS Pontificias, & ineptam ROBERTI BELLARMINI de Antichristo *disputationem.*

¶ Authore ROBERTO ABBATTO, Oxoniensi, olim è Collegio *Baliolensi*, sacræ Theologiæ professore.

HILAR. *cont. Arian. & Auxentium.*
Quisquis Christum qualis ab Apostolis prædicatus est negat, Antichristus est.



LONDINI
Excudebat *Robertus Barkerus*, Illustrissimæ Regiæ Maiestatis *Typographus.*
ANNO DO[illegible] 603.



INCLYTISSIMO ET SVMMA VIRTVTE Principi IACOBO, Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Regi potentissimo, fidei defensori, &c.

(*,*)



Nter suffragia nobilitatis & *acclamationes plebis, & Ordinum omnium de Patre patriæ suscepto gratulationes, liceat nobis quoque ranunculis, inclytissime Rex, è studiorũ officinis tanquam è speсubus & cauernulis obsequia nostra contestari, & imperio vestro diuinitùs (quod quis in tanto omnium tam repentino consensu non viderit?) constituto, fælicitates omnes & salutes & securitates,* Vitam prolixam, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, orbem quietum, & quæcunque hominum sunt & Cæsarum vota *& optata, comprecari. Atq; inter illas apparatuum magnificentias & splendores, & variorum officiorum strepitus & pulueres, quibus vndique omnes tanquam de cælo delapsum principem certatim excipiunt, locum aliquem concedere dignare blandioribus Musarum alloquijs, vt qui à tumultu forensi alieni latemus in angulis, quòd aliter non possumus, stylo saltem & literario* Tertull. Apolog. cap 30.

 munere

munere publicis istis tripudijs & triumphis symbolum nostrum apponere audeamus.

Et quis est omnium tam ingratus, tam ab homine remotus, qui maximo cum gaudio non recogitet, non ab intimis præcordijs agnoscat, quàm singulari beneficio te Deus huic Reip. nostræ principem donarit, gente nostra oriundum, indole ad imperij dignitatem expolita, literarum studijs ad eximiam prudentiæ facultatem instructissimum, mansuetudine amabilem, iustitiæ studio & conscientia laudatissimum, summisq; regalium virtutum dotibus & ornamentis maximè conspicuum? quem Deus ab ortu ipso, & ante ortum, tanquam maximo reip. Christianæ compendio nasciturum, è maximis periculis ereptum mirabilitèr conseruauit: quem vnius hactenus gentis consultissima gubernatione ad tanti iam imperij molem sustinendam præformauit: quem pro ea qua es pietate ac fide, vniuersi nobis veræ religionis & Ecclesiæ quæ nos Christo deuotos gremio suo per tot iam annos tam placidè confouit, nutritium & parentem promittere possimus? Quæ in morte serenissimæ principis Elizabethæ, *beatissimæ in æternum memoriæ, vulnere accepto grauissimo, quod progenies illa viperarum, factio Hispanica & Pontificia, iam olim lethale futurum præominata est, audito nomine* Iacobi *regis ita repentè conualuit, vt vix sensisse malum suum, certè momento diram plagam firmiori & certiori valetudine commutasse videretur. Et certè quantus antè pauor, quæ trepidatio in omnium penè cordibus inueterauerat? quæ voces auditæ?* Haud mihi post *Elizabetham* principem viuere contingat: qui motus, quæ seditiones, quanta confusio, de iure regni quanta contentio secutura est? *Quanquam enim exploratissimum erat iure gentium, & more patrio, quid hac in causa statuere par esset; tamen silentium illud de regni successione lege decretum dubitatum est quò spectaret, & tan-*

quam

quam ex equo Troiano grauiſsimam calamitatem genti noſtræ portendere iamdiu & parturire viſum eſt. Poſtquam verò auribus noſtris Celſitudinis veſtræ nomen inſonuit, illa omnis caligo quàm repentè diſsipata eſt? quàm lætamur omnes? quàm cupidè arripimus? quàm gratulamur nos tantæ fælicitati ſuperſtites? quanta animorum quies & tranquilla pax, quòd non alterius in poteſtatem committimur, quàm cuius obſequio conſcij ſumus nos legibus omnibus diuinis & humanis obligari? quàm religioſè prouoluimur in genua, & gratias immortales diuinæ miſericordiæ debitas ab imo pectore prædicamus? Denique rei noſtræ ſeruit optimè, te rege in Elizabethæ *locum ſuccedente, quod olim de obitu* Henrici *ſecundi* Mathæus Pariſienſis *vſurpatum commeminit:*

Mira canam, ſol occubuit, nox nulla ſecuta eſt.

Quare animis ex repentina illa conſternatione redintegratis, iterum accingimur operi noſtro, vt Spartam nobis à Deo donatam excolamus: iterum in bellum egredimur, & freti tanti ducis auſpicijs denuò machinas admouemus, vt Pontificiarum arcium celſitudines demoliamur, & Antichriſtianæ perfidiæ muros & propugnacula, quibus ille magnam adhuc Eccleſiæ partem captiuam includit, fortitèr & animoſè deſtruamus.

Et eò quidem fortiùs includit, quo ſpecioſiùs impietates ſuas & idololatrias ſimulato prætextu pietatis & fidei conueſtit & tegit. Nam quod hæreticis omnibus & impoſtoribus conſuetum eſt, ad venenorum pyxides pharmacorum titulos adſcribere, Chriſtumque atque Eccleſiam Stentoreo gutture vociferari, nec aliud tamen agere quàm quod Chriſto & Eccleſiæ aduerſum & infeſtum ſit; hoc Eccleſiæ Romanæ familiare cumprimis eſt, quæ mentitis coloribus fefeilit per tot ſecula, & fallit adhuc orbem terrarum: cuius ambroſia nonniſi abſynthium eſt, & nectar venenum; quæ religionem vocabulo prætendit, re deſtruit; quæ pacem promittit, & cum Deo pacis bellum ex

ercet: quæ dum cælum spectare iubet, in Syrtes & Symplegadas inducit, & conscientiæ naufragio præcipites in infernum impellit: quæ quò crassiùs & tetriùs per apostasiam degenerauit, eò impensiùs & laboriosiùs à parasitis suis ornatur & pingitur, vt purpurissis & cerussis incrustata sponsæ pulchritudinem referre videatur, quæ insana stuprorum licentia & fæditate, squalida iam & effæta meretrix, & planè putrida facta est.

Qua in re gratificatur illi maximè Iesuitarum improbus labor & diligentia, quibus nihil est intentatum quo ruentem iniquitatis suæ mole Babylonem fulcire quouismodo se posse confidant. Qui vt rem suam quoquo modo promoueant, non contenti religionis officia tractare, in negotia etiam politica petulantèr se immittunt, rerump. status appendunt, de principum causis decernunt, regnorum hæreditates interuertunt, proditiones & bella meditantur, nihil suspicantibus venena submittunt, vt per illos nec regibus nec hominibus esse liceat, qui nefariis illorum consiliis impedimento sunt. Neque verò obscurum est quibus illi artibus præoccupare apud nos popularium suorum animos, & ab Anglorum stirpe regia, & iure hæreditario Maiestatis vestræ, stulto prætextu, quali non ita pridem Guisium ducem Galliæ regnum applaudentibus illis affectasse meminimus, in alienigenarum admirationem traducere conati sunt. Qui postquam intelligunt consilia sua quàm in irritum ciciderint, rodunt, opinor, præ insania linguas suas, atque vtinam in æternum rodant, fruente interim Iacobo principe sibi ac suis Angliæ regno, & cælum sibi in terris ædificante, dum illi scelere & perfidia viam sibi muniunt in infernum. Nec meliore quidem successu reliquam operam impendunt qua explosas hæreses & damnatos superstitionum ritus asserere conantur, vtque illis fidem & authoritatem attribuant, miris subtilitatum & sophismatum præstigiis ludunt, &

dedecus

dedecus suum, *vt ille loquitur*, ingenio obumbrant. Tertul.cont. Maxion. lib. 1.
Cæterum agendo quàm nihil agant, & ambitioso magnorum voluminum apparatu nonnisi lituras scribant, disputatione ista de Antichristo liquidò constare poterit, quia si causam hanc obtinuerimus, Esse Romanum Pontificem Antichristum, de *reliqua controuersia dubitandi non erit relictus locus, quia de Antichristi doctrina, quin perniciosa sit & impia, dubitari non potest. Hanc verò causam stare à nobis, & miserrimas esse collectiunculas illas quibus* Bellarminus *præ cæteris maculam Antichristiani nominis à Pōtifice Romano depellere conatur, abundè, opinor, hoc opere nostro demonstratum est.*

Quod quale quale est, auspicijs Regni vestri sacrum esto, sanctissime princeps; haud ita dignum fortasse quod in lucem prodeat, sed ita dignum, si patrocinio tantæ Maiestatis non videbitur indignum. Ac cum tibi omnes omnia debemus; tum hoc inprimis, quicquid est officij, Serenitati vestræ præstandum monuit Ioannis de Baliolo *nobilissimi quondam Scotorum regis, cuius ad te meritorum insignia cum regni successione quodam iure descendunt, gratissima memoria; cuius scilicet impendijs bonarum literarum studijs innutritus sum, alumnus iampridem Collegij illius quod ille Oxoniæ honorificum, & planè regium suæ in gentem nostram beneuolentiæ testimonium, reliquit. Cuius gymnasij vestri, & quidem præ cæteris vestri, memoriam aliquantulam & pios aspectus, vtinam dignus sim, terræ vermiculus, qui augustissimæ Maiestati vestræ commendare non dubitem, vt societas illa literarum subsidijs amplificata, magis magisque seruiat emittendis operarijs in messem dominicam, qui huic negotio quod agimus strenuè incumbant, & Christo contra Antichristum pugnanti suppetias ferant. Interim etsi tibi hac in causa, Rex inclytissime, monitore non sit opus, cui, suprà ferè quàm principem credere est, in rebus diuinis exercitato tota [illegible] ista satis perspecta*

specta est; dignare tamen vt libellus iste fretus Regio fauore fidentius in publicum se offerat, & oblatrante sophistarum impudentia confirmet scire volentibus Romanum Pontificem esse verissimè Antichristum, signiferum illius apostasiæ quæ faciem visibilis Ecclesiæ sordidare debuit, & gentes omnes in vnam perfidiæ coniurationem complicare.

Te verò vnum illud adhortamur, & flexis genibus obsecramus (& tamen quorsum currenti calcar addimus?) vt quod cœpisti facere magis magisq; facias, vt Ecclesiæ Romanæ pestes & contagia depellas, & aduersùs tricipitem illum Cerberum, inferni ianitorem, prælia domini depugnes, idq; operam des quod à regibus terræ se Deus expectare denunciat post- Apoc.17.16. *quam Babylonicæ meretricis iugum excusserint:* Odio habebunt illam & desolatam facient, & nudam, & carnes eius comedent, & ipsam igne concremabunt. *In quam rem qui te hactenus intelligimus cura omni & cogitatione tam vehementèr incubuisse, dubitare non possumus quin futurum sit vt primis postrema respondeant, & ijsdem perpetuò vestigijs insistens, ad Christi honorem diligentèr aduigiles & exterminium Antichristi, manumq; apponas medicam sanandis languoribus illis, quibus Ecclesia nostra de tanta illa superiorum temporum ægrotatione nondum perfectè conualescens, laborat adhuc aliquantulum & claudicat, & addi sibi ligaturas & firmitatem plurimùm desiderat. Atque eò te extimulat tanta ista diuinæ bonitatis accessio, quæ quò sublimiorem te constituit, & Maiestate ac potentia cum summis principibus coæquauit, eò magis expectat vt magnitudinem hanc atque amplitudinem ad gloriam nominis sui promouendam, veramq; illius religionem excolendam adbibeas, & constantèr promittit affuturam tibi seruienti Iesu Christo manum Iehouæ, ad conterendos hostes omnes exteros & domesticos, illosq; cornu ferreo comminuendos, qui dixerunt in cordibus suis,*

suis, Lapidetur & aspiciat in Sion oculus noster, & *perturbatos amnes nostros quæstui sibi hoc tempore futuras sperarunt*. Mich.4.11.

Benedictus Deus in secula & in æternum qui spes eorum ridiculas fecit, & nos è leonum & luporum faucibus eripuit, nec exposuit nos prędę dentibus eorum. *Atque idem te Deus, Rex illustrissime, perpetuò conseruet, & à clancularijs insidijs & Pontificiorum gente improba defendat, quorum clandestina consilia publicos sanguines scribunt; qui re*bus sic stantibus *malè secum agi putant in beneuoli & amici habeantur, distractis & collapsis, quod iam spero desperant, capitalitèr hostes sunt: qui cecidisse sentientes expectationem suam, dimidiata nunc verba subsibilant, nec audent eloqui cogitationes suas quibus extentas iam buccas se daturos somniarunt. Disperde Deus cogitatus eorum & consilia, quod hactenus fecisti: fatiscant & computrescant in foraminibus oculi eorum dum Ecclesiæ tuæ calamitatem expectant: corrobora verò quod operatus es in nobis, & quem dedisti nobis principem suscipe & sustine dextera tua, vt virtutem tuam sibi adesse persentiens procedat quò illum vocas in fortitudine Iehouæ, gladio femur accinctus quo propensos & beneuolos tueatur & protegat, refractarios & rebelles cōprimat & contrucidet, vt Maiestate atq; opibus, & subditorum obsequio & beneuolentia confirmatus, vniuersam hanc remp. summa cum fœlicitate & pietate quamdiutissimè administret, quousq; fortunis & annis satiatus astra conscendat ibi cum Christo regnaturus in æternum.* Amen. Psal.124.6.

Maiestati vestrę addictissimus
& obsequentissimus,

Rob. Abbattus.

A ¶ Carmen



¶ Carmen de obitu serenissimæ principis *Elizabethæ* & fœlicissima substitutione *Iacobi* regis.

Prosopopœia lugentis Angliæ, & Serenissimam Principem ELIZABETHAM *morituram compellantis.*

HEu: moreris? moreris? quid de me fiet *Eliza*?
Cuius in exitium iam circumfusa Leonum
Turba instat, veterésq; iras, & fœdera spreta
Vlcisci parat Hispanus, coniunctáq; voto
Sacrilego Papistarum gens improba tandem
Conceptas diro iaculatur pectore flammas?
Heu moreris? regnumq; tuum sine rege relinquis?
Disiectumq; gregem nullo pastore luporum
Dentibus exponis, matres vt funera natos
Optent esse suos, & se; trepidæq; perosa
Luce sibi tenebras quęrãt, postquam omnia cernunt
Sanguinibus conspersa meis iuuenumq; senumq;
Et sua crudeles sæuire in viscera fratres.
Heu: moreris? quid iam? quid de me fiet *Eliza*?

Serenissimæ Principis ELIZABETHÆ *responsio ad suam Angliam.*

QVid trepidas, gens chara Deo? quid luctibus istis
Est opus? & quare morituram in pace moraris?

Post

Post septem annorum decades, iustissima vitæ
Tempora, quando vltrà labor est vita ipsa dolórq;,
Tu me maturam cælo constringier vltrà
Terrenis vinclis regniq; laboribus optas?
Quin mitte vt terram pertæsa satisq; potita
Nomine Reginæ, cælestia regna capessam.
At tu quid mentem vanis terroribus imples?
Quidue lupos narras, tumidosq; furore leones?
Haud frustrà expansas toties ad sydera nostras
Crede manus: fusasq; preces in Numinis aures.
Nec regnum sine Rege putes, quem stemmate sacro
Anglorum, & nostro tam clarum sanguine mostrat
Vna maris clausura, & gens contermina fundo,
Lingua eadem, quā nunc regnum concurrere in vnū
Quā pulchrū est? quātúmq; addit tibi pōdus honoris?
Illum ergò venerare Deo miserante creatum
(En gerit impressum rubicunda pelle leonem)
Nobilitate, armis, doctrina, Relligione,
Consilio insignem, regísq; hoc nomine dignum.
Qui tantam imperij molem, nunc impare nostra
Ætate hac, animo forti validísq; lacertis
Sustentare queat, placidéq; hos ferre labores.
Ille leonum vngues franget, dentésq; luporum
Vipereúmq; genus, reptantésq; orbibus angues
Opprimet, & pacem genti firmabit opimam.
Ac veluti magno in populo cum concita feruet
Seditio, & passim vulgus parat arma, furensq;
Discursat, volitantq; enses in vulnera crebri,
Et sibi quisq; [illegible] iam discrimina per[illegible]
Conspicuum bonitate virum [illegible]
Obtulerit, mox accurrunt, [illegible]
Et verba illius [illegible]



¶ Carmen de obitu serenissimæ principis *Elizabethæ* & fœlicissima substitutione *Iacobi* regis.

Prosopopœia lugentis [illegible] *mam Principem* [illegible] *morituram compella*[illegible]

HEu: moreris? morer[illegible]
Cuius in exitium iar[illegible]
Turba instat, veteré[illegible]
Vlcisci parat Hispanus, coniu[illegible]
Sacrilego Papistarum gens in[illegible]
Conceptas diro iaculatur pec[illegible]
Heu moreris? regnumq; tuum sine rege relinquis?
Disiectumq; gregem nullo pastore luporum
Dentibus exponis, matres vt funera natos
Optent esse suos, & se; trepidæq; perosa
Luce sibi tenebras quærãt, postquam omnia cernunt
Sanguinibus conspersa meis iuuenumq; senumq;
Et sua crudeles sæuire in viscera fratres.
Heu: moreris? quid iam? quid de me fiet *Eliza*?

Serenissimæ Principis ELIZABETHÆ *responsio ad suam Angliam.*

QVid trepidas, gens chara Deo? quid luctibus istis
Est opus? & quare morituram in pace moraris?

Post

RENOV PAGE


Post septem annorum decades, iustissima vitæ
Tempora, quando vltrà labor est vita ipsa dolórq;,
Tu me maturam cælo constringier vltrà
Terrenis vinclis regniq; laboribus optas?
Quin mitte vt terram pertæsa satisq; potita
Nomine Reginæ, cælestia regna capessam.
[illegible] is terroribus imples?
[illegible] midosq; furore leones?
[illegible] oties ad sydera nostras
[illegible] reces in Numinis aures.
[illegible] putes, quem stemmate sacro
[illegible] m clarum sanguine mõstrat
[illegible] gens contermina fundo,
[illegible] c regnum concurrere in vnũ
[illegible] q; addit tibi põdus honoris?
[illegible] o miserante creatum
[illegible] bicunda pelle leonem)
Nobilitate, armis, doctrina, Relligione,
Consilio insignem, regísq; hoc nomine dignum.
Qui tantam imperij molem, nunc impare nostra
Ætate hac, animo forti validísq; lacertis
Sustentare queat, placidéq; hos ferre labores.
Ille leonum vngues franget, dentésq; luporum
Vipereúmq; genus, reptantésq; orbibus angues
Opprimet, & pacem genti firmabit opimam.
Ac veluti magno in populo cum concita feruet
Seditio, & passim vulgus parat arma, furensq;
Discursat, volitantq; enses in vulnera crebri,
Et sibi quisq; [illegible] iam discrimina per[illegible]
Conspicuum bonitate virum [illegible]
Obtulerit, mox accurrunt, [illegible]
Et verba illius [illegible]

Arripiunt, repetuntq; statim sua limina lęti,
Et sibi quisq; canit, sua iam tuta omnia gaudet.
Haud aliter rex ille tuus perplexa tuorum
Tempora, quę infandas cędes, violenta latronum
Agmina promittunt, hostilésq; vndiq; pugnas
Et dubias hominum mentes formidine tristi
Conficiunt, dum nemo sibi sat saluus habetur
Et mortem iam quisque sibi meditatur adesse,
Ille inquam sedata dabit, cum nomine passim
Audito applaudent omnes, & voce sonabunt
Viuat rex, ô rex *Henrici* sacra propago
Viue diu, adiunctis animis ad vota precantes
Nec quisquam audebit mutire aut hiscere contrà.

O me beatum illo hęrede principem.
O te beatum Angliam tanto principe.

Ad





Ad Serenissimium Regem IACOBVM gratulatio.

MActe ergò virtute tua, rex Inclyte, perge
Fœlix esse tibiq́ tuisq́ vt secula nobis
Aurea decurrant, & te Saturnia regna
Concelebrent, atque Astræam te rege morantem
In terris tota hæc cantet nunc insula, vestris
Auspicijs pietate vigens & religione
Confirmata, vt propitius tibi rector Olympi
Cœlo fœcundos imbres demittat ab alto
Et creet aspectus pratisq́ satisq́ benignos,
Cunctarum vt nobis accrescat copia rerum,
Sitq́ Deus nobis qui iam Deus esse probatur.
O pater, ô hominum custos, hæc otia nobis
Longa dato, Regemq́ tuum tua dextera saluum
Protegat, insidiasq; omnes, & sanguine mista
Concilia authorum in carnes & viscera c...
...uiq animos hominum fingis simul atq; refingis,
Flecte animos ad te nostros, vt pectore puro
Grates diuino referamus munere dignas,
Et vitæ innocuæ castaeq; ...tamine nostra

Assidue

Aßidue pietas cœlestes imbuat aras.
Viue IACOBE *diu fœlix, & pace triumpha,*
Perpetuoq́; tibi deuinctos eße tuorum
Fac animos, gratúsq; Deo super omnia viue.
Tuq́; HENRICE spei nostræ pars altera, viue,
Quæ Reges didiciße decet, tu disce, patremq́
Fer oculis, & cura illum virtute referre,
Quemq́; tibi scripsit monumentū et pignus amoris
Perpetuum ne te pigeat versare magistrum.
ANNA *Deo dilecta nimis quàm prædicat orbis*
Te natu, te coniugio, te prole beatam.
ANNA *venis, nobis gratißima, pacis oliua,*
Pacem enixa vtero nostram, tibi mille salutes
Optamus, tibi sint de aduentu gaudia mille.

Elenchus



Elenchus Capitum in subsequenti Demonstratione.

Habitus

¶ANTI.





ANTICHRISTI DEMONSTRATIO

Contra fabulas Pontificias, & ineptam ROBERTI BELLARMINI de Antichristo disputationem.

CAP. I.

Iudicium de origine & progressu errorum de Antichristo: cuius veram notionem ostenditur non ex patribus sed ex Scripturis explicari debere.



Ntichristi totam historiam Papistæ nobili stratagemate verterunt in fabulam, vt ad vmbras & spectra quædam inania intenti homines dum hostem è longinquo falsum expectant, à vero Antichristo intus in Ecclesia per hypocrisin regnante inscientes occupentur. Antichristi vocabulum intelligunt formidabile omnibus & inuisum esse. Nihil se facturos putant ni suspicionem omnem exosi nominis astutè depellant. Id ergo agunt conatu quo possunt omni & vltimo, sed casso & irrito, & dum quasi in vndis periclitantes omnem virgulam arripiunt qua se vel ad momentum subleuent, frigidas nescio quas ineptias & somnia proponunt, quibus constare volunt nonnisi per calumniam Antichristi nomen ad Romanum Pontificem accommodari. Qua in re Satan illis operam suam egregiè nauauit, qui cùm intelligeret ab initio maximam sibi ab Antichristo ad perdendas animas opportunitatem suppetituram, nihil egit studiosiùs quàm vt illũ celaret, vt quem notum horrerent homines & refugerent, eundem ignotum sequerentur in præceps, & consortes facti scelerum

illius communem cum illo perditionem sortirentur. Id vt tutiùs ageret & certiùs, singulari fraude falsam Antichristi notionem informauit, & mentitis coloribus callidè depinxit, vt verum illum Antichristum, orbis & Ecclesię pestem, minimè suspectum haberent homines, postquam nonnisi putatiuum hunc & imaginarium Antichristum, anile terriculamentum, merum Satanæ ludibrium, expectare didicissent. Atque huius fraudis administros habuit hæreticos & impostores illos qui ab ipsis vsque Apostolorum temporibus corrumpere fidem & virginalem Ecclesiæ pudicitiam expugnare tentarunt. Qui vt fæliciùs spargerent errores suos & venena prauorum dogmatum latissimè propagarent, nihil consultius aut compendiosius esse iudicarunt, quàm si abstrusam & à communi captu remotam scientiam & occultæ sapientiæ [a] *profunditatem* ostentando, magnam sibi apud popularem inscitiam opinionem & authoritatem compararent. Et certè nescio quo errore plus valet plerumque apud vulgus hominum superba loquacitas de rebus non intellectis futilitèr & ineptè deblaterans, quàm sobria pietatis exhortatio & [b] *sermo ille sanus qui reprehendi non potest*, quo vno ratio omnis animæ secundùm Deum ædificandæ continetur. Vilet qui de fidei ratione, communibusque vitæ officijs piè instruit; ille magnus est & eruditus qui de angelis & cœlo Empyreo philosophatur, attrita fronte docens quod ipse nescit, & ex aliorum inscitia sibi scientiæ laudem impudentèr vsurpans. [c] *Nihil tam facile*, ait Hieronymus, *quàm vilem plebeculam & indoctam contionem linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit, plus miratur.* Quare vanitatem hanc & humani ingenij leuitatem inimicus ille probè perspectam habens, hùc aptauit conatus suos, & operarios dolosos submisit qui prurientes aures stulta grandiloquentia titillarent, & mirabiles abditarum rerum sensus promittendo curiosas mentes tanquam fascino quodam subuersas occuparent. Traditionem occultam & nonnisi perfectis competentem præ se ferunt: Paracletos & enthusiasmos & afflatus atq; illuminationes cœlestes mentiuntur: de parabolis & allegorijs inaudita quædam mysteria interpretantur: peregrinis & ampullatis nominibus ludunt; neque quicquam omittunt quo possint, *quæ* [d] *hæreticorum omnium semper intentio fuit, captare gloriam de singularitate scientiæ.* Ac de Antichristo quidem materia erat lasciuientibus ingenijs aptissima, cuius nomen postquam in

[a] Apoc. 2. 24.

[b] Tit. 2. 8.

[c] Hieron. epist. ad Nepotianum.

[d] Bernar. in Cant. ser. 65.

Ecclesia percrebuisset, cœptum est inquiri quis ille & qualis futurus; vbi & quando venturus; quid & quibus & quousq; facturus esset, & curiosa temeritas quod erat in Scripturis obscurius & Prophetiæ tenebris inuolutum, euolui sibi voluit & explicari, vt tanquam sub oculis Antichristum haberet, & illum clara luce conspicuum intueretur. Quare ad hanc petulantiam hæreticorum impostura se accommodans & arborem interdictę adhuc scientiæ maximo cum fructu gustandam adpromittens, commentitium quendam Antichristum è somnijs suis & Iudæorum fabulis edolauit, & insolentissima temeritate certissima dogmata de rebus incertissimis, quia longè post futuris, pronunciare ausa est. Ac ne prorsus authoritate carere videretur, sacrarum Scripturarum testimonia quædam detorsit ad ineptias suas, vt humanas præsumptiones pro diuinis oraculis habendas esse persuaderet. Hinc illa manarunt, Antichristum fore Iudæum & nasciturum ex tribu Dan: templum Hierosolymis instauraturum; ibi sessurum; ibi illum Iudæos veneraturos; deinde prælium cum gentibus facturum; subiugaturum sibi Orbē terrarum, & hæc omnia tribus annis & dimidio confecturum.

2 Has fabulas & alias nonnullas quas *Bellarminus* perridiculus sophista demonstrationū nomine proponit, Papias vt videtur primus arripuit, qui miserrimo errore plùs traditione viuæ vocis quàm consignatis Scripturarum tabulis acquiescens, malefidis Apostolicorum virorum sectatoribus vltrò se fallendum præbuit: qui non attendens subornatos esse iam tum à Satana mendaces quosdam & perfidos qui Apostolorum nomina figmentis suis prætexerent, in eo totus erat [c] *vbi quisquam veniret qui seniorum assectatorem* se diceret, *vt verba seniorum exquireret, quid* Andreas, *quid* Petrus, *quid* Philippus, *quid* Thomas, *vel alius quisquam ex discipulis Domini*, *quidq;* Aristion *& senior* Ioannes *discipuli Domini dixerint*. Quibus dum fidem adhibuit & porrò exiguo iudicio prędītus Apostolicas disputationes perperam accepit, minùs rectè considerans quæ ab illis per hypodigmata & figuratè dicta sunt, multas fabulas & peregrinas doctrinas in Ecclesiam inuexit, nec ipse modò errauit, vt notat *Eusebius*, sed quamplurimis post se Ecclesiasticis viris ad antiquitatem eius respicientibus errandi occasionem suppeditauit. Illum secutus est *Irenæus*, & eius authoritate permotus *Chiliastarum* hæresin è *Cerinthi* fontibus haustam amplexus est, cum qua dum Iudaizat,

[c] Euseb. hist. li. 3. cap. 36.

& [f] *Apocalypsin* atq; alias Scripturæ sententias, vt testatur *Hieronymus*, ad literam exponit, non dubiũ est multas de Antichristo fabulas, quas simul imbibit *Irenæus*, fuisse coniunctas. Cæterum de mille annis terrenæ fœlicitatis post resurrectionem futuris, repertus est *Dionysius Alexandrinus* qui reprehenderet *Irenæum*, & libro aduersus illum elegantèr scripto figmentum illud irrideret; de Antichristo verò, quia incertiora erant omnia, haud facilè repertus est, quantum quidem apparet, qui somnijs illis contraeundum putaret. Vnus apud *Gennadium* commemoratur *Iacobus* sub *Maximino* confessor, Episcopus *Nisibenus* sub imperio *Constantini*, qui [g] diuinis Scripturis *compressit ora eorum, qui præsumptuosa suspicione de aduentu Antichristi vel Domini nostri inaniter philosophati sunt*. Et illa *Chiliastarum* phantasia, etsi erat absurda, & doctissimè refutata, non caruit tamen assertoribus suis, & *Apollinarium* pro *Irenæo* respondentem, *non solùm suæ sectæ homines*, [h] *sed & nostrorum*, ait *Hieronymus*, *plurima sequitur multitudo*. Proinde quæ de Antichristo conficta sunt, quia manifesta in illis fidei præuaricatio non apparuit, nihil mirum est insedisse tenaciùs & apud posteros tanquam verissima præualuisse, quæ maiorum & quidem tanti nominis virorum authoritate suscepta & firmata sunt.

f Hieron. in præfat. lib. 18. in Esaiam.

g Gennadi. Catal. illust. virorum.

h Ibid.

3 Enimuero apud antiquos superstitio illa plus satis inualuit, qua piaculum esse credebatur ab illorum instituto & sententia recedere qui priùs in Ecclesia celebres fuissent, qui quidem quò propiùs aberant à prima fidei propagine, eò liquidiùs & accepisse vera & sensisse videri possent, & tamen dum toti ab vberibus Ecclesiæ non pendent, & incauta credulitate fucata sapientiæ specie plus æquo mouentur, pro vero fidei lacte suxerunt interdum errorem, & multa tradiderunt quæ ne Pontificijs ipsis maximis errorum veterum propugnatoribus, satis probata sunt. Atque hæc magna corruptelæ occasio fuit dum quæ initio à magnis viris temerè dictata sunt, eorum authoritate tanquam pronunciata Catholica vel suscepta prorsus apud posteros, vel certè haud facilè improbata sunt. *Hieronymus* etsi probè sciens Chiliasticum illud delirium absonum quiddam & à Scripturis alienum prædicasse, tamen dum suorum temporum superstitioni nimium concedit, manifestam hæresin quàm timidè, quàm verecundè redarguit? [i] *Quæ licet non sequamur*, inquit, *tamen damnare non possumus, quia multi Ecclesiasticorum virorum & martyres*

i Hieron. in Iere. lib. 4. cap. 19.

tyres iſta dixerunt. Et vbi de *Victorini* explanatione in Apocalypſin ſententiam rogatur: [k] *Periculoſum eſt*, inquit, *& obtrectatorum latratibus patens de egregij viri opuſculis iudicare. Nam & anterior Papias Hierapolites epiſcopus, & Nepos in Aegypti partibus epiſcopus de mille annorum regno, ita vt Victorinus, ſenſerunt.* Ita præpoſtera vetuſtatis opinio, & magnorum nominum admiratio, libertatem iudicandi ſuſtulit, vt inuidiæ calumnia non vacaret, qui egregiorum virorum ſententias, etiam vaniſſimas & falſiſſimas improbaret. Hac ratione Pelagiana labes vires & incrementa maxima cepit. [l] *Plures ſunt in Eccleſia*, inquit Hilarius, *qui authoritate nominum in ſententia tenentur, aut ad ſententiam transferuntur.* Quare Pelagium haud facilè repudiarunt, [m] *quòd retractatis priorum de hac re opinionibus*, ait Proſper, *penè omnium par & vna* pro dogmate illus ſententia inuenitur. Quare Auguſtinus cum hæreticis confligens, & cauſas ad viuum reſecans, vbi antiquiorum patrum præiudicio grauatur, diſertiſſimas aduerſus illorum teſtimonia exceptiones nonnumquam interponit, vt Scripturis ſolis quæſtionem decidat. Vbi Cyprianum Donatiſtæ afferunt, [n] *Nos nullam*, inquit, *Cypriano facimus iniuriam cùm eius quaſlibet literas à canonica diuinarū ſcripturarum authoritate diſtinguimus.* Vbi Ambroſium Pelagiani opponunt, [o] *Quamlibet ſanctus & doctus vir, nequaquam tamen authoritati canonicæ Scripturæ comparandus.* Et de omnibus: [p] *Ego*, inquit, *in huiuſmodi quorumlibet hominum ſcriptis liber ſum, quia ſolis canonicis debeo ſine vlla recuſatione conſenſum.* Intellexit vir ſanctiſſimus in patrum ſcriptis iudicio ac delectu opus eſſe, nec tutò ingredi poſſe, qui ſuperſtitioſa leuitate mox admirantur & probant quicquid in vetuſtis chartis impreſſum, & antiquorum nominum celebritate commendatum eſt.

k Hieron epiſt. ad Anatol. apud Sixt Senen. biblio ſanct. lib. 4 in Victorino.

l Hilar epiſt. apud Auguſt. to. 7.

m Proſper. epiſt. ibid.

n Auguſt con. Creſcon. lib. 2. cap. 31.

o Cont. Pelag & Celeſt. li. 1 ca 43.

p De nat. & grat. cap. 61.

4 Porrò ad ſuperſtitionem deſperatio quoque acceſſit, quæ fregit animos & intercepit conatus illos quibus aſſurgere poſteriores quique ad maiora debuerant, de egregiorum virorum lucubrationibus & ſcriptis non inertiam amplexi, ſed ad maiorem iudicandi diligentiam & induſtriam excitati. Atqui pleriſque longè alius erat animus, quo eos quibus ſe adiunxerant ita putarunt abſoluiſſe omnia, vt nihil ſibi vltrà perquirendum iudicarent; nihil putarent certius à quoquam aut ſanius excogitari potuiſſe. Itaq; deſperatio negligentiam peperit, qua [p] *multos qui acie ingeniorum ſatis erant inſtructi piguit in fulgorem veri-*

p Ludou. Viues de cauſis corrupt. artium.

tatis intentè aſpicere; eos qui dicebantur aſpexiſſe ſecuti ſunt. Inde errores priorum traditi ad poſteros & confirmati, dum tantis de rebus malunt alijs poſteriores credere, quàm ipſi iudicare. Origenis illæ ſpeculationes & allegoriæ quanta ingenia cum quanto fidei diſpendio faſcinarunt, quaſi in illo vno ſpiritus ſanctus vim omnem & opes ſuas explicuiſſet, & fruſtra deinceps cuiquam alteri in ſacris ſcripturis enarrandis elaborandum eſſet? *Cyprianus* dum *Tertullianum* ſubinde [q] *magiſtrum* appellitat, & iudicio illius plus nititur quàm ſuo, ab illo fragmēta quædam *Montani* tranſcribit, & ſatisfactionibus ac ceremonijs ab illo confictis plùs æquo benignus eſt. *Bernardi* auditores malè habuit, quòd [r] *poſt patres nouus expoſitor* lectionem quandam Euangelicam interpretari præſumeret, & ea cauſa multorū fratrum indignationi ſe obnoxium oſtēdit. Atq; huiuſmodi *Momos*, & *Ariſtarchos*, & *Grunnios* quamplurimos *Hieronymus* expertus eſt, [ſ] qui illum in vertendis ſacris libris fructuoſiſſimè laborantem vellicarunt, quòd corrigi non poſſe putarent quæ ſuperiorum temporum opera & ſtudio prodijſſent. Neque verò *Auguſtinus* nihil hac in parte peccauit, qui illum ab opere tam neceſſario deterruit quoad potuit, quòd [t] *nihil in Hebræis codicibus inueniri putaret, quod tot interpretes illius linguæ peritiſſimos fugere poſſet.* Et *aut obſcura ſunt*, inquit, *aut manifeſta. Si obſcura, te quoque in eis falli potuiſſe non immeritò creditur. Si manifeſta, ſuperfluum eſt te voluiſſe explanare quod illos latêre non potuit.* Sed illum vir doctiſſimus dilemmate ſuo reuincit: [u] *Reſpondeat mihi prudentia tua, quare tu poſt tantos & tales interpretes in explanatione Pſalmorum diuerſa ſenſeris. Si enim obſcuri ſunt Pſalmi, te quoque in ijs falli potuiſſe credendum eſt. Si manifeſti, illos in eis falli potuiſſe non creditur, ac per hoc vtroq; modo ſuperflua erit interpretatio tua: & hac lege poſt priores nullus loqui audebit, & quodcunq; alius occupauerit, alius de eo ſcribendi non habebit licentiam.* Atqui verò induſtriæ nunquam deeſt, quod poſt ſummos authores aut emendet aut addat, aut ſi non rebus ipſis, ſaltem luce rerum & varia tractatione gratum ſit. Quòd ni poſteriora quæque tempora in ſuperiorum ingenijs & laboribus nimium acquieuiſſent, haud dubium eſt quin multò fœliciores ſacrarum literarum tractatores & interpretes proferre potuiſſent. Quod & noſtro ſeculo factum videmus, quo Pontificij ipſi fatentur, [x] *plurima in* Moſi *libris & hymnis* Dauidicis *prophetarumq; vaticinijs eſſe doctorum hominum diligentia multo accuratius quàm vſquam antea explicata.*

q Hieron. in catal. ſcript. eccleſ.

r Bernar. ſuper Miſſus eſt hom. 4. in fine.

ſ Hieron. præfat. in Iob & Eſaiam.

t Auguſt. Hieronymo epiſt. 8. & 10.

u Hierony. apud Auguſt. epiſt. 11.

x Andrad. in defenſ. fidei. Triden. li. 2.

5 Cæterùm quæ diximus omnia in hoc Antichristi negotio, vt in vna re aliqua, maximè contigerunt. Nam si oculos vel paululùm aperuissent homines, & suam quamcumq; iudicandi facultatem adhibuissent, resciissent optimè multa quæ ab antiquissimis scriptoribus de Antichristo asseruntur, de tam infirmis, tam nullis argumentis esse profecta, vt illa constare posset nonnisi ab impostoribus & hęreticis inuenta esse, aut certè nonnisi per summam negligẽtiam tantis ingenijs obrepere potuisse. Quin & qui alioqui perspicaces & nasuti videntur, hîc tanquam euulsis oculis plerunque cæcutiunt, & cum *Homero* dormitant, & ipsi sibi non constant, & alij aliorum sententias prorsus euertunt. Receptum est antiquitùs, Antichristum nasciturum ex Iudæis & de tribu *Dan*. Quid ita verò? Quia tribus illa apud *Ioannem* in Apocalypsi non commemoratur vbi consignantur electi ex omnibus tribubus Israelis. Atqui neque tribus *Ephraim* ibi memoratur: quî minùs Antichristus de tribu *Ephraim* quàm de tribu *Dan?* Minimè verò, quia de illo quoque *Iacob* vaticinatus est: [y] *fiat* Dan *coluber in via, cerastes in semita, &c.* & *Ieremias:* [z] *A* Dan *auditus est fremitus equorum eius, &c.* Ita quidem *Irenæus* & tota patrum gens; sed longè aliud & certiùs quidem *Hieronymo* visum est, locum [a] alterum de *Sampsone*, [b] alterum de *Nabuchodonosoris* in Iudæam aduentu intelligi oportere. Quod ita certum est, vt *Bellarminum* ipsum planè pudeat antiquæ vanitatis, & [c] agnoscat locis illis conuinci non posse, quod tamen veteribus tanto consensu visum est. In quo erratum esse reliqui quoque patres facillimè animaduertissent, si iudicio suo magis quàm *Irenæi* fide statuere voluissent. Porrò *Hieronymum* fefellit traditio illa, quòd Antichristus è Iudæis futurus esset, qui tamen quod apud reliquos consectaneum erat & coniunctum, sessurum illum Hierosolymis in templo Iudæorum, improbauit, & in Ecclesia sessurum interpretatus est: quod si attentè cogitasset, & illud quoque alterum de Iudæorum Antichristo protinus abnuisset. Sed in eo plùs & negligentiùs erratum est, quòd Antichristi regnum tribus annis & dimidio præcisè determinant, & numerum dierum apud *Ioannem* decretũ esse profitentur, [d] *dies mille ducentos & sexaginta*, & tamen apud *Danielem* de Antichristo quædam intelligunt quæ cum isto calculo conuenire non possunt. [e] *Vsquequo visio, & iuge sacrificium & sanctuarium & fortitudo conculcabitur? Et dixit ei, Vsque ad vesperam & mane dies bis*

y Gen. 49. 17.
z Iere. 8. 16.
a Hieron. quæst. Heb. in Genesim
b Idem in Ierem. lib. 2. cap. 8.
c Cap. 12. de Antichristo.
d Apoc. 11. 3.
e Dan. 8. 13.

f Hieron. in Dan.cap.8.

bis mille trecentos. [f] *Hunc locum pleriq; nostrorum*, ait Hieronymus, *ad Antichristum referunt.* Itane vero? Atqui dies bis mille trecenti sex annos & amplius efficiunt. Vbi ergò illud, Antichristum nonnisi tres annos & dimidium, dies mille ducētos & sexaginta regnaturum? Et Antichristo quoqúe attribuunt quod capite vltimo *Danielis* habetur, [g] *A tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium & posita fuerit abhominatio in desolationem, dies mille ducenti & nonaginta.* Quî id verò? cùm Antichristum credendum sit dies nonnisi mille ducentos & sexaginta substiturum. Quæ ita nullo modo conciliari possunt, vt ecstasin passi videantur qui hæc tam dissentientia cogunt in vnum, & omnia simul Antichristi causæ seruire compellunt. Quanquam & illud quoqúe nonnihil est quòd Antichristi tempus ita definiunt, & tamen ea narrant de regno Iudæorum adipiscendo, de templo Hierosolymitano ædificando, de orbe terrarum occupando, de Christi fide & cultu per totum orbem subuertendo, quæ nemo sanus vnquam credidisset in illis temporum angustijs expediri potuisse. Deniq; illud *Hilarij* vbi de Antichristo suscipiendo loquitur, [h] *Proprius iste Iudææ erit error*, quis existimet homini verba sua cogitanti excidere potuisse, cùm tam apertè scriptura denunciet facturum Antichristum *vt* * *bibant omnes gentes de vino iræ fornicationis eius, & errent in veneficijs illius?* Plura sunt eiusmodi apud veteres à primis ferè temporibus accepta, quæ si attentè posteri animaduertissent, & ad seuerioris iudicij stateram appendissent, castigassent ipsi libros suos, & longè alias nobis de Antichristo sententias prodidissent.

g Dan.12.11.

h Hilar.in Mat. can.25.

* Apoc.18,3,23.

6 Enimuerò nihil illis de Antichristo certum, nihil exploratum fuisse, palam ostendunt variæ & repugnantes sententiæ, quas siue falsas confingunt, siue veras coniectant, dum alij aliorum traditionibus acquiescere non possunt. De [i] numero nominis Antichristi quot ineptiæ prodierūt, dum suo quisq; cerebro indulget, de fontibus ipsis mysterij rationem haurire non curat? De Antichristi sede quàm variè locuti sunt? [k] *In Templo Hierosolymitano sessurum*, ait Cyrillus, *non in Ecclesia:* Oecumenius vero, [l] *in Ecclesia, non in Templo Hierosolymitano:* Chrysostomus, [m] *non solùm in Templo Hierosolymitano, sed etiam in Ecclesiis.* Et tamen alibi [n] *dubitabilem* esse ait interpretationem illam de Templo Hierosolymitano, quemadmodum etiam *Augustino* [o] *incertum* est, vtrum in Templo illo an in Ecclesia dicendum sit.

i Apoc 13 17.

k Cyril. Hierosol. catech. 15.

l Oecumen. in 2 Thess. cap. 2.
m Chrysost. in 2 Thess. hom. 3.
n Oper. imperf. in Matt hom. 49.
o August. de ciu. Dei. lib. 20. cap. 19.

De

De Antichristi quoq; natura prodigia locuti sunt. [p] Alij *Neronem* esse putarunt denuò in orbem postliminio rediturum: alij putarunt [q] diabolum vel dæmonem futurum, quod sensit [r] *Hyppolytus* quidam, non antiquus ille Portuensis Episcopus, sed alter quidam suppostitius, heri natus ex incubo, qui quia puduit illũ nominis sui, deponenda censuit oua sua in nido alieno. Alij porrò, in quibus est [s] *Hieronymus*, etsi non diabolum putarunt, in eo tamen diabolum *corporaliter habitaturum* statuerunt. Duos porrò [t] testes quos aduersùs Antichristum decertaturos vulgò persuasum est: alij de duobus Testamentis exponunt, vt postea patebit: alij *Enoch* & *Eliam* intelligunt: alij cum *Elia Mosen* coniungunt; alij *Ieremiam*: *Hieronymus* Iudaizare putat, qui ad literam interpretantur. In tanta opinionum varietate, in tam distractis sententijs, quis Antichristi certam notitiã expectet, vbi qui sibi plurimorum iudicio standum arbitretur, nihil reperiat nisi quod vnus aliquis initio dixit, quem reliqui postea animi causa magis quàm certa ratione, magistrum & authorem secuti sunt?

7 Quanquam in hac incertitudine, dum aduentum Antichristi meditantur, & coniecturas quiq; suas exponunt, incidunt interdum in aliqua, quæ si comparentur cum Scripturis, certam Antichristi rationem informant, vt de illo ampliùs dubitari non possit. Nam quòd [u] Babylonem apud *Ioannem* Romanæ vrbis figuram portare aiunt; quòd Antichristum [x] sub occasu Romani imperij venturum; quòd imperaturum [y] decem illis regibus quibus imperium illud Romanum dispertiendum esset; quòd quidam [z] in Ecclesia sessùrum affirmant; quòd illum Irenæus [a] Latinum fore verisimili coniectura suspicatur: hæc si accepta de fõtibus suis, & collata inter se ad rerum euentus accommodentur, insignem illum aduersarium ita conspicuũ reddunt, vt de illo non minùs constet, nisi sponte nostra cæci esse velimus, quàm solem constat meridie lucere. Quæ verò definitionibus istis de fermento hæreticorum, & priuatis hominum opinionibus admista sunt, ea non dubito quin ad [b] *efficaciam illusionis* pertinere debuerint, vt qui sacris oraculis non contenti, fidem sibi de placitis humanis petendam iudicarent, haberent in Patrum scriptis ad quod impingerẽt, & in incredulitate sua duriores & obstinatiores efficerentur. Nam quod rectè Tertullianus de Scripturis; [c] *Non periclitor dicere ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent, cùm legam oportere*

p August. de ciui Dei, lib. 20. cap. 19.
q Hieron. in Dan. cap. 7.
r Hippol. orat. de consummat. mundi.
s Hieronym. in Dan. cap. 7.
t Apoc 11. 3.
u Tertul. contra Iudæos.
x Idem de resur. carnis.
y Hieron. in Dan. cap 7.
z August. de ciuitat. Dei. lib. 20. cap 19.
a Iren. lib. 5.
b 2. Thess. 2. 11.
c Tertul. de de præscr. aduersus heret.

oportere hæreses esse, quæ sine Scripturis esse non possunt, hoc multò magis de Patrum scriptis affirmare audeamus, sic esse Dei voluntate dispositа, vt quibus Christum è Scripturis callere non sufficit, è Patribus fallantur de Antichristo, & ei se submittant quem Scripturæ describunt, dum non alium illum futurum credunt quàm à Patribus acceperunt. Quod in alijs quoq; nonnullis fidei capitibus contigisse non dubitamus, cùm tam multa videamus apud Patres quæ superstitioni aditum aperiunt, & patrocinari videntur erroribus illis, quibus Antichristus orbem terrarum sibi subiectum & captiuum tenere debuit. Nam tantum illum seductorem instrumenta seductionis habere oportuit, nec veram fidem excludere valere, nisi in promptu ratio esset, qua mendacijs suis speciem veritatis & colorē afferre posset. Quare quod diuinis oraculis satis commodè assequi non potuit, humanis erroribus obtinere voluit, vt quæ veritate non posset, præscriptione temporis, & antiqua saltem consuetudine commendaret. Nam id inprimis Satanę curæ fuit, vt ab initio fundamenta regni sui substrueret, & corruptelis suis gratiam & authoritatem conciliaret. Quod ita calidè molitus est, vt Patribus ipsis nonnunquam fucum faceret, & specie quadam probabilitatis induceret ad ea probanda, quæ pòst illorū authoritate ad maximam pietatis iniuriam in Ecclesia retenta sunt. Qui etsi veram fidei doctrinam scriptis suis luculentissimè complexi sunt, & arma nobis abundè suppeditant quibus apostatarum & hæreticorum imposturas oppugnare possimus: tamen dum zizania quædam interserunt, & traditiones ac præsumptiones suas & alienas cum sanctissima Dei veritate coniungunt, arenas & calces præparasse videntur, quibus perfidiæ muros construeret Antichristus, & Babylonem suam ædificaret, qua Ecclesiā Christi ferreo tyrannidis suæ sceptro subiugaret.

8 Quare ne vlla nos antiquitatis fallat opinio, præmonendos curauit spiritus sanctus, [d] *mysterium iniquitatis* olim sub Apostolis operari cæpisse, & [e] iam tum Antichristi spiritum in mundo fuisse, vt falsa esse posse quæ videntur antiquissima, ac proinde de antiquis iudicium habendum esse sciamus, & quod Apostolicæ scripturæ testimonium non habet, etsi vetustate cum Apostolis certare posse videatur, non tamen ab Apostolis, sed à mysterio iniquitatis & Antichristi spiritu profectū esse non dubitemus. Id quod vel vno exemplo moneri possumus, quo Satan

d 2. Thess. 2. 7.
e 1. Ioh. 4. 3.

Satan viuentibus adhuc Apostolis perniciosam cœlibatus opinionem, horribilem postea ecclesiæ pestem, & prodigiosæ turpitudinis occasionem insinuare conatus est. Nam [f] presbyter quidam in Asia librum quendam tum edidit quem inscripsit *Periodum Pauli & Teclæ*, in quo finxit Paulum Iconij prædicantem de virginitate, Teclam nobilem puellam in concione præsentem tantùm permouisse, vt nuptias quibus desponsata esset, recusaret, & voto se virginitatis obstringeret, & ob id ad iudicem raptam & ab illo damnatam nec ignibus cremari, nec à bestijs occidi potuisse, & postea comitem Apostolicæ peregrinationis extitisse. Ac presbyter iste conuictus apud Ioannem Apostolum quòd author esset libri, & confessus se hoc amore Pauli fecisse, loco deiectus est, & liber eius damnatus, atque inter fabulosa & Apocrypha computatus est. Quæ tamen fabula postea quantus viros fefellit, Cyprianum, Ambrosium, Epiphanium, Augustinum, qui pro vera historia librum illum susceperunt, eoque ad superstitiosam virginitatis admirationem vehementer allecti sunt. Ita maturè hostis ille rem suam egit, & Apostolicis nominibus pestifera consilia callidè ornauit, vt sanctissimorum virorum plus satis credula simplicitate, dum fraudes & dolos eius haud facilè suspicantur, faciliùs abuti posset. Et vidit ille quidem haud magni momenti ad fraudem esse potuisse, si hæreticorum tantùmmodò exosa nomina occupasset; ac proinde vt efficacior esset illusio, in illorum se chartas & commentarios clanculũ insinuauit, quorum, quia in Ecclesia insignes habebantur, maior apud posteros authoritas & existimatio futura esset. Itaque offudit illis tenebras interdũ, & hîc illic astu circumuentos de via deduxit, vt ex illorũ erratis posterior ætas ruinæ grauioris & manifestæ apostasię occasionem habere posset. Qui tamen dum simplici errore, non maligna pertinacia de via discedunt, & quanquam stipulas & ligna superædificant pro auro & argento, subinde ad fundamentum respiciunt & in eo consistunt, iacturam operis sui faciunt, quod ignis verbi dei absumit & distruit, ipso verò salui facti sunt. Itaque quod de Cypriano & patribus Africanis dixit olim Vincentius Lyrinensis contra Donatistas, idem nobis de reliquis contra Papistas vsurpare licet: [g] *O rerum mira conuersio: authores eiusdem opinionis catholici, consectatores verò hæretici iudicantur: absoluuntur magistri, condemnantur discipuli: conscriptores librorum filij regni erunt, assertores*

[f] Tertul. de baptismo. Hierony. in catal. script. eccles. in Luca.

[g] Vincent. Lyrinens. aduers. hæres.

aßertores verò gehenna suscipiet. Itaque nihil mouemur quòd stipulas & paleas suas Pontificij de patrum segete creuisse contendunt, neque mox Antichristi aliquid esse desinet, quod à patribus quibusdam receptum affirmatur, quia in illo Apostasiæ seminario quo patrum quoque agri nonnihil conspersi sunt, non Antichristum quidem adhuc, sed dispositionem esse oportuit ad regnum Antichristi. Quæ postea sub Papatu consummata, fefellit illos qui sententias suas de patrum scriptis quàm de scripturis sacris instituere maluerunt. Qui dum sementem illam erroris ab antiquitate perceptam carnalis ingenij gremio confouerunt, messem superstitionis ingentem ediderunt, & de febricula patrum teterrimam Ecclesiæ pestem enixi sunt. Quorum errorem sequantur necesse est qui scripturas de patrum tantummodo sententijs exponunt, non patrum sententias & dogmata ad scripturarum iustissimam & æquissimam stateram & lancem appendunt. Quod non ita dicimus quasi non intelligamus in scriptis antiquorum illorum grande momentum esse ad lucem scripturis afferendam: sed id tantùm volumus, literas illas scripturarum ancillas esse debere, non Dominas: non iudices qui sententiæ necessitatem imponant, sed indices qui admoneant, vt dissentire liberum sit, si quod indicare videntur in scripturis ipsis inueniri non possit. Quod cùm patres ipsi nos tam vehementèr hortentur & moneant, eosdem profectò ipsos contra nos testes habituri sumus, si præsumptam ex illorum obliquitate aliqua perfidiam contra manifestam dei veritatem superbè sequamur. Atque hæc tenenda nobis est regula in causa illa peruestiganda quam proponimus. Neque enim de Antichristo vel Antichristi dogmate rectè sentire poterimus, nisi sacris scripturis quæstionem omnem ita sistamus, vt nihil apud nos authoritatem obtineat quod non ex illis fundamentis certissimis argumentis extructum sit: fiet enim alioqui, vt Antichristi falsa notione præoccupati, decipi nos ab impostoribus Ecclesiæ vocabulo sinamus, & pro Christo Antichristũ nomen Christi mentientem, adoremus. Quod vidit Chrysostomus, siue ille quicunq; author erat Operis imperfecti, quem Chrysostomi nomine interdum adduco, [g] Ecclesiæ Romanæ & maximorũ apud illam authorũ exemplũ secutus, qui locum apud Matthæum exponens, *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes*, ita sententiã reddit; [h] *id est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad scripturas.*

[g] Sixt. Senen. biblioth. sanct. lib. 4.

[h] Chrysost. op. imperf. hom. 49.

Montes

Montes sunt scripturæ Apostolorũ aut Prophetarum. Et quare iubet in hoc tempore omnes Christianos conferre se ad scripturas? Quia in tempore hoc ex quo hæresis obtinuit Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neq; refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi scripturæ diuinæ. Antea enim multis modis ostendebatur quæ esset ecclesia Christi & quæ gentilitas: nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere quæ sit vera ecclesia Christi, nisi tantũmodo per scripturas. Quare? Quia omnia hæc quæ sunt propriè Christi in veritate, habent & hæreses in schismate: similitèr ecclesias, similitèr scripturas diuinas, similitèr episcopos cæterosque ordines clericorum, similitèr baptismum, eucharistiam & cætera omnia, denique ipsum Christum. Volens ergò quis cognoscere quæ sit vera ecclesia Christi, vnde cognoscat in tantæ confusione similitudinis nisi tantummodo per scripturas? Item antea & per signa cognoscebantur qui erant veri Christiani, qui falsi. Quomodo? falsi aut non poterant facere signa, sicut veri Christiani, aut talia non poterant qualia veri Christiani, &c. Nunc autem signorum operatio omninò leuata est: magis autem & apud eos inuenitur qui falsi sunt Christiani fieri ficta. Sicut autem Petrus *apud* Clementem *exponit, Antichristo etiam plenorum signorum faciendorum danda est potestas. Item ex moribus ipsis prius intelligebatur ecclesia Christi quando conuersatio Christianorum aut omnium aut multorum erat sancta quæ apud impios non erat. Nunc autem aut tales aut peiores facti sunt Chrstiani quales sunt hæretici aut gentiles. Adhuc autem & maior continentia apud illos inuenitur quamuis in schismate sint, quàm apud Christianos. Qui ergò vult cognoscere quæ sit vera ecclesia Christi, vnde cognoscat nisi tantummodo per scripturas? sciens ergò Dominus tantam confusionem rerum in nouissimis diebus esse futuram, ideò mandat vt Christiani qui sunt in Christianitate volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant nisi ad scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ sit vera ecclesia, & per hoc incident in abhominationem desolationis quæ stabit in sanctis ecclesiæ locis.* Planè diuina sententia, & animaduersione omni dignissima, quam integrã subijcere volui ad disputationem hanc nostram præmuniendam aduersus calumnias Papistarum, vt intelligant nos optima ratione, & patribus ipsis probatissima docere, controuersiam omnem de Antichristo non de hominum quorumcunque coniecturis, sed de scripturis diuinis definiendam esse: illic periculum esse, ne in abhominationem

minationem desolationis per errorem incidamus; hîc tantummodò nos securos esse, & veram Christi ecclesiam cui nosmet adiungere debeamus, ab Antichristi turbâ distinguere doceri. Quod tamen ne desperatione dictum videatur, quasi de Antichristo ea disseramus quæ nusquam hactenus in Ecclesia audita sunt, rem totam patrum testimonijs ita munitam constituemus, vt qui assertiones nostras & Pontificias vtrinque de patribus acceptas inter se contulerit, & ad scripturarum iudicium reuocarit, planè perspiciat, nos veras & germanas patrum sententias; illos tantummodò opiniones temerè susceptas, adeoque etiam hæreticorum leuissima somnia consectari. Quare vt tandem causam ipsam agamus, demonstrationem Antichristi quam præfixo titulo pollicemur, ita proponimus: *Cui notæ omnes Antichristi conueniunt, is est Antichristus. Romano Pontifici conueniunt notæ omnes Antichristi: Romanus ergo Pontifex est Antichristus.* Maior controuersiam non habet; in minori sudabit opera nostra. Certè Antichristi nomen, locus, tempus, habitus, actus, doctrina, quibus sex articulis continentur omnia quæ in hoc negotio dicenda sunt, omnia demonstrant Romanam ecclesiam esse Antichristi synagogam, Pontificem Antichristum, fidem eius perfidiam, statum apostasiam. Quod vt planè liqueat, de singulis ordine suo videamus.

CAP. 2.

De nomine Antichristi literali & mystico quod asseritur non esse proprium sed appellatiuum: contra Bellarmin. *de Rom. Pontif. lib.3 cap.* 1.2.& 10.



ANtichristum ex etymologia nominis [a] *Christo contrarium*, siue Christi aduersarium interpretamur. Cuius vocabuli primus author *Ioannes* Antichristos appellans non hostes extraneos sed domesticos hæreticos, vsum illius ita nobis aperuit, vt Antichristum non quemcunque aduersarium, sed illum tantùm intelligamus, qui [b] *sub nomine Christi, hoc est, Christianum se videri volens, superextollitur contra Christum.* Ita minores illi Antichristi dicti: Ita vnus ille maior cæteris, cuius in cæteris pictura quædam & imago præuisa est. Neque verò reijcimus quod vir

[a] August. in 1. Ioan. tract. 3. Hilar. lib. cont. Arianos & Auxent.

[b] August. cont. aduersa leg. & proph. lib. 2. cap. 12.

vir doctissimus *Wolfangus Musculus* eruditè animaduertit,[c] *Antichristum dici non solùm qui Christo aduersatur, verumetiam illum qui pro Christo Ecclesiæ se obtrudit.* Quod vellicat quidem *Bellarminus* & rodit more suo, quia videt eo Pontificis sui causam periclitari, sed certo argumento refellere non potest. Certissimum est enim præpositionem ἀντὶ non oppositionen solùm aut æquiualentiam, quæ agnoscit *Bellarminus*, sed etiam vnius rei pro altera substitutionem denotare. Exemplum habemus apud Euangelistam,[d] *si piscem petierit*, μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ *num pro pisce*, siue *loco piscis dabit ei serpentem?* Allusit fortasse ad Græcorum illud adagium ἀντὶ πέρκης σκορπίον: *pro perca* (pisce) *scorpionem.* Cuiusmodi illa quoque sunt, ὁ βοῦς ἀντὶ οἰκέτου πένησι: *bos pro seruo*, siue *serui loco est pauperibus.* ἀντὶ χαρίεντος ἰατροῦ κακὸς ποιητὴς καλεῖσθαι ἐπιθυμεῖς: *pro venusto medico malus poeta dici cupis.* Eandem in compositione vim habet. ὁ βάλανος, *glandem* significat: ἀντιβάλανος, pillulam quam [e] *gallam* appellant, quam quercus glandis loco profert. σπόδος, cinerulam metallicam designat: ἀντισπόδιος, [f] *quod simili virtute pollet vt in spodij locum sufficiatur.* ἀντιφύλαξ, *qui est loca loco custodis.* Sic ἀντιστράτηγος, ἀντιβασιλεύς, *qui vicem & locum imperatoris & regis* siue obit siue vsurpat. Iam verò de substitutione nihil omninò *Bellarminus*; subordinationem tantummodò negat. Falso illud quidem, quod ipse non nescit, quia dicuntur οἱ ἀντιβασιλεῖς de quibus ipse ait: [g] *Rex mittit proreges ad prouincias*, quos quia mittuntur à rege & nomine regis, & nonnisi delegata ab illo potestate, omnia exequuntur, regi non æquales sed subordinatos & subiectos fateatur necesse est. Sed quorsum tandem exceptio illa de subordinatione? Neque enim nos de subordinatione laboramus; quibus longè abest vt illum quem Antichristum esse dicimus, Christo subordinatum intelligamus. Satis ad causam est, vt præpositio ἀντὶ substitutionem quamcunque notet, siue à seipso quis per vim & fraudem subornatus siue ritè ac legitimè subordinatus sit. Quare nihil impedit *Bellarmini* disputatio quin magnum illum Antichristum complexa significatione dictum intelligamus, qui cùm Christi sit aduersarius & æmulus, se tamen, vt fallat immuniùs, in Christi locum supposuit & Christi se vices & partes agere profitetur, vt arbitrentur omnes ei se tanquam Christo & Christi nomine famulatum & obsequium præstare teneri. Certe proditoribus solenne est principum suorum nomine copias conuocare & conscribere, quas contra principes suos

c Wolf. Muscul. loc. comm. de minist. ecclesiæ.

d Luk. 11. 11.

e Plin. hist. natur. lib. 16. ca. 6. & 7.

f Dioscor. lib. 5. ca. 46. Plin. hist. nat. li. 34 ca. 13.

g De Rom pont. li. 2. cap. 20.

ſuos educant, vt nihil mirum ſit ſi perfidus iſte, qui citra Chriſti nomẽ parùm ſe apud Chriſtianos profecturũ intelligit ni Chriſti nomen ſe induat, & eius in terris partes agere præ ſe ferat. *Antiochus Epiphanes* in quo typum Antichriſti fuiſſe Antiquitas iudicauit, cùm regnum Ægypti *Ptolomeo* puerulo relictũ ſpe iam atq; opinione tanquam expoſitã ſibi prædã deuoraſſet, rem ſibi arte tractandam ſentiens, nonniſi tutorẽ ſe agere velle, & [h] *pueri rebus prouidere* ſimulauit. Verùm hoc prætextu *prudentes cogitationes eorum qui duces pueri erant, ſua fraude ſubuertens, Ægyptum omnem ſibi ſubiugauit*. Quidni Antichriſtum ipſum pari ratione facturum putemus, vt tutelæ nomine Chriſti regnum occupet, & dum ſe res Chriſti curare fingit, ſacrilega vſurpatione in rem ſuam omnia conuertat? Et Antichriſtum quidem cùm prætextu nominis Chriſti venturum ex illis [i] Antichriſtis conſtat quos *Ioannes* commemorat; *Pſeudapoſtolis, Ebionitis, Cerinthianis, Nicholaitis* & cæteris, quibus conſuetum erat omnibus Chriſtiani nominis velamenta conquirere, & contra Chriſtum Chriſti fidem & diſciplinam oſtentare. Quum enim per illos affirmat magnum illum quem quærimus Antichriſtum iam [k] tum in mundo extitiſſe, docet eiuſdem cum illis ingenij futurum, & talem eſſe epectandum qui ſpecimen quod in illis præceſſit imitetur & adimpleat, & nomen Chriſti contra veram Chriſti fidem, ſplendidiùs tamen & aſtutiùs mentiatur.

h Hieron. in Danie. cap. 11.

i 1. Ioan. 2. 18.

k 1. Ioan. 4. 3.

2 Hæc verò notatio nominis Antichriſti, ſi illam integram accipiamus, (qui volet, ſimpliciùs interpretetur Antichriſtum, Chriſto aduerſum) quadrat in illum optimè, quem eſſe verum illum Antichriſtũ (Deo iuuante) demonſtrabimus; Romanum dico Pontificem, qui ſe eſſe caput Eccleſiæ Chriſti, Chriſti vicem implere, Chriſti munus in terris obire gloriatur: ſe illum eſſe cui Chriſtus Eccleſiam ſuam *cum* [l] *plenitudine poteſtatis* (in qua regalis Chriſti honor eſt poſitus) *tradidit gubernandam*: interim verò Chriſtum quoad poteſt de regno deturbat; Chriſti leges refigit vt figat ſuas: Chriſti nomẽ relictũ in vocibus expungit è cordibus, vt pingat ſuum. vt plus reuerẽtiæ Pontifici habeatur Chriſti nomine, quàm ipſi Chriſto; plùs illius placito pareatur & iuri Canonico quàm Chriſti Euangelio; plùs metuatur fatuus ignis illius ſiue bullatus ſiue purgatorius, quàm ignis æternus. Quod autem excipit Bellarminus, Rom. Pontificem *non ſe hoſtem & æmulum Chriſti, ſed vicarium & famulũ profiteri*, planè

l Bulla Pij 5. contra Elizabetham reginam.

frigidum

frigidum est & puerile suffugiũ, cùm possit qui se vicarium prædicat, agere perduellem, & hostis esse qui voce tamen & vultu amicus est. Neque verò est vlla perfidia capitalior, aut cum Antichristi negotio coniunctior, quàm quæ mellitis verbis fraudem occultat; quæ dum osculum prætendit, gladium intorquet in viscera; dum inuitat ad epulas, venena præparat, & diræ mortis exitium meditatur & struit. Num illud (Bellarmine) Romanum Pontificem excusat quo minùs Antichristus habeatur, quia *se Christi famulum & subiectum Christo in omnibus fatetur?* Ecquid aliud agit hoc ipso quàm *Arius* & *Eutiches* & *Nestorius*; immo quàm *Marcion* & *Manichæus*, & reliqua omnis hæreticorum turba? quos si confodere velis tanquam mendaces & perfidos, necesse tibi est per illorum latera tuum quoque Pontificem vulnerare. Næ tu es argumentis miserrimè destitutus, qui tam stultè arguis; Pontifex se Christi famulum & ei se in omnibus subiectum fatetur; igitur Antichristus, id est, Christi aduersarius esse non potest: cùm sit hoc Satanæ familiare, [m] *transfigurare se in Angelum lucis*, & domesticis Christi hostibus, qualis est Antichristus, maximè compendio ad fraudem esse soleat, Christi se interim famulos, illiq; per omnia subditos profiteri: [n] *Non est vir in domo; non est Christus*, inquiunt, *corporaliter in Ecclesia: surgens enim à mortuis ascendit in cælum, nobisq; ministerium gubernandæ Ecclesiæ, suam videlicet domum reliquit.* Quod sibi Pontifex tuus, vt est hæreticorum omnium facilè princeps, speciali prerogatiua suũ esse prętendit. Cæterum vt dicam paucis, Antichristum certissimum est per summam hypocrisin rem acturum, vpote quem venturum edocti sumus * *in omni deceptione iniquitatis, ita vt * seducat, si fieri poßit, ipsos electos.* Quare dubitari non potest quin eam sit rationem adhibiturus, quæ est ad fallendum expeditissima & tutissima. Nulla est autem ad fraudem via procliuior & opportunior apud Christianos, qu[illegible] Christi se vicarium & famulum prætendat, & illius au[illegible] nia facere prę se ferat. Ita illum orbis Christianus pr[illegible] admittet, quem siquidem apertè se Christum ostentet, [illegible] tem sine dubio & impietati ac blasphemiæ tam manifestæ, repugnantem habiturus est. Neque enim possibile est, inueteratam per tot secula Nominis Christi celebritatem deperire subito, & ex animis hominum atq; opinione reuelli, vt nouo Christo, nuper nato, terræ filio cultus & veneratio deferatur. Quare quod

m 2.Cor.11.14.

n Hieron. in Prou.cap.7.

* 2.Thess 2.10.

* Matt.24.24.

quòd Pontifex se Christi vicarium & famulum prædicat, nihil impedimenti affert quominùs idem ipse sit Antichristus. Nam quod ais, Bellarmine, Antichristum affirmaturum se esse Christum, Pontificem autem non se Christum vllo modo dicere, aut ei se parem facere, falsum pariter & otiosum est. Nam Christum se aliquo modo dicit, qui se esse dicit [o] *sponsum &* [p] *caput Ecclesiæ*, quod nonnisi Christus est; se [q] *Christum nobis repræsentare qualis hîc erat inter homines; habere illud officium quod habuit Christus, cùm in terris inter homines humano more viueret.* Veruntamen vt se Antichristus Christum dicat, non vocibus agitur sed rebus ipsis. [r] *Non audio quid sonet*, ait Augustinus, *sed video quid viuat. Opera loquuntur, & verba requirimus? Quis enim malus non bene vult loqui?* Bene loquendo tegit improbitatem Antichristus, quam vsque ad cœlos opera proclamant, vt quantumlibet in Deum insaniat, tamen haud facilè illum orbis suspectum habeat artificiosa pietate Sirenum cantus dulcissimè modulantem. Cæterùm illa omnia quæ commemoras Antichristi propria, Christum abnegare, Se Christum prædicare, Extollere se supra omne quod dicitur Deus, postea demonstrabimus, non sono verborum, sed rerum momento ponderari, vt qui Christum ex cerebro suo fingit, aliamq; fidem Christi nomine conscribit; qui Dictatoria potestate diuina omnia sibi subijcit, & sua decreta cogit obseruantiùs quàm Christi præcepta seruari, qui denique sibi arripit quouis modo quod nonnisi Christi est, supra Numen se efferre, & se in Christi locum substituere dicatur, etsi non enunciet conceptis verbis, *Ego Deus; Ego sum Christus.*

o Extrau. Ioan. 22. cap. Cum inter. in glossa.
p Extrau. de maior & obed. cap. vnam sanctam.
q Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 5 cap. 4.
r August. in epist. Ioan. tract. 3.

3 Est autem aliud Antichristi nomen mystico numero præsignatum à Ioanne, cuius inuestigatio iam olim torsit antiquos, & doctorum hominum sensus plurimùm exercuit. De quo tamen aliquid in coniecturis illorum temporum Deus extare vo[luit, q]uod rectà nos, siquidem attendamus, ad illius mysterij explicationem deducat. Locus est apud *Ioannem* in Apocalypsi: [r] *Qui habet intelligentiam, computet numerum bestiæ: numerus enim hominis est; & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Vbi cùm *numerum hominis* appellat, talem proculdubio esse significat, qui ab homine possit ratione & ingenio peruestigari. Porro *numerum bestiæ* versu superiore, vt alibi quoque designat esse [s] *numerum nominis bestiæ*, vt sciamus infirma esse, nec constare posse quæ homines

r Apoc. 13. 18
s Apoc. 15. 2.

nes alioqui eruditi pro hoc numero siue ad initium siue ad durationem Antichristi applicando disputarunt.

4 Cæterùm de nomine Antichristi definiri nihil poterit, nisi illud primò expediatur, non proprium nomen & singulare requirendum esse quod vni tantùm conueniat, sed appellatiuum quod multis commune sit. Quod enim affirmat *Bellarminus* Antichristum [t] *vnum quendam hominem & singularem* esse debere, non à vero solùm, sed etiam à verisimili prorsus abhorret. Id vt constet, sciamus oportet visione [u] *bestiæ* apud *Ioannem* Romanę vrbis statum & principatum vniuersum designari. Quod post maximos authores *Bellarmino* quoque visum est, qui [x] bestiam illam *Danielis* in *decem cornua* exeuntem cum ista confundit, & disertè, quia sic necesse habuit, de Romano imperio interpretatur. Huius autem bestiæ *septem capita* numerantur, quæ ab Angelo de *septem regibus* Romanis exponuntur. Vbi de regum nomine semel & semper admonendum est, non eos tantummodo reges dictos esse qui communi stylo scribuntur reges & nominantur, sed principes quoscunque politicos qui summum penes se magistratum & regimen habent. Tales erant Romæ primò nomine ipso reges, post regis nomen expulsum Consules, Tribuni, Decemuiri, Dictatores quibus numerus regum quinarius expletur. De septem ergo illis regibus [y] *quinque ceciderant ante Christum*; *sextus in aduentu Christi eminuit*; septimus in occasu sexti venturus esset. Iam verò *quinque illi reges* qui ceciderant ante Christum, & *sextus* quem Christus regnantem inuenit, non singuli reges, aut sex homines singulares, sed principatus sex, & succedentium in singulis principatibus regum; hoc est, summorum illius reipub. moderatorum series & decursus intelliguntur. Quæ nunc ergò ratio persuadeat, vt cùm sex illa capita priora de regum successione singula accipiantur, septimum, quod Antichristũ omnes exponunt, de singulari homine tres duntaxat annos & sesqui regnaturo intelligamus? Quod quidem eò minùs probabile est, quia in septimo illo rege docemur [z] *imaginem* sexti esse repetendam. Imperium enim Romanum *Bestia* dicitur; Antichristi status *imago Bestiæ*. Status ergo Antichristi referre debet imperium Romanum, vt caput eius vnum sit, non vnitate personæ, sed singularum personarum vnius post alteram in eandem potestatem successione. Porro illa orbis dementatio qua gentes omnes & populos & reges inducet Antichristus,

t Cap. 2.

u Apoc. 13. 1. & 17. 7.

x Cap. 5. de Antichristo.

y Anglorhemen. annot. in Apoc. 13. 1.

z Apoc. 13. 14.

Antichristus, vt stupra cum ipso & fornicationes exerceant, non vnius seculi opus est, non opera vnius hominis, sed insinuata paulatim & sensim apostasia perficienda est. Quum enim [a] *fornicationes* legimus, quum meretricem audimus, non tam vim & coactionem, quàm sollicitationes, & blandimenta, & lenocinia, & meretricias artes cogitamus. Si repentè Antichristus nouum Deum ostentet, si fidem nouam procudat, noua mysteria obtrudat, refugerint illum gentes & abhorruerint, nec erit tam expeditum orbem terrarum peregrinitate dogmatum & fidei nouitate perculsum sacris suis hactenus inauditis obligare. Obstupescit enim ad motus repētinos animus humanus, & quæ conscientia religionis insederunt, haud facilè nisi tractu temporis & longa negligentia, & instillata quasi guttàtim malitia remouentur. Quod illi non animaduertunt qui Antichristum vnum hominem & triennalem nobis narrant, quem vix credibile est cum suis natiunculam vnam aliquam ab auita impietate tam subitò amouere, & ad sua nouarum deuotionum sacrilegia posse deducere.

a Apoc.17.2,5.

5 Quod tamen Bellarminus præ cæteris asserere conatur, Scripturarum testimonijs abutens vt fidem faciat Romano Pontifici nomen & rationem Antichristi conuenire non posse. Id affirmat primùm ex verbis Christi apud Ioannem: [b] *Ego veni in nomine patris mei & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Hic verò locus, *Bellarmine*, quid tandem ad Antichristum? Tu nomina quidem apponis quorundam qui de Antichristo illum exponunt, sed non mouemur nuda nominum authoritate sine momento rationum: quanquam rationem quoque afferre videri vis, cùm verè nullam afferas. *Dominus*, inquis, *opponit sibi alium hominem, hoc est, personæ personam, non regnum regno, nec sectam sectæ, vt patet ex illis vocibus, Ego, alius: me, illum, in nomine meo, in nomine suo, sicut ergò Christus vnus & singularis homo fuit, ita quoque Antichristus esse debet.* At qui tandem constabit hîc personam personæ, hoc est, vnum vni opponi debere? Christus quidem vnus est, nec potest intelligi præterquam vnus: at *alius à Christo* infinitam habet significationem, & poterit hunc & illum & alterum notare, & distributiuè omnem qui Christo aduersus est. Itaque clarissima exit sententia, *si alius venerit in nomine suo*, hic aut ille aut quicunque illum recipietis. Et *alium* quidem cùm dicitur numero singulari,

b Ioan.5.43.

lari, pluraliter tamen intelligi posse patet ex eo quod alibi legimus apud Ioannem; vbi quod dicit Christus, [c] *Alius est qui seminat, alius qui metit*, mox mutata sententia reddit: *Alij laborauerunt & vos in eorum labores introistis*. Et Apostolus Paulus vbi Iudæum appellat [d] *ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium*, pluralia ista *cæcos, tenebricosos, insipientes, infantes* numero singulari concludit, *Tu qui alium doces, teipsum non doces*. Christus quoque cùm dicit: [e] *Ego sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis: Mercenarius autem videt lupum venientem & dimittit oues & fugit*; an quia sibi vni & singulari *Mercenarium* singulari quoque numero opponit, idcirco tibi vnam aliquam & certam personam mercenarij vocabulo notare videtur? Quod si non dixeris & vtique non dixeris, nec illud nisi peruersè asserere poteris, *aliū* in verbis Christi de vnico tantùm homine sumi debere, quia Christus se singularitèr ex vna parte nominat, *alium* ex altera. Quid autem moramur qui teipsum habemus contra te confitentem, *alium* istum de multis accipi oportere? Tuipse namque de Antichristo exponis quod apud Matthæum legimus: [f] *Multi venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus*. [g] *Matthæi*, inquis, *vicesimo quarto Antichristus dicitur affirmaturus seipsum esse Christum*. Quod si de Antichristo exponendum sit, *Multi venient in nomine meo, &c.* certè Antichristus non vnus & singularis, sed alius & alius in multitudinem vsque intelligendus est. Et est quidem in altero horum locorum alterius explicatio, & quod apud Ioannem legitur, *si alius venerit in nomine suo, &c.* idem ipsum est quod apud Matthæum habetur, *Multi venient in nomine meo, &c.* Vtroque notantur propriè præstigiatores illi qui Iudæis postea fraudem fecerunt, quales fuisse legimus *Simonem Magum*, & *Theudam*, & Ægyptium illum, & *Barchocebam*, & reliquos illos magos & impostores, qui dum se Christos & Prophetas & liberatores confictis quibusdam miraculis ostentarunt, cæcam & insanam Iudæorum turbam ad seditiones incitarunt, & hostium manibus perdendos tradiderunt. Et hoc quidem iustissimo Dei iudicio, vt qui verum Messiam & seruatorem impiè repudiassent, quasi veterno quodam correpti & communi sensu quodammodo priuati, vltrò se nefarijs seductoribus illudendos exhiberent. Quæ autem videtur illorum locorū repugnantia, *Multi venient in nomine meo*, & *alius veniet*

c Ioan.4.37.
d Rom.2.19.
e Ioan.10.11.
f Mat.24.5.
g Cap.1. de Antichristo.

in nomine suo, facilè conciliatur, si prout *nomen* ambiguæ significationis est, in altero loco intelligamus nebulones illos sibi quemque Christi seu Messiæ nomen indituros: in altero venturos illos non patris nutu, imperio, voluntate, tanquam illius voluntatem Christi exemplo facturos, sed motu suo, suo cerebro, & sui furoris amentia impulsos. Quo tollitur altera exceptio *Bellarmini* ludentis, vt solet, amphibolijs, & lectori caliginem offundentis. *Omnes*, inquit, *Falsi Prophetæ venerunt in nomine alterius, non in nomine suo.* Ier.14 *falsi Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos. At hîc dominus loquitur de vno quodam qui veniet in nomine suo, id est, qui non agnoscet deum aliquem, sed extollet se, vt Paulus ait, super omne quod dicitur Deus.* Atqui non debebas, *Bellarmine*, Christum cum falsis prophetis coniungere pro via mendacijs tuis & fraudibus munienda. Certè quod Christus ait, *Ego veni in nomine patris mei*, & quod alibi quoque

h Mat.21.9. de Christo dicitur: [h] *Benedictus qui venit in nomini domini*, diuisum quiddam habet & proprium quod falsis Prophetis attribui non potest. Vaticinantur illi quidē in nomine Domini, quia nomen Domini vaticinijs suis obtendunt, semper habentes in ore,

i Ezech.13.6.7. [i] *Hæc dicit Dominus.* Sed *non misi eos*, dicit Dominus, eoque veniunt *in nomine suo*, nullius scilicet præterquam sui nominis authoritatem habentes. Christus ergò venit in *nomine patris*: missus scilicet à patre, mandatum habens à patre, virtute patris suffultus & verè munitus authoritate nominis illius Quod ergò dicitur *alius veniet in nomine suo*, ad legem oppositorum intelligendum est: veniet nimirum suis auspicijs, arbitrio suo, nullum habens à Domino mandatum quo nomen eius iustè pro se opponere, sibique fidem & authoritatem vendicare possit. Quod cùm pseudoprophetis omnibus commune sit, nihil est cur hîc statuas disignari aliquē qui hoc iudicio à reliquis omnibus discriminandus sit. Immo venturum Antichristum more pseudoprophetarū omnium *in nomine domini*, tuipse non diffiteris, qui de Antichristo accipis, vt suprà dictum est, quod habetur apud Matthæum: *Multi venient in nomine meo, &c.* & inde colligis quòd *Antichristus seipsum esse Christum affirmaturus sit.* Quòd si sepulto suo nomine, Christi sibi nomen & Dei, vt tu vis, arrepturus sit, & se Christum ac Deum affirmaturus, quò vestra omnium defensio semper tendit, qua tu illum ratione *in nomine suo* venturum interpretaris, nisi quam à nobis habes traditam

loci illius sententiam sequaris? Ineptissima est enim expositio tua; *veniet in nomine suo,* id est, *nullum Deum agnoscet sed extollet se, &c.* cùm eum defendas dei nomen vsurpaturum vt extollat se, quia in suo nomine non satis se præsidij habiturum confidet. Quàm verò falsò affirmes Antichristum Deum nullum agniturum, postea, si Deus voluerit, demonstrabimus suo loco. Interim vbi ais, *Christus hic dicit, Antichristum à Iudæis pro Messia recipiendum: constat autem Iudæos vnum & certum hominem singularem expectare*, præsumis arte sophistica quod tibi probandum esset, & de quo probationem nullam afferre potes. Neq; enim quicquã habes vel hîc vel alibi de scripturis quo confirmes Antichristum à Iudæis pro Messia vel quoquo modo recipiendum esse. Hunc autem locum de multis illis intelligi Iudæorum Pseudochristis magnarum illis calamitatum authoribus iam declaratum est, vt nihil adhuc habeas quo singularem tuum & solitarium Antichristum propugnare possis.

6 Quod verò proximè affers de Græci articuli potestate, ita mehercle puerile est & ineptum, vt planè pudere debeat te tantum hominem tam supra modum delirare. *Apostolus,* inquis, *ad* Thessalonicenses loquens de vero Antichristo, loquitur de certa quadam & particulari persona, vt patet ex articulis græcis, ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας: ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας: ὁ ἄνομος &c. vt enim docet *Epiphanius, articuli græci contrahunt significationem ad vnam rem certam, ita vt* ἄνθρωπος *significat hominem in communi,* ὁ ἄνθρωπος *hominem singularem. Epiphanij* verò sententia, *Bellarmine*, longè aliter se habet quàm tu vrges: [k] *Vbi,* inquit, *articulus additus est in vno aliquo determinato ac manifestissimo, omnino confirmatio propter articulum contingit. Citra articulum verò de vno quocunque tandem indefinitè accipiendum est: veluti verbi causa, si dixerimus* βασιλεύς, *id est, rex, nomen quidem significauimus, sed non clarè eum qui determinatur, ostendimus. Regem enim dicimus & Persarum & Medorum & Elamitarum: si verò diximus addito articulo,* ὁ βασιλεύς, *minimè ambiguum est significatum. Nam rex de quo quæritur, aut de quo dicitur, aut qui cognoscitur, aut alicuius imperium habens per articulum indicatur. sic etiam cùm dixerimus* ἄνθρωπος, *id est, homo, &* ὁ ἄνθρωπος. Iam quod *Epiphanius* eruditè monet, tu improbè peruertis, & manifesta fraude, quod apud illum est *certum & determinatum*, tu indiuiduum & singulare esse prætendis. Verum quidem est quod ait *Epiphanius*, vbi de re certa & determinata agitur, rem illam certam

k. Epiphan. hær. 9. Samaritæ.

certam de qua dicitur, aut quæritur adiectione articuli demonſtrari ſolere. Non eſt verum quod tu affers, vbicunque reperitur articulus adiunctus rem certam demonſtrari, aut quæ certa demonſtratur, indiuiduam & ſingularem eſſè oportere. ἄνθρωπος hominem communitèr notat, & totam ſpeciem comprehendit: articulus adiunctus, ὁ ἄνθρωπος, interdum abundat & reſtringendi

l Luc.4.4. vim nullam habet, vt Luc.4 4. οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος: [l] *Non ex ſolo pane viuet homo:* interdum hominem certum & indiuiduũ

m Ioan.19.5. quaſi digito monſtrat, vt *Ioan.19.5.* [m] ἴδε ὁ ἄνθρωπος: *ecce homo:* interdum certæ rationis aut cõditionis hominem hunc aut illum

n Matt.12.35. indefinitè ſignificat, vt *Matt.12 35.* [n] ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος &c. ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά: ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος &c. ἐκβάλλει πονηρά. *Bonus homo &c. profert bona: malus homo &c. profert mala.* Qua tu ergò fronte dicis propter adiunctum articulum nonniſi ſingularem hominem intelligi debere? Cæterùm vt liqueat tibi error tuus, & tergiuerſandi locus nullus relictus ſit, verte mihi epiſtolam ad Hebræos, vbi capite

o Heb.9.7. nono ita legeris: [o] *In ſecundum (tabernaculum) ſemel quotannis*

p Verſ.25. μόνος ὁ ἀρχιερεύς, *ſolus pontifex ingreditur.* Et iterum ibidem: [p] *Non vt ſæpe offerat ſemetipſum,* ὥσπερ ὁ ἀρχιερεύς, *ſicut pontifex ingreditur in ſacrarium quotannis &c.* Nonne vides, licet addito articulo, non vnum aliquem è Pontificibus, ſed totam Pontificum ſeriem & ſucceſſionem denotari? Quid ni ergo ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας &c. non vnum aliquem hominem & ſingularem, ſed certam hominum ſeriem deſignet in eadem cathedra peſtilentiæ ſibi inuicèm ſuccedentium?

7 Eadem opera ruit quod aſtruis ex Epiſtola *Ioannis. Primæ* Ioannis *ſecundo*, inquis, *ſic legimus*, ἠκούσατε ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασι: *vbi articulum*, inquis, *præponit Antichriſto propriè dicto: ſine articulo verò effert nomen Antichriſti communitèr accepti: apertiſſimè indicans Antichriſtum propriè dictum eſſe vnam perſonam certam: Antichriſtum verò communitèr acceptum non eſſe certam perſonam, ſed in genere omnes hæreticos.* Nos verò libentèr tibi concedimus articulo vim reſtrictiuam attribui debere, vt ὁ ἀντίχριστος certum quendam Antichriſtum deſignet, ab illa Antichriſtorum promiſcua turba diſtinguendum. Immo ſi id velis tuis verbis, agnoſcimus certam hîc perſonam indicari. Nam in corpore ciuili vel Eccleſiaſtico, quale eſt de quo nos agimus, certa perſona non vno continetur hominis indiuiduo, ſed hoc aut illo loco perpetua ſucceſſione quemcunq; deſignat. Singuli homines

homines moriuntur, corpus manet & membra certis officijs & nominibus distincta. *Moses*, vbi scripsit in lege, q *adducendum esse ad sacerdotem qui de lepra mundatus est*, certam personam vocabulo *sacerdotis* indicauit; vnicum hominis indiuiduum non dixit. Qui ministrum Ecclesiæ in certis causis consulendum præscribit, personam definit certam, quam tamen subeunt successiuè plures homines singulares. Nos ergò certum illum Antichristum, siue certam personam quæ Antichristi vocabulo subiacet, Pontificem Romanum esse contendimus, nec tibi grammatica tua quicquam subsidij feret quominus vt ὁ ἀρχιερεὺς de tota serie Pontificum Iudæorum, ita ὁ ἀντίχριστος de tota Pontificum Romanorum successione dici possit. Quum verò pronomen *ille* vim græci articuli ad viuum exprimat, quid est quod dicere quemquam impediat de Romano Pontifice, Ille, ille est qui Ecclesiam vexauit & perdidit; qui legibus suis Christi leges euertit: qui imperatores & principes calcauit, vt citra impedimentum in Ecclesia tyrannidem exerceat; qui tamen non singularem aliquem Pontificem, sed integrum apostatarum illorum ordinem velit intelligi? Quanquam vt argumentũ tuum futile & ineptum esse sciatur, illud porrò obseruamdum est, Antichristi nomen adiuncto articulo interdum efferri, vbi tamen de magno illo Antichristo magis quàm de cæteris intelligi non debet. Locus est 1 Ioan. 2. r *Quis est mendax nisi qui negat Iesum esse Christum?* οὗτός ἐστιν ὁ ἀντίχριστος: *hic est Antichristus*. Et alter Epist. 2. f *Multi impostores ingressi sunt in mundum qui non confitentur Iesum Christum in carne venisse:* οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος. *Hic est seductor & Antichristus*. Quibus locis manifestum est *Ioannem* de illorum quoque temporum hæreticis agere, & nomine τοῦ ἀντιχρίστου nihil aliud velle quàm pro egregio quodam impostore & Antichristo habendum esse quemlibet eorum quos permultos fuisse narrat, qui negarent Iesum esse Christum, vel Iesum Christum in carne venisse. Tantum verò abest vt ibi vnus ille tantummodo Antichristus intelligendus sit, vt t loca illa *Augustinus*, *Oecumenius*, *Aquinas*, ex glossa communi de *Simone Mago*, de *Valentino* hæretico, de *Iudæis*, de omnibus exponant qui *mandatis domini Iesu Christi obtemperare contemnunt*. Quare tu fumos nobis vendis, *Bellarmine*, planè dignus qui fumo pereas. Et tamen quasi magnum aliquid attulisses, nescio qua perfrictæ frontis impudentia dicere non vereris: *sanè mirum est neminem aduersariorum qui tamen*

q Leuit. 14. 2.

r 1. Ioan. 2. 22.

f 2. Ioan. ver. 7.

t August. in 1. Ioan trac. 3. Oecumen. Thom. Aquinas in 1. Ioan. ca 2. & in secundam.

men linguarum peritiam iactant hoc animaduertisse. Ego verò tibi respondeo quod olim *Augustinus Iuliano :* [x] *Doleo sic te abuti eorum ignorantia qui græcè nesciunt, vt eorum qui sciunt iudicium reueritus non sis.* Quid enim? An tibi pro argumento esse debuit in causa grauissima, quod puerulus quisque de schola coarguit & falsum esse deprehendit? Atqui mendacia nisi de mendacijs fulcimentum non habent, & [y] *qui semel verecundiæ fines transierit, cum oportet benè & gnauitèr esse impudentem.*

x August. contr. Iulia. Pelag. li. 5. cap. 2.

y Cicero. fam. epist. li. 5. ep. 12.

8 Quod porro adducis loco quarto & quinto ex *Daniele* & *Ioanne, Antichristum non vocari vnum regnum sed vnum regem,* vt illum vnum hominem esse confirmes, pariter vt cætera, otiosum est & causæ tuæ debilitatem prodit. Certum est enim apud *Danielem quatuor reges,* non quatuor homines reges, sed quatuor regum series indicare; & eodem modo, *vnum regem,* non vnum hominem regem, sed totam regum in vno principatu successionem designare. Quare quod est Hebraicè, *quatuor reges,* vulgata versio tua [z] *quatuor regna* vertit, vt eôdem recurrere intelligas, siue quatuor reges, siue quatuor regna interpreteris. Illud quoque in confesso est [a] *vnius regis* appellatione apud *Ioannem,* aliàs binorum consulum, aliàs tribunorum & decemuirorum plurium decursus, aliàs totam Romanorum imperatorum successionem sigillatim comprehendi. Ergò etsi Antichristus more scripturæ *vnius regis* appellatione notetur, nihil tamen obstat quominus vt in cæteris, ita in Antichristi regno successio multorum esse possit.

z Dan. 7. 17.

a Apoc. 17. 10.

9 Sed tamen ais ex *Caluino,* cui adiungis quoque *Cyprianum* & *Hieronymum,* Antiochum *illustrem apud* Danielem *figuram gerere Antichristi. sed* Antiochus *Illustris certa quædam & singularis persona fuit: igitur Antichristus certa quædam persona esse debet.* Id verò assentimur eo sensu quo antè dictum est, & est Romanus Pontifex certa semper & singularis persona, vt nihil in eo sit cur illum non arbitremur esse Antichristum. Tuo sensu, vt Antichristus vnicus homo sit, seipso contentus & successorem non habens, falsissimum est, & ab argumento tuo sequelam non habet. Neque enim necesse est in typo numerum præcedere, sed rationem & modum rei figuratæ. Vnus *Abel,* teste *Augustino,* [b] *totam Dei ciuitatem peregrinantem in terris, & ab impijs aduersa patientem præfigurat. Hieronymus* apud *Malachiam* in vno *Elia* [c] *chorum omnem Prophetarum intelligit.* Tibi *Melchisedec* sacerdotij

b August. de ciuit Dei. lib. 15. cap 15.

b Hieron. in Malac. cap. 4.

cerdotij figura est, non solum Christi, sed etiam [d] Christianorum, vt te quoque impiè facias sacerdotem secundùm ordinem *Melchisedec*. Quòd si in vno typus multorum esse possit, quid obstat quominus vnus *Antiochus* Antichristum loco quidem & officio vnum, personarum verò successione multiplicem adumbret? Et certè habet illa *Antiochi* historia quiddam coniunctum cum Antichristo, nec omninò repudianda censemus quæ antiqui patres ad hanc causam accommodarunt, modò ea mittamus quæ quia sunt personarum & locorum & temporum illorum circumstantijs quasi vinculis ligata, contineri debent finibus suis, nec trahenda sunt vltra historiam cum qua propriè coniuncta sunt. Quod illi dum non attenderunt, & omnia omninò in Antichristo locum habere iudicarunt, quædam finxerunt de prælijs & regnis Antichristi, quæ mirum est à tantis viris tanta negligentia vel cogitari primùm vel postea confirmari potuisse. Vt autem typum hunc Antichristi rectè capiamus, animaduertendum est voluisse Deum vt in populo Iudæorum, & in vrbe & in templo Hierosolymitano singulare quoddam specimen Ecclesiæ futuræ, & imago Templi spiritualis elucerет. Quando ergo regnum Antichristi funestum ecclesiæ & fatale esse debebat, eatenus in *Antiocho* statuimus Antichristi typum esse debuisse, quatenus illi cum sanctuario & populo Dei, in quibus ecclesiæ figura præcessit, negotium & res esset: quod extra hunc ambitum est, nulla ratio est cur putemus ad Antichristi typum pertinere. Itaque quæ de *Antiochi* furioso numinis despectu, de cultu Dei & iugi sacrificio abolendo, de deo alieno & patribus ignoto substituendo; de sanctuario polluendo & prophanando; de immani illius superbia & sanctorum persecutione dicta sunt, ea non incommodè possunt post *Antiochum*, vt pòst videbimus, ad Antichristi tyrannidem & impietatem accommodari. In reliquis verò multa sunt quæ de *Antiocho* facilem habent expositionem, & de veteris historiæ luce perspicuam; de Antichristo nonnisi coactam & violentam, nec vllo modo cum veri Antichristi ratione congruentem. Iam quæ postremò *Bellarminus* affert, *Antichristum instrumentum diaboli electissimum fore, ita vt plenitudo omnis malitiæ in illo inhabitet, & eum tres duntaxat annos & dimidium regnaturum*, eorum alterum verum esse postea docebimus, & in Romano pontifice comprobatum: alterum omninò falsum, nec posse conuenire cum Antichristo illo

[d] De Missa. lib. 1. cap 6.

 quem

quem ſcripturæ nobis expectandum proponunt.

10 Poſtquam ergo conſtat Antichriſtum vnum aliquem hominem & ſingularem eſſe non poſſe, ſequitur nomen illius non perſonale & proprium, ſed appellatiuum & ab adiuncto aliquo ſumptum eſſe debere. Id *Ioannes* numero contineri ſignificat: [c] *Numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex*. De illo numero *Irenæus* ſui temporis coniecturas exponit quæ in euentu rerum habent omnes aliquid quod animaduerſione noſtra dignum ſit: vna de ſcripturis illam habet lucem vt certam illa veritatem contineri non dubitem. [f] *εὐάνθας nomen*, inquit, *hunc habet numerum*. Idem eſt acſi dicas: *fæliciter & pulchrè florens*, & ſtatum regni Pontificij luculentiſſimè deſcribit, ditionis amplitudine, plenitudine poteſtatis, immenſitate opum, ædium magnificentia, ſatellitum ſplendore, delicijs hortorum, agrorum vbertate, pratorum amœnitate vbique fere orbis terræ florentiſſimum. Certè quicquid habet hic mundus delicatum & ſuaue, ſiuè immunitatem laboris & otij quietem; ſiue opiparam & exquiſitam ferculorum & epularum inſolentiam; ſiue venerum dulces ſine vinculo varietates; ſiue ſpectabilem multitudini pompam & gloriam: quicquid deniq; ineſcandis ſeruit hominibus & libidini titillandæ, id totum in Pontificis caput & clientelam effuſũ eſt, ita vt habitus ille etiam qui mundi renuntiationem adpromitteret, maximis alumnos ſuos ſeculi voluptatibus & vitijs innutriret.

c. Apoc. 13. 18.

f Iren. aduer. hæreſes. lib. 5.

11 Alterum nomen apud *Irenæum* eſt τεῖταν quod ille putat *omnium fide digniſſimum, quia diuinum nomen putatur, vacabulum ſolis, nomen idolorum quæ apud Græcos & Barbaros publicè adorantur, continens oſtentationem quandam vltionis & vindictæ*. Quàm ſcitè verò depingit idolum illud Romanum quod tam importunè, tam impiè venerantur: illum quem Iubilæos & ſolemnitates agentem tanquam Peſſinuntiam quandam deam ſublimem humeris circumgeſtant, prælato ſibi ſacramento tanquam igne *Perſico*; illum qui ne nomine ipſo carere videatur, *ſe* [g] *maius illud luminare*, hoc eſt, ſolem eſſe gloriatur, *quod diei*, hoc eſt eccleſiæ regendæ conſtitutum eſt: qui Gigantæa magnitudine columnas ipſas orbis terrarum quaſſauit & fregit: & ſuperba vindictæ libidine principes & magnates ita perterruit, vt vix in aduerſum hiſcere aut mutire auderent. Hæc verò etſi diuina quadam prouidentia concepta & conſcripta videri poſſunt, & non numerum modò propoſitũ expleant, ſed illius etiam quem

g. Decret. Greg. de maior. & obe. cap. ſolitæ.

Antichriſtum

Antichristũ esse dicimus formam quandam & imaginem ad viuum exprimant, non habent tamen è scripturæ fundamentis illam authoritatem vt in ijsdem prorsus acquiescere possimus.

12 Tertium vocabulum λατεῖνος rationem habet manifestam & dilucidam, & è vaticinio *Ioannis* vltrò profluit, vt non sit dubitandum quin Antichristus hoc ipso nomine dijudicandus sit. λατεῖνος, inquit ille, *numerum habet sexcentorum sexaginta sex, & valde verisimile est, quia verissimum regnum hoc habet nomen. Latini enim sunt qui nunc regnant.* Vbi qui rationem appositam diligenter expenderit & cum *Ioannis* historia contulerit, facilè ille senserit Irenæum ad veram intelligentiam nominis Antichristi quàm proximè peruenisse. Ego certè non dubito quin tota illa posterioris bestiæ descriptio, *Apoc.13. ver.11. & seq*, ab eadem repetita visione *Cap. 17.* lucem & interpretationem habere debeat. Ibi verò Antichristum intelligimus *regem* quendam futurum eo sensu quo antè dictum est. Atqui rex à regno nomen habet; vt Anglus, Gallus, Hispanus à suis quiq; regnis nomen obtinent. Itaque Spiritus sanctus postquam nomen Antichristi certo quodam numero contineri docuisset, quod quia regem illum esse oporteret, de regno eius sumendum esse, facilè quiuis intelligeret, regnum quoque designare voluit quod nomine suo numerum illum præstaret; in quo porro regnum Antichristi firmandum esset; ac proinde ex quo nomen eius petendum & totum illud mysterium explicandum constaret. Regnum autem Romanæ ciuitatis apertè describit. Eius enim & non alterius cuiusquam sunt septem montes de quibus ait: [h] *Septem capita* h Apoc.17.9.
sunt septem montes super quos mulier sedet. Inde Romanos *Tertullianus* [i] *vernaculam septem collium plebem* appellat. Inde sacrum i Tertul. in Apol. cap. 05.
illis & solenne [k] *septimontium, dies festus mense Decembri, quo in* k Tertul. de idolatria. Annotat. in Tertul. ex Festo & Sueton.
septem montibus sacra fiebant. Neque verò quicquam apertius esse potest ad Romanam ciuitatem notandam, quàm quod habetur in fine capitis: *Mulier quam vidisti, magna ciuitas est, quæ regnum habet super reges terræ.* De illo regno Romano Irenæus: *Verissimũ regnum hoc habet nomen,* λατεῖνος: *Latini enim sunt qui nunc regnant.* Regnum ergo de quo loquitur *Irenæus*, est bestia illa quam describit *Ioannes* in Apocalypsi. λατεῖνος autẽ nomen est verissimi illius regni quod memorat *Irenæus* [illegible] ergo nomẽ est bestiæ illius quam *Ioannes* describit in Apoc[alypsi]: [l] *Indicatum est autem Ioanni*, ait Athanasius, *ex* [illegible] *se Antichristum.* Et l Athan. in synopsi.

id

id quo tandem modo indicatum est? Hoc ipso, nempe quòd Antichristus suo loco & tempore caput illius bestiæ futurus narratur. Nam *septimum caput bestiæ* nemo est qui Antichristum non intelligit. Cùm verò caput illum futurum constet eiusdem bestiæ cuius erant sex priora capita, quam regnum Latium siue Romanum esse manifestum est, caput eum futurum constat regni Latini, & Romanæ ciuitatis principatum habiturum. Priùs verò quàm septimū illud caput exurgeret, regnum Romanum, orbis imperio celeberrimum, coarctandum erat suis finibus, & orbis imperio destituendum. Quo facto, suos Christus admoneri voluit Antichristum illum fore, qui post imperatorem, sextum regem regni Latini, septimus in eo successor futurus esset: ad quem, inquam, regnum Latinum, succiso capite sexto, dominatu iam orbis amisso perueniret. Iam verò regnum Romanum siue Latinum præter Pontificem nemo iamdiu possidet. Ille vrbem Latinam seu Romanam occupauit, & imperatore prorsus extruso, mentita donatione suam & sui tantùm iuris esse denunciat, [m] *Romanam ciuitatem cum ducatu suo, & suburbanis & territorijs eius montanis & maritimis, littoribus & portubus; seu cunctis ciuitatibus, castellis, oppidis ac villis in Thusciæ partibus, &c.* Hac ratione *Bellarminus* illum [*] *principem politicum esse, & gladio temporali* territorio Romano præesse, & iure quoque posse præesse defendit. De Antichristo ergo quid hæsitemus, qui principem Latinum inuenimus, quum ex principatu Latinæ gentis post imperatorem agnoscendus sit Antichristus? Certè qui Latinum & septimum audimus, de Antichristo, nisi sponte velimus, errare non possumus. Qui de regno Latino futurum Antichristum intelligimus, & illius regni septimo principatu potiturum, sextum verò principatum cum imperatore Romano successisse; citra omnem controuersiā stare videmus, quòd Pontifex Romanus, Christi se vicarium ostentans, ipsissimus sit Antichristus. Qui vt sibi nomen hoc haud frustra inditum esse confirmet, de nomine suo suos omnes Latinos, sua omnia Latina esse vult. Inde Ecclesia ab illo dependens *Latina Ecclesia* dicta est. [n] *Sedes Apolica Ecclesia Latina est.* Liturgia publica Latina esse præcipitur: preces in vsu priuato Latinæ sunt; fora Latina, Latina diplomata; scripturæ [o] authenticæ ex concilii decreto nonnisi Latinæ. Denique ita totus in Sacris Latinus est, vt vulgo nostro consuetum sit, veterem, vt [illegible] Ecclesiæ ritum, *Latinæ Legis* vocabulo commen[illegible]

m Dist. 63. Ego Ludouicus.

* Bellarm. de Rom. Pont. lib. 5. cap. 9. & 10.

n Constantinop. synod. 8. Sub finem.

o Trident. concil. sess. 4. cap. 2.

13 Restat nunc Bellarminianas exceptiones examinare, quibus fidē huius nominis quoad potest euertere conatur. Ac primò de coniecturis istis non inquirimus quæ sit *Irenæo* probata maximè, sed quā inueniamus cum sacris oraculis & rei veritate maximè congruentem. Rationē habet hoc nomen de Scripturæ fontibus petitā, reliqua non habent. Sed tamen Bellarminus, *coniectura*, inquit, *Irenæi quæ tunc aliqua erat, modò nulla est.* Quid ita verò? *Ipse dicit probabile esse Antichristum vocandum Latinum, non quia dominabitur in Latio, sed quia Latini erant qui tunc regnabant latissimè, & orbem totum tenebant.* At ineptè cur illud interponis, *non quia dominabitur in Latio?* An tibi tam expers mentis videtur *Irenæus*, vt Antichristum Latinum putaret dicendum quia Latini tum regnum habebant, cùm tamen ipsi cum regno Latino nihil rei futurū esset? Certè nomen Antichristo dabunt res suæ non alienæ: nec vel fingere potes, cur ille Latinus appellandus *Irenæo videretur*, nisi quia regnū Latinæ gentis ei cessurum esset. Perge verò *Cùm enim Antichristus potentissimus rex esse debeat, sine dubio occupabit potentissima regna quæ tunc inueniet.* Et erit quidem Antichristus rex potentissimus, non tamen imperij iure, non ciuili ditione regni temporalis, quia simul cum illo decem reges ex imperio iam dissipato exituri sunt, & suis quique regnis simul cum illo potituri: sed potestate alterius cuiusdam iurisdictionis, cuius nomine [p] *potestatem suam ei subdituri sunt*, & ceruices suas quodammodo præbituri. Quæ tu vltrà somnias de regnis & potentia Antichristi, nonnisi mera figmenta sunt, & firmamentum nullum habent. Ecquid ampliùs? *Potentissimum autem regnum est Latinorum*, ait Irenæus. *Ipsi enim nunc verissimè regnant.* Tu tandem quid ad hoc? *sanè coniectura ista hoc tempore nihil valet. Nam Latini non amplius regnant in toto orbe terrarum: sed Turcæ sunt qui verissimè regnant, & apud nos Hispani & Galli.* Bene habet: ita tu tandem tuo fune strangularis. Verè dicis, quanquam contra te, Latinos regnum orbis terrarum non amplius tenere. Nam illud quidem frangi oportuit, vt pòst dicemus, vt locus daretur Antichristo. Postquam ergò cecidit regnum illud, & locus Antichristo ex illo tempore factus est, cur tu, quod inde necessariò conficitur, venisse Antichristum fateri detrectas? *Regnant Hispani, Galli, &c.* quia imperij Romani prouincias in decem regna dispertiri. Atqui verò simul cum illis regnis regnum Antichristi eminere oportuit. Cur tu ergò qui reges illos agnoscis,

Antichristum

p Apoc. 17. 13. 17.

Antichristum adhuc exoriturum expectas? Inter hanc verò imperij Romani dissipationem Roma ipsa neruus regni Latini regno iam orbis exuta cui cecidit? Cui nisi Pontifici? qui regalia eius omnia obtinuit & totam sui iuris esse contendit, vt Romani regem suum, id est, Latinum præter Pontificem norint nullum. Itaque quoscunque authores habuit *Irenæus*, certè temeraria illorum coniectura non fuit, qui quum agnoscerent Antichristum diuulso imperio in regno merè Latino succedere debuisse, *Latini* nomen Apocalyptico illo numero implicatum censuerunt, vt inter multos reges ex imperij prouincijs eminentes qui rex Latinus esset, eo modo quo dictum est, cui cæteri reges non imperij nomine, sed, quod experti sumus, Ecclesiæ obsequium præbituri essent, hunc omnes tanquam carbone notatum horrerent, & ipsum esse Antichristum iudicarent.

14 Adhuc tamen repugnat *Bellarminus*: *Nomen* inquit *Latini vt significat Romanum non scribitur per* ei, *sed per simplex* iota, *& tunc non reddit illum numerum*. At si ad antiquam linguæ Latinæ scripturam recurramus, friget exceptio tua, *Bellarmine*, nec labefactat vllo modo sententiam nostram. Nam *i* longum, vt obseruauit Io. Scapula, [q] *proferebatur antiquis Romanis vt hæc diphthongus* ei *& e inclusum habebat*, quod animaduertit ille *tempore Ciceronis vsitatum fuisse, & vetustiores Latinos, vbi* i *longum esset, semper* ei *scripsisse, & in vetustis inscriptionibus hanc scripturam extare, celeberrimei, veis, preimus, pro celeberrimi, vis, primus: & in numismatis antiquis leibertas, Serueilius, eidus*; quæ nobis sunt *libertas, Seruilius, idus &c.* Inde *Quintilianus*: [r] *Diutiùs durauit vt* e. i *iungendis eadem ratione qua Græci* ει *vterentur*. Et hoc à *Lucilio* Grammatico in præcepto datum ait: *Iam puerei venere,* e *postremum facito atque* i. *Mendacei, fureique addes* e, *quum dare furi iusseris.* Quod [s] ex Nigidio quoque Iulius Scaliger obseruauit. Ergo quum Latinus per *i longum* efferatur, & *i longum* ex antiqua pronunciatione idem valeat atque *ei*, certè qui græcè scribit Λατεῖνος, nihil nouum adducit, sed veteris orthographiæ regulam seruat. Etsi verò illa scripturæ ratio iam olim exoleta esse cœperit, & ea nunc per *i* dicantur, in quibus *ei* antiquitus sonare consueta est, tamen vt *i* nostrum eandem vim habere videatur, vsus obtinuit vt [t] quæ græcè scripta sunt per *ei* sequente consonante, ea nos vbi Latina facimus, plerunque per *i longum* enunciemus, vt Ἀτρείδης, Atrides: Ἀριστείδης, Aristides: εἰκονία, Iconia:

εἰκὼν,

q Ioan Scapula in append. ad Lex. con de recta pronunciat. linguæ græcæ. Idem Iustus Lipsius de vet. pronunciat. cap. 8.

r Quintil. institut. Rhet. lib. 1. cap 7.

s Iul. Scalig. de causis ling. latinæ, lib. 1. cap. 21.

t Iul. Scalig. de causis ling. lati. lib. 1. cap. 27.

εἰκόνες, Icones: εἴδωλα, idola: & sexcenta huiusmodi. Vicissim ergo de Latinis græca facientes, i longum percommodè reddimus per diphthongum *ei*, vt non λατῖνος sed potiùs λατεῖνος ex veteri consuetudine rectè scribatur.

15 Vbi porro dicis nomen λατεῖνος *si erit Antichristi, proprium ei futurum & maximè vsitatum*, vtrunque de te sine scriptura dicis. Quod ais proprium nomen esse debere, iam antè refutatum est. Quod adiungis maximè vsitatum fore, necessitatem habet nullam. Neque enim propria nomina sunt semper vsitata, communia multò minùs. De Christo dictum est: [u] *Vocabis nomen eius, Immanuel*, nec tamen vsitatum erat Christum hoc nomine vocare. Neque [x] *orientem* siue *germen*; neque [y] *admirabilem*, neque *consiliarium, &c.* quem tamen his nominibus prophetæ insignitum tradiderunt. Nihil est ergo quod addis, *Nec vllus vnquam Papa vocatus est proprio nomine Latinus, nec est hoc nomen vsitatum: numquam enim Papæ se Latinos vocant, sed solùm episcopos aut Papas*. Nam illud est quod nos quærimus, an sit Pontifex gentili nomine *Latinus*, & post imperatorem caput Latinæ gentis. Quod si esse illum reperiamus, hoc ipso nobis citra quæstionem erit Antichristus. Parem habet vanitatem quod de *Romano* affers. *Romanus nomen fuit vnus solius Pontificis qui tamen non potuit esse Antichristus, cùm non vixerit nisi mensibus quatuor: alioqui autem nomen est commune*. Neque enim nos Antichristum vno Pontifice terminamus: & est multorum Pontificum nomen commune quod desideramus. Tale tu *Romanum* esse fateris, & nos libenter accipimus. *Romanus* enim in stylum Pontificis tui semper incurrit: Pontificem Romanum dicimus, episcopum Romanum. Quando ergo λατεῖνος rectè vertatur teipso teste *Romanus*, certè Pontifex qui perpetuo stylo Romanus est, & nomine Pontificis vrbis & Ecclesię Romanæ principatū obtinet, hoc ipso *Latinus* est ille quem quærimus, & eo quoque Antichristus.

u Mat.1.23.
x Zacha.3.8.
y Esa.9.6.

16 Verùm inquis, *si solum hoc nomen* λατεῖνος *vel Romanus efficerent numerum 666 aliquid dicerent aduersarij: at innumerabilia nomina inueniuntur quæ hunc eundem numerum reddunt*. Et redderent Bellarmine quum tuus ille Antichristus adueniret, siquidē esset qui veniret. Num hac ratione putaueris non esse illum suo nomine cùm venerit æstimandum? Tu Antichristum venturum expectas; nos venisse certi sumus. Da veniam vt quantumlibet nomina reperiuntur plurima quę numerum illum iustè conficiunt,

ficiunt,

ficiunt, illud tamen ſequamur, quod ſcripturæ lucem habet aliquam, & rerum euentu probatiſſimum inuenitur. Quod enim affers ex Irenæo, *certiſſimum eſſe* pro nomine Antichriſti dijudicando *prophetiæ adimpletionem ſuſtinere*, piè ab illo & ſapientèr dictum amplectimur, & ex illius conſilio poſt mille iam & quadringentos annos prophetiam illam adimpletã experti, de nomine Antichriſti fidenter pronunciamus, & illum nobis in Romano Pontifice notiſſimum execramur. Neque refert quòd tibi ac tui ſimilibus non ſit notus Antichriſtus. Neque enim qui Antichriſti ſunt, illum Antichriſtum eſſe iudicabunt. Tu quoque tibi ſponte cæcitatem inducis, & quod vides, videre diſſimulas, tantò grauiori iudicio, quantò te pluribus erroris inſtrumentum præbes. [z] *Iuſtificata eſt tamen ſapientia à filijs ſuis*, & notus eſt Antichriſtus quemadmodum notus eſt Chriſtus *reliquijs & electis*: iſte vt audiatur, & per illum viuatur: ille vt horreatur, ne per eum in mortem incurratur. Scribas & Phariſæos & principes quamlibet eruditos & prudentes Chriſtum agnôſſe non legimus, quia incommodum ſibi putarunt vt Ieſus pro Chriſto haberetur. Nec vllo modo ferunt Cardinales & Ieſuitæ vt de Antichriſto conſtet, quia vident non futurum è re ſua vt Pontifex Romanus pro Antichriſto habeatur. Vtrique miſeram plebeculam fefellerunt & fallunt, & ignorantia compeditos tenent, & [a] *claues regni cælorum* penes ſe habentes, *nec ipſi introeunt, nec alios permittunt volentes intrare*.

z Mat. 11, 19.

a Luc. 11, 52.

17 Sequitur argumentum tuum inſolubile, quod verè diſſolutum eſt & nullam partem integram habet. *Si Antichriſtus*, inquis, *veniſſet & eſſet Romanus Pontifex, certò conſtaret de nomine eius à Ioanne prædicto. At de nomine Antichriſti adhuc maxima controuerſia eſt. Igitur Ioannis vaticinium nondum eſt impletum: proinde Antichriſtus non venit, nec eſt Romanus Pontifex.* Propoſitio verò tua, Bellarmine, non conſtat. Nam cùm Antichriſtum nobis pluribus indicijs hiſtoria ſacra deſcribat, quibus ita pingitur vt oculatum hominem fallere non poſſit, ex illis de Antichriſto conſtare poterit, quantumuis nomẽ aliquod illius myſticum & arcanum explicari adhuc fortaſſe non queat. Lateat in obſcuro nomen ad tempus: ſatis proſpectum eſt ſaluti noſtræ, quòd ille nobis innoteſcit cui nomen illud quodcunque fuerit, cùm in lucem venerit, aptatum iri præmonemur. Neque verò prophetiæ omnes mox atque impletæ ſunt dilucidæ ſtatim omnibus

nibus numeris euadunt & cuiuis obuiæ. Multa dicuntur apud Danielem, quæ ad priscam historiam spectant, quorum qui certam sententiam se assecutum præsumit, temerarium se forsitan & præcipitem ostendet. Multa dicuntur apud prophetas de Christo quæ iam impleta esse confidimus, quæ tamen ex illa verborum caligine qua teguntur explicare, doctissimorum hominum non exercet modò, sed superat facultatem. Eodem modo multa reor in Apocalypsi de rebus iam præteritis esse conscripta, quæ ita tamen manent occulta & abdita, vt difficillimum sit certam eorum intelligentiam diuinare. Quod non ideo dictum volo, quasi putem nomen Antichristi ex illo numeri arcano euolui non posse. Nam abundè, ni fallor, manifestum fecimus numero illo Romanum Pontificem, caput & principem Latinæ gentis & Ecclesiæ demonstrari. Falsum est itaque quod assumis de Antichristi nomine à Ioanne prædicto non constare. Quanquam enim controuersiam de eodem tu magnam commemoras, illa tamen apud tuos maxime consistit: nostrorum magno consensu definitum est, Pontificis tui gentile nomen quo Latinus siue Romanus dicitur, illo mysterio contineri. In quo si habes vnum aut alterum à communi reliquorum iudicio dissidentem, haud illud magnum est, quum vix quicquam ita receptum sit, de quo alitèr cum probabilitate sentiri posse videtur, à quo non interdum inter doctissimos vnius aut alterius sententia diuertit: Quanquam in rebus obscuris perscrutandis prodest admodum varias aliter atque alitèr sentientium opiniones audiri, quia conflictu illo sententiarū & rationum, ianuam plerunque contingit aperiri veritati. Quod postquam in hoc ænigmate factum est, clarissima prodijt sententia quam amplectimur & defigimus, Romanum hîc Pontificem indicari. Quare ex fundamentis quæ hactenus iecimus, ego tibi, Bellarmine, argumentum repono, solubile an insolubile penes te ac tuos esto. Septimus regni Latini principatus status est Antichristi: Papatus est septimus status regni Latini: Papatus ergò est status Antichristi. Regni Latini rex septimus est Antichristus: Pontifex est rex septimus regni Latini: est ergò Pontifex Antichristus.

CAP. 3.

Quòd Antichristi sedes in Ecclesia, non Hierosolymis, sed Romæ, esse debeat. Refutantur quæ à Bellarmino *in aduersum disputantur cap. 12. de generatione Antichristi, & cap. 13. de sede Antichristi.*



Ocus Antichristi communis est, & proprius. Communis, Ecclesia: proprius, vrbs est & Ecclesia Romana. De illo Apostolus, [a] *sedebit in templo Dei.* Vbi tamen Pontificij *templum Hierosolymitanum* exponunt, & pertinacissimè defendunt Antichristum ibi regnum habiturum, & in templo illo sessurum. Atque hùc testimonia *Bellarminus*, ab obuijs quibusque subsidium petens, auidè conquirit, & modò id dicant, nihil pensi habet quo iudicio, quo argumento dicant. [b] *Ciuitas Hierusalem in æternos cineres collapsa est,* vt habet *Hieronymus,* & templum eius de fundamentis excisum. Ne rudera quidē eius aut ruinæ supersunt, quia compleri necesse fuit quod Christus prædixit: *Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.* Ac ne fallat nos opinio templi instaurandi, præmonet nos apertè spiritus sanctus futurum, vt [c] *desolatio illa,* velit nolit *Bellarminus, ad consummationem & finem vsque perseueret.* [d] *Vsque ad finem seculi,* ait Theodoretus, *cōsummatio desolationis sine vlla mutatione permanebit.* Quod intellexerunt Iudæi quum malis auspicijs [e] templum sibi reficere tentarunt, ludente Domino conatus eorum, & insanas operas flammis vltricibus & terræ motibus disturbante. Quo tempore *Cyrillus* Episcopus *Hierosolymitanus* de [f] *prophetia* Danielis *& Christi prædictione* securus, in eo perstitit *nullo modo fieri posse, vt ibi à Iudæis lapis super lapidem poneretur.* Porro structura tantæ molis quàm non conueniat cum infinitis illis occupationibus Antichristi quasi vno momento per totum orbem transigendis, commodior erit postea dicendi locus, vbi de tempore Antichristi dicturi sumus. Quanquam vt aliud templum admittatur ædificandum, certè quod Antichristus nouo opere, suo nomine, sibijpsi colendo, quia præter seipsum, nullum vt illi volunt Deum agnoscet ædificaturus est, id vt insolentissima dicendi ratione *templum Dei* ab Apostolo appelletur, probabilitatem habet nullam, nec vllo modo potest cum recta ratione coniunctum videri.

a 2. Thes. 2. 4.

b Hieron. in Ierem. lib. 4. ca. 19.

c Dan. 9. 27.

d Theodoret. in Daniel. orat. 9.

e Ruffin. hist. eccles. li. 1. ca. 37. Theodoret. hist. lib. 3. cap 20.

f Ruffin. ibid.

2 Quid

2 Quid autem sibi velit *templum Dei* nemo poterit interpres Apostolo ipso melior, nemo certior inueniri. Ille ergo compellans [g] *omnes qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi*, [h] *Nescitis*, inquit, *vos esse templum Dei?* [i] *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* [k] *Vos estis Templum Dei viuentis.* Quia namque in templo illo *Hierosolymitano* figura Ecclesiæ præcessit, Apostolus typi nomine ad ἀντίτυπον translato, Ecclesiam ex [l] *viuis lapidibus* constructam *templum Dei* nominauit. Qui ergò templum Dei non aliud quàm Ecclesiam interpretatur, quum Antichristum ait in *templo Dei sessurum*, quid aliud intelligi vult, quàm Ecclesiæ Cathedram arrepturum, & imperandi omnia potestatem sacrilega superbia vsurpaturum? Iam verò aduersùs luculentam Apostoli expositionem de Ecclesia & templo spirituali, quid opponunt alios quoscunque, nullo scripturæ testimonio, sententiam Apostoli ad templum *Hierosolymitanum* referentes? Quod ex Papiæ fœcibus haustum *Irenæus* Ecclesiæ propinauit; primus quod sciam qui fabulam hanc de templo Hierosolymitano scripto prodidisse reperitur. Qui etsi erat vir omni laude dignissimus, & quædam de Antichristo prodidit quæ animaduerti plurimùm debent, tamen dum Papiam nimium admiratur, quædam zizania quoque permiscuit, quæ à tritico dominico sunt circumspecto iudicio segreganda. Aduersùs illum olim vir eloquentissimus [m] *Dionysius* Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus elegantem scripsit librum, teste *Hieronymo*, & inter cætera somnium illud de *instauratione templi* refutauit. Porrò *Chrysostomus* etsi noluit opinionem illam de templo Hierosolymitano, propter *Irenæi* fortasse antiquitatem & authoritatem, omninò repudiare, correxit tamen aliquantulum & rectæ sententiæ tramitem signauit, docens *sessionem* illam in *templo Dei* non ad *templum Hierosolymitanum solummodo, sed etiam* [n] *ad Ecclesias* accommodari debere. Cuius testimonium *Bellarminus* partim ridiculo subterfugio, partim manifesto mendacio eludit. [o] *Veteres*, inquit, *Patres Latini & Græci per aliquot secula nunquam Ecclesias Christianorum templa vocauerunt, sed oratoria vel basilicas, vel Ecclesias, vel domos orationis, vel Martyria.* Quid ad rem, sophista? Esto quòd necdum Christianorum oratoria dicuntur templa? Num te latet Ecclesias Apostolica phrasi dictas esse non ædes aut oratoria, sed ipsos hominum c[illegible] & [illegible]es? & in illis sedere Antichristum, quum in illis [illegible] siue per fraudem spiritualem suam

[g] 1. Cor. 1. 2.
[h] Cap. 3. 16.
[i] Vers. 17.
[k] 2. Cor. 6. 16.
[l] 1. Pet. 2. 5.
[m] Hierony. in Esaiam. lib. 18. in prolo.
[n] Chrysost. in 2. Thess. hom. 4.
[o] Cap. 13.

p Hillar. lib. con. Arian. & Auxent.

ſuam tyrannidem exercet? Quanquam in [p] *Eccleſiæ quoque tectis & ædificijs*, vt habet *Hilarius*, Antichriſtus ſeſſurus eſt, poteſtate regiminis, non actu præſentiæ corporalis: & num in illis ſedens, quia templa non dicuntur, non ſedet in templo Dei, qui habet in illis Eccleſiam & plebem Chriſtianam idolomanijs ſuis & prophanis ritibus obſequentem? Nugas agis *Bellarmine*, & lædis illam quæ de te magna habetur exiſtimationem, qui ſcopis iſtis diſſolutis ruinas tuas fulcire conaris. Quanquam non nugaris modò, ſed etiam palam & apertè teipſo conſcio mentiris. *In ſcriptura*, inquis, *Noui Teſtamenti per templum Dei nunquam intelliguntur Eccleſiæ Chriſtianorum, ſed perpetuò templum Hieroſolymitanum. Cum ergo Apoſtolus ſcribens Antichriſtum ſeſſurum in templo Dei, diceret aliquid quod vellet intelligi ab ijs quibus ſcribebat, & illi tunc non intelligerent nomine templi niſi templum Hieroſolymorum, certum videtur Apoſtolum de illo eſſe locutum.* Tu verò *Bellarmine* cauſam agis turpem, quam tamen reddis improbè agendo turpiorem. Vide quæſo præter illa loca quæ ſuprà citauimus, num hæc quoque de templo Hieroſolymitano exponenda ſint. [q] *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* [r] *ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius.* [ſ] *Tunc apertum eſt templum Dei in cœlo.* Quæ quum ad ſanctorũ cœleſte palatium & ſtatum Eccleſiæ triumphantis referenda ſint, vide qua tu fide dixeris in *ſcriptura Noui Teſtamenti per templum Dei perpetuò intelligi templum Hieroſolymitanum.* Superiora autem illa grauiſſimè te feriunt, & impudentiam tuam manifeſtè coarguunt, quia planè conuincunt *Templum Dei* Eccleſiam eſſe Chriſtianam, & eos ad quos ſcripſit Apoſtolus *Templi* nomine in promptu habuiſſe vt Eccleſiam intelligerent, & vt perierit in æternum templum Hieroſolymitanum, ſtare optimè tamen vt Antichriſtus in Eccleſia dominationem obtinens, in *Templo Dei ſedere* dicatur. Vtramque ſententiam expendit *Hieronymus*, & noſtram confirmat. [t] *Sedebit in templo Dei, vel Hieroſolymis, vt quidam putant, vel in Eccleſia, vt verius arbitratur.* Vrget *Bellarminus* totis lateribus quod *quidam putant*, relinquit id quod *Hieronymus* librato iudicio ſecundum Apoſtolum ipſum *veriùs arbitratur*. *Hieronyme* conſentiunt ex veteribus nonnulli qui, referente *Auguſtino*, Antichriſtum intel[illegible] caput & corpus, [u] *ſedebit* inquiunt, *Antichriſtus in templum* [illegible] *ſuis ſit templum Dei quod eſt Eccleſia.* Vſqueadeo [illegible] Eccleſia futurum ſignificant,

q Apoc. 3. 12.
r Ibid. 7. 15.
ſ Ibid. 11. 19.
t Hieronym. ad Algas. quæſt. 11.
u Auguſt. de ciu. Dei lib. 20. ca. 19.

cant, vt etiam Ecclesiæ titulum sibi ac suis vsurpaturus sit. Quin vt numero quoque testium pares simus qui sumus pondere superiores, audiantur & reliqui. *Chrysost.* op. imperf. [x] *Abhominatio desolationis stabit in sanctis Ecclesiæ locis*: Theodoretus; [y] *Dei templum Apostolus appellauit Ecclesias in quibus primam sedem arripiet Antichristus.* Ambrosius: [z] *In domo Domini in sede Christi sedebit. Oecumenius* adhuc expressiùs; [a] *Non dicit templum quod erat Hierosolymis, sed Ecclesias Dei.* Nec alitèr intellexit synodus Remensis quæ de Romano ipso Pontifice ait; [b] *Quid hunc in sublimi solio residentem, veste pupurea & aurea radiantem esse censetis? Nimirum si charitate destituitur, solaque scientia inflatur & extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens & se ostendens tanquam sit Deus.* Anselmus verbis aliquantulum dissentit, reipsa nihil, [c] *templum Dei* exponens *mentes fidelium* in quibus Antichristus *sedere* dicitur, dum eas erroribus suis occupat, & seductione in perfidiam abducit. *Aquinas* quoque hac in parte noster est, qui reiecta *Bellarmini* sententia de templo Hierosolymitano, [d] *exponitur*, inquit, *in templo Dei, id est, in Ecclesia, quia multi de Ecclesia illum recipient, vel secundum* Augustinum *quòd in templo Dei sedeat, id est, principetur & dominetur, tanquam ipse cum suis nuntijs sit templum Dei, sicut Christus est cum suis.* Noster est postremò *Ioannes Ferus* concionator Moguntinus: [e] *Templum Dei in mundo fidelium Ecclesia est. In hoc templo futuram prædicit Christus abhominationem antequam mundus finiatur.* Quare nonnisi vmbra est *Bellarmini argumentum insigne*, vt ipse appellat, quo Romanum Pontificem ait Antichristum esse non posse, quia *sedes eius non est Hierosolymis & in templo* Solomonis: non ab alio principio profectum, quám quod patribus alijs [f] *incertum & dubitabile*; alijs temerarium, vt vidimus, & falsum visum est. Nos autem Apostoli vestigia sequentes, qui authoritate diuinæ vocis *templum Dei* Ecclesiam esse confirmat, ex ijs quæ dicta sunt sine vlla ambiguitate concludimus, Antichristum non foris apud Iudæos & Ethnicos, sed in ipsis Ecclesiæ intestinis esse metuendum, vtpote qui primarium in Ecclesia locum arrepturus sit, Christi sedem occupaturus, tanquam vicarium illi operam præstiturus, sibijpsi denique & suis peculiari quodam titulo nomen Ecclesiæ tanquam honorificum inscripturus.

3 Et quidem Bellarminus paululum tandem expergiscens aliquousque agnoscit quod volumus, sed ludit ambiguitatibus,

&

x Chrysost. op. imperf. hom. 49.
y Theodoret. in 2. Thess. 2.
z Ambros. in 2. Thess. 2.
a Oecumen. ibid.
b Synod. Remensis. cont. Arnulp. 2. cap. 28.
c Ansel. in 2. Thess. cap. 2.
d Thom. Aquin. ibid. lect. 1.
e Ferus in Mat. cap. 24.
f August. de ciu. Dei l. 20. ca. 19.
g Chrysost. in ope imper. ho. 49

& legentibus illudit, & quodammodo veretur dicere quod se tamen sentire palam ostendit. *Verum est*, inquit, *sessurum Antichristum in Ecclesijs Christianorum.* Id verò quid tandem est? *Iubebit*, inquit, *omnia templa totius mundi conuerti in cultum suum, & in eis seipsum adorari faciet.* Quid? & hoc est, Bellarmine, quod patres agnoscunt sessurum Antichristum in Ecclesia Dei? Num tibi Mahometes in Ecclesia sedere videtur quia templa quæ erant olim Christianorũ occupauit, & Turcicis superstitionibus impiè repleuit? Næ tu sophistam agis, qui alterum horum ex altero interpretaris. [h] *Ecclesia*, inquit Augustinns, *locus dicitur in quo Ecclesia congregatur.* Inde Apostoli qui, teipso teste, *templa non habebant, sed solum in priuatis domibus loca quædam orationi & concioni destinabant*, tamen eadem loca * *Ecclesiarum* vocabulo nuncuparunt, quæ iterum cum vsu, simul quoque nuncupationem illam amiserunt. Itaque ædes illas quas inuaserunt Barbari, & ad sacra sua sacrilega conuerterunt, *templa* quidem dicimus communi nomine, sed *Ecclesias Christianorum* non dicimus, postquam ab vsu Christiano abrogatæ sunt. Num tu præter ædium illarum aliquam transiens dixeris, Hæc est Ecclesia Christianorum? Quin vt ille olim, [i] *fuit Ilium & ingens Gloria Teucrorum, &c. At nunc incensa Danai dominantur in vrbe:* ita tu dicendum putaueris: En hæc ædificia splendida & magnifica, olim Ecclesias fidelium, nunc lustra dęmonum & fana profana Paganorum. Sessurus est ergò Antichristus in Ecclesijs Christianorum, non quia ædificia vsurpabit quæ erant olim Christianorum; sed quia in publicis dominabitur conuentibus eorum, qui se etiamnum Christianos veteri vocabulo profitentur. Quod erit adhuc luculentius, si mentem suam nobis eloquatur Bellarminus. Dic sodes apertè, noli *Ecclesiarum* homonymia te tegere; num in *Ecclesia* sedebit Antichristus? Hoc ille timidè quidem, sed vtcunque tamen infercit, *sedebit in Ecclesia*, inquit, *non tamen vt episcopus, sed vt Deus.* Benè habet, sedebit ergo in Ecclesia. Et quid tu tum affers paulò antè Cyrillum & Damascenum planè negantes Antichristum in Ecclesia esse sessurum? sed hoc agis more tuo, qui prolixas sæpe disputationes, mox operam atque oleum vltrò perdens, vna quasi litura prorsus euertis. Accipimus autem quod dicis, *sedebit Antichristus in Ecclesia Dei.* Erit ergo Ecclesia Dei in qua sedebit, hoc est, vt Aquinas tuus exponit, *principabitur & dominabatur* Antichristus.

h August. in Leuit. quæst 57.

* 1. Cor. 11. 18.

i Virg. Æneid. lib. 2.

Antichristus. Hic te, Bellarmine, constrictum habemus, nec habes quà fugias. Antichristus in media Ecclesia regnabit, & se principem constituet eorum, qui quia sunt Ecclesia Dei, Deum se colere, & Christo nostro confidere præ se ferent. Neque enim Ecclesia Dei dicenda est, quæ explosa Christi fide, prorsusque abrogato Dei nomine aliud sibi numen accommodat, & se nouo dogmati captiuam tradit. Quid enim? num Ecclesiæ vocabulo communicant gentes illæ, quæ quum essent olim Christianæ, nunc in Mahometi cineribus & superstitione sepultæ sunt? Minimè id quidem. Nec erit ergo Antichristo Ecclesia Dei, quæ Deum abdicabit, & fidem Christi penitus extinguet. Sedebit autem Antichristus in Ecclesia. In illis ergo dominabitur, qui se Christianos agnoscent, & baptismi ritu veteri in externã Ecclesiæ societatem coalescent; eodem planè modo quo Arianismus olim sub titulo Christianismi omnes penè totius orbis Ecclesias occupauit.

4 Neque verò mouemur sophismate tuo, Bellarmine, qui nos, quia Pontificem in Ecclesia sedentem agnoscimus, & à vestra tamen communione segregamur, ideo schismaticos & Ecclesia extorres esse calumniaris. Neque enim Gallicana ditione excedit qui ob pestilentiæ contagionem relictis Parisijs Lugdunum se confert, vbi aëre vescatur salubriori: neque nos Ecclesia excessimus, quia Romana peste renuntiata, salutaribus Euangelij hortis inambulare maluimus. Ecclesia vniuersitas est omnium vndis Ecclesiæ tinctorum, & Christo domino quoquo modo seruientiũ. Cuius partes aliæ saniores sunt; aliæ languescunt febribus; aliæ lethalibus morbis, vt Romana tua, & certissima morte conflictantur. Non ideò discessimus ab Ecclesia, Bellarmine, quia sentientes nos ab aëre vestro putrido periclitari, puriores auras appetiuimus: erat animus fugere duntaxet contagiones vestras; in Ecclesia verò, Deo iuuante, per veram Christi fidem perpetuò permanere. Et quidem eandem nosmet Ecclesiam profitemur quæ olim fuimus, nec aliam, sed alteram duntaxat, quia perpurgatam vepribus & spinis quibus vineam domini perfidia vestra conseuerat: eandem, sed Romanæ iugo tyrannidis & superstitionum vestrarum laqueis, miserante Deo, fæliciss imè liberatam. Denique eodem modo Ecclesia est in qua sedet Antichristus, quo erant olim Iudæi[k] populus Dei, quando se spurcissimis idololatrijs inquinatissimos redddiderunt; k Iere.2.13.

reddiderunt; & nos haud magis schismatici ab huius Ecclesiæ perfidia discedẽdo quàm pij è Iudæis, qui sanioribus vsi consilijs & prophetarum monitis obtemperantes, à nefaria se idololatrarum societate segregarunt. Intelligis ergò, Bellarmine, quàm nihil officiat causæ nostræ, quòd Pontificem vestrum, licèt in Ecclesia sedentem, deseruimus, neque schismate reos teneri, qui sacrilegia vestra quibus pernicies continetur animarum certissima detestamur. Sed tu Pontifici tuo bellè consultum putas vbi addis: *sedet in Ecclesia, non tamen vt episcopus sed vt Deus.* At te responsio ista quid iuuat, si disparata tua coincidant, & qui est loco quidem suo duntaxat episcopus, deitatem tamen assumat, & se quasi Capitolinum quendam Iouem impudenter ostentet? Id ita esse postea videbimus; nunc quod huic loco proprium est agemus, vt somnium illud de templo Hierosolymitano pro sede Antichristi per errorem substituto conuellamus.

6 Proprius ergò Antichristi locus distinctè notatur, [l] *septimontana* ciuitas, illa inquit, *magna, quæ regnum habet super reges terræ.* Vbi clarissimum est Romanam ciuitatem quæ sola *septem montibus* celebrata est, & sola tunc orbis imperium habebat, sedem & solium purpuratæ meretricis, id est, Antichristi designari. Nam cùm Antichristus septimum caput sit illius bestiæ, cui toti septicollis Romana ciuitas sedes & caput imperij constituta est, quid aliud quàm sponte cæcutiunt, & ipsi sibi oculos vltro euellunt, qui reliqua capita regum Romanorum (sic enim omnes promiscuè à regnando vocantur) loco suo permittunt; solum Antichristũ ablegant, qui sibi vel Hierosolymis vel vbi vbi hospitium paret? Res aperta est; quid moramur? Bestię septem capitũ sedentis in septem montes, hoc est, in vrbe Romana septimontana dominantis, caput septimum est Antichristus. Romæ ergo sedebit & dominabitur Antichristus. Bestiæ pars est: proinde à loco bestiæ, qui septem montibus indicatur, discedere non debet. Id verò præterquam quod luce sua in oculos incurrit, suffragatores habet antiquissimos scriptores, qui Romam interpretantur *Babylonem* illam, quam quasi iumentum Antichristo portando seruituram sacræ literæ prodiderunt. Tertullianus, [m] *Babylon,* inquit, *apud* Ioannem *nostrum Romanæ vrbis figuram portat, perinde & magnæ, & regno superbæ, & Sanctorum debellatricis. Hieronymus* quoque, [n] *Romanum,* inquit, *imperium, æternum putant. Vnde secundum Apocalypsin* Ioannis, *in fronte purpuratæ*

l Apoc. 17. 9. 18.

m Tertul. cont. Iud[illegible] & lib. 3. cont. Marcionem.

n [illegible] ad A[illegible] quæst. 11.

purata meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ æternæ. & ad *Marcellam* de vrbe Roma sermonem habens: [o] *Lege*, inquit, *Apocalypsin* Ioannis, *& quid de muliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, & Babylonis canteur exitu contuere.* De quo loco *Ludouicus Viues*: [p] Hieronymus *ad* Marcellam *scribens, non aliam existimat describi à* Ioanne *in Apocalypsi Babylonem, quàm vrbem Romam.* Et idem alibi *Hieronymus* Romam nominatim & expressè cōpellans, [q] *Maledictionem*, inquit, *tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est.* Vbi verò tandem nisi prophetiam illam de Antichristi Babylone ad Romanam ciuitatem pertinere statuamus? Hîc verò *Bellarminus*: *Mirabilis est impudentia hæreticorum, qui vt probent Ecclesiam Romam esse purpuratam meretricem, vtuntur* Tertulliani *&* Hieronymi *testimonio.* Quid ita verò? Nempe *authores illi intelligunt Romam Ethnicam & idola colentem, non Romam Christianam.* At nondum es elapsus *Bellarmine.* Vtrique namque Romam affirmant Babylonem illam esse quam describit *Ioannes* in Apocalypsi. Est autem [q] *Babylon* illa quam describit *Ioannes* in Apocalypsi, teste *Sandero, sedes & ciuitas Antichristi.* Roma ergo sedes est & ciuitas Antichristi. Tu verò ipse fateris [r] per meretricem intelligi Romam, sed non aliam vis Romam quàm Ethnicis imperatoribus seruientem. At num tu cæcus es, & non vides eandem ibi describi sedem totius, vt antè diximus, bestiæ? eandem ergò sexti capitis & septimi; hoc est, Imperatoris & Antichristi. Erat autem Roma sedes imperij; Roma ergò sedes Antichristi. Et illi quidem Patres de quibus agimus nescire non poterant, vbi de Babylone agitur apud *Ioannem*, agi de sede Antichristi. Vtriq; verò Antichristum post sua tempora venturo senserunt. Senserunt ergò Romã non de præterito tantùm sub Imperatore ethnico, sed etiam de futuro sub Antichristo Babylonem appellari. *Hieronymus* autem cùm vaticinium illud *de exitu Babylonis* ad Romanam vrbem accommodat, quod extra omnem controuersiam de sede Antichristi omnes intelligunt, Romam esse Babylonem & sedem Antichristi, absq; vlla circuitione contestatur. Quòd si qui olim inuenti sunt, qui Antichristum in illis Ethnicis imperatoribus extitisse iudicarunt, quod de *Nerone* quidam putarunt, hac quidem in parte nihil offendunt causam nostram. Nam vt fefellerit eos Antichristi persona, certè locus non fefellit. Viderunt Antichristum, siue extraneus is esset, siue domesticus:

[o] Idem epist. ad Marcellam.

[p] Ludouic. Viues in August. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 22.

[q] Hieron. aduer. Iouin. lib. 2.

[q] Sander. visib. Monarc. lib. 8. demonstrat. de Antich. 38.

[r] Cap. 5. & 13.

domesticus: siue de foris Ethnicus, siue de Ecclesia pseudochristianus, quicúnque demum esset, cathedram suam & regni sedē Romæ habiturum. Quod & Anglorhemenses nostri timidè quidem & perturbato anhelitu, sed tamen aliquo modo submurmurant: [s] *fieri posse haud incommodè, vt magnus ille Antichristus Romæ sedem suam habeat*. Edicant quod sentiunt, & clarè loquentur Romam esse sedem magno illi Antichristo destinatam. Sed expressit illis inuitis testimonium hoc euidentia rei quibus alioqui ἀποδεικτικῶς est, Antichristum Hierosolymis sessurum: proinde Romanum Pontificem Antichristum esse non posse. Ita resorbent vomitum suum, & veritatem quam interdum incauti propugnant, mox quasi vertigine quadam impulsi denuò expugnant. *Naturam expellas furca licèt, vsq; recurret*. Sed quiddam amplius viderunt Patres illi qui ante annos prope septingentos Romam iam tum à Pontifice occupatam [t] *Babylonem esse* dixernnt *à sacris vatibus nominatam, vtpote* inquiiunt, *quæ diuinitatem vsurpat, cælo se æquat, se æternam fore, neque vnquam errasse aut errare posse gloriatur*. Porrò meminerint *Sybillam* suam quæ Antichristum regem quendam describit alba infula insignem Ponti nomen habentem (vt *Pontificem* agnoscas albam infulam de more gestantem) sedem illi [u] *prope ripam Tybridis*, id est, Romæ collocasse. Quare cùm satis superque manifestum sit Antichristum in Ecclesia dominaturum, & porrò Romam quoque Metropolin & regni sui sedem potissimum habiturum, caput eum Romanæ Ecclesiæ futurum necesse est; & proinde optimè constat hactenus, quod proposuimus, Romanum Pontificem esse verissimè Antichristum.

s Anglorhemen. in Apoc. 17. v. 5.

t Auent. Annal. lib. 4.

u Sybillæ carmina.

6 *Bellarminus* tamen vt sententiæ suæ colorem inducat, duo nobis affert scripturæ loca, quibus euincat non Romæ sed Hierosolymæ Antichristi sedem esse futuram. Alter est *Apoc. 11. corpora testium*, quos Antichristus occidet, *iacebunt in plateis magnæ ciuitatis quæ spiritualiter dicta est Sodoma & Egyptus, vbi & Dominus noster crucifixus est. Hæc*, inquit, *de Ierusalem dici negari non potest: quæ enim ciuitas est vbi Dominus crucifixus est nisi Ierusalem?* Siste verò paululum, *Bellarmine*, & alium tibi sensum *Ioannes* expediet optimus ipse interpres animi sui. Locum verò ponamus integrum, vt manifestior illius explicatio sit: [x] *Et quum consummauerint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet eos & occidet eos; & cadauera eorum*

x Apoc. 11. 7.

iacebunt

iacebunt in plateis ciuitatis magnæ quæ vocatur spiritualitèr Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus noster crucifixus est. Bestiam inprimis constat hîc & Apoc.17. eandem intelligi, quæ vtrobique ijsdem verbis describitur; [y] *Bestia quæ ascendit ex abysso.* Sedes ergo bestiæ huius non alia esse debet quàm quæ ibi narratur. Ibi verò sedes bestiæ *septem montium* celebritate definitur. Septem montes proprij sunt, vt antè vidimus, Romanæ ciuitatis: Roma ergo sedes est bestiæ per quam duo illi testes occidendi sunt. Quare qui hîc commemorat *plateas magnæ ciuitatis*, exponit ibi quam appellet *magnam ciuitatem: Magna*, inquit, *ciuitas quæ regnum habet super reges terræ.* Erat autem Roma, non Hierusalem quæ regnum habebat super reges terræ. Et illa quidem *spiritualitèr* dicta *Sodoma*, propter nefandas fornicationum turpitudines & superstitionum veneres abhominandas: & spiritualitèr *Ægyptus* propter tyrannidem, qua Ecclesiam semper oppressit & modò fornacibus suis idolol atricis seruire compellit. Et hactenus quidem aperta sunt omnia. Quod sequitur, obscurius videtur, *vbi Dominus noster crucifixus est. Quæ est enim ciuitas*, ait Bellarminus, *vbi Dominus noster crucifixus est, nisi Ierusalem?* Atqui appone quod oportet *spiritualitèr*, & Romæ quoq; Dominus noster crucifixus est, nempe non naturali corpore, sed mystico & spirituali. Christus enim induens se in corpus Ecclesiæ, [z] *suam mortem* esse pronunciat, [a] *suas passiones*, [b] *ignominiam suam*, [c] *sua stigmata* quæcunque fidelibus propter nomen eius & fidem illata sunt. Inde vox eius de cœlo, [d] *Saul, Saul, quid me persequeris?* Inde *Origenes*: [*] *Per singulos Martyres Iesus condemnatur. Si condemnatur Christianus pro hoc tantùm quod Christianus est, Christus est qui condemnatur.* Qui ergò Romanam ciuitatem agnoscimus *ebriam sanguine sanctorum*, quorum in cruce Christus crucifigitur, quorum in morte Christus moritur, quid dubitamus quin Romæ quoque Dominum nostrum crucifixum esse dicamus? Ibi *Nero* [e] *dedicator*, ait Tertullianus, *damnationis nostræ*, qui primus publicata lege perfecit vt insanus populus tumultuosè Christianos occideret, [f] *Christianos ad bestias* conclamaret. Inde secutæ ducentorum & amplius annorum clades, illius vrbis imperio & authoritate subinde repetitæ, vt Romam sciamus præ vniuerso orbe cæde martyrum & sanguine nobilitatam, & proinde Romæ Dominũ singulari quodã modo esse crucifixum. Quòd si tu nescias, *Bellarmine*, alibi Christum quàm Romæ esse crucifixum,

y Apoc.11.7.& 17.8.

z 2 Cor 4.10.
a Phil.3.10.
b Heb.13.13.
c Gal 6.17.
d Act.9 4.
* Origen.in Ier. hom.11.

e Tertul. Apologet. cap.5.

f Ibid cap.39. & exhort. ad. castit.

g Ambros. lib 5. Epist. 3. in orat. cont. Auxentium.

crucifixum, docebit te *Ambrosius,* qui narrat [g] *Petrum Romæ à gentilibus requisitum ad necem: rogatum autem à fidelibus vt paulisper cederet, & ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa,* inquit, *Nocte muro egredi cæpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi, ait, Domine quò vadis? Respondit Christus: venio Romam iterum crucifigi. Intellexit* Petrus *ad crucem suam dominicum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptæ mortis exuerat. Intellexit ergo* Petrus *quòd iterum Christus erat crucifigendus in seruulo. Itaque sponte remeauit: interogantibus Christianis responsum reddidit; statimque correptus per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.* Qui ergò in *Petro* crucifixo Dominum crucifixum intelligis, Romæ Dominum crucifixum agnoscas oportet, quia Romæ *Petrus* est crucifixus. Itaque nihil te iuuat hic locus, quia non impedit hæc clausula quin Roma hic intelligi commodè possit, & superiora illa confirmant necessariò intelligi oportere.

7 Posterior tantundem: *secundus,* inquis, *locus est Apoc. 17. vbi Ioannes dicit decem reges qui sibi diuident Romanum imperium, & quibus regnantibus veniet Antichristus, odio habituros purpuratam meretricem, id est, Romam, & eam desolatam facturos atque etiam igne crematuros. Quomodo ergo erit sedes Antichristi, si illo ipso tempore debet euerti & comburi?* Miror te verò Bellarmine, quo es in citandis scripturis infortunio, à scripturarum testimonijs non penitus abhorrere. Itane vt tu te confodias, & iugulum Pontificis tui quem defendere simulas, tanquam acutissimo ferro præcidas? *Purpuratam meretricem* tu Romam agnoscis, *Bestiam* Antichristum. At eidem conuenire certũ est *Bestiam* & *purpuratam meretricem.* Qua in re si nobis non credis, tuis tamen Anglorhemensibus crede, quibus vnum & idem sunt [h] *meretrix & Bestia & Antichristus.* Crede Ioanni Fero: [i] *Abbominationem desolationis (quæ est regnum Antichristi) Ioannes in Apocalypsi nunc quidem per Bestiam illam cui draco potestatem suam dedit, nunc autem per mulierem Bestiæ insidentem, ac de vino prostitutionis omnes gentes potantem intelligit.* Aut si illorum sententiæ non acquiescis, Ioannes te docebit qui vbi *mulierem* siue *meretricem* ait [k] *sedere super Bestiam,* coniunctissima esse confirmat, & vnum quasi corpus siue complexum efficere *bestiam* & *meretricem.* Quòd si idem sonent meretrix & bestia, certè Roma quæ te fa-

h Anglorhemen Annotat. in Apoc. cap. 13. vers. 1.
i Ferus in Mat. cap. 24.
k Apoc. 17. 3. 7.

tente sedes est purpuratæ meretricis, per te quoque necesse est sedes intelligatur Antichristi. Vis vt dicam verbo? Bestia principatus est & regnum septimontanæ, id est, Romanę ciuitatis, & Antichristum complectitur principatu illo suo ordine potiturū. *Mulier* siue *meretrix* vrbs ipsa Roma est, quæ regno illo & principatu gentiū omnium quasi ceruicibus superuecta est. Nec ista tu multum abnuis, qui *bestiam* Romanum imperium, *mulierem* vrbem Romam interpretaris. Quæso te iam; Antichristus qui bestiæ tam affinis est, à muliere sedente super bestiam alienus esse quî potest? At inquis, *reges quibus Romanum diuidetur imperium, & quibus regnantibus venit Antichristus, desolatam facient purpuratam meretricem: quomodo ergo erit eodem tempore sedes Antichristi?* Atqui animaduertendum tibi erat, reges illos qui *meretricem desolatam facient*, priùs [l] *potestatem suam bestiæ tradituros*, eidem scilicet, vt dictum est, purpuratæ meretrici; *id enim dedisse Deum in corda illorum vt dent regnum suum bestiæ donec consummentur verba Dei.* Quibus impletis, & consummato Dei iudicio quo ingratum orbem ob *non receptam veritatis dilectionem* flagellabit, reges illi, eodem instigante Deo, meretricem cui se ante subdiderant odio habebunt, & eam iam desolatam igne cremabunt. Vna est ergo & eadem siue meretrix siue bestia, cui primò potestatem suam daturi sunt, & quam postea desolatam igne cremabunt. Est autem Antichristi principatus cui primò potestatem suam daturi sunt: est ergo Antichristi regnum quod postea subuertent. Roma est autem quam subuertent: Roma ergò regnum est & sedes Antichristi.

l Apoc. 17. 13. 17.

8 Quòd si nondum ista satisfaciant, assumo iterum quod inuitus fateri cogeris, Romam esse purpuratam meretricem, & fundamento tuo structuræ tuæ ruinam superstruo. Ac primùm quidem illud patet, desolationem meretricis quæ cap. 17. notatur, sequenti capite latissimè describi. Qui ergo meretricem desolandā Romam intelligis, aut Ethnicam intelligas oportet, aut sedem Antichristi. Tu quidem Ethnicam illam semper inculcas: sed quî id tandem hîc constare poterit? Nam iam olim Ethnicismus Romæ disparuit, & illa nunc ad Christū tota conuersa Ecclesiæ nomine superbissimè gloriatur. Et num Ecclesiæ tuæ propter veterem Ethnicismum perditionem illam irrogandam arbitraris? aut propterea [m] *Apostolos & prophetas* de tanta Ecclesiæ vastitate *exultare* iuberi? An quia erat olim Roma Ethnica,

m Apoc. 18. 20.

nica, ideo qui gentilitate calcata Christianum nomen profitentur, diris illis vltionibus exponuntur, & Titij perfidiam Sempronius luit? Nunquam dixeris. Restat ergo vt alteram Romam intelligas sedem Antichristi. Neque enim aptabitur Ethnicismo olim abolito vox illa, qua Babylonis, hoc est, Romæ, vt tuais, iam perdendæ commercium omne prohibetur: [n] *Exite de illa, populus meus, vt ne participes sitis delictorum eius, &c.* Nec illa qua populus dei ab illa Romana Babylone secretus iubetur [o] *reddere illi sicut reddidit ipsis, & duplicare ei duplum secundùm opera eius.* Vbi verò sequitur: [p] *flebunt & plangent se super illam reges terræ qui cum illa scortati & luxuriati sunt*; illam Romā notat cum qua fornicati sunt reges terræ ijdem ipsi qui ruinam eius deplorant. Notat ergò sedem Antichristi: Num tu enim existimas reges illos qui cum Roma Ethnica fornicati sunt resuscitandos esse, qui Romæ Christianæ acerbum exitum deplorent? Id si sit absurdum, vt est, haud aliam poterimus Romam perdendam intelligere quàm sedem Antichristi.

n Ver. 4.
o Ver. 6.
p Ver. 9.

9 Vnus tamen adhuc scrupulus superstes est, qui Templi Hierosolymitani restituendi suspicionem facit. *Antichristus erit Iudæus*, inquis, *& Iudæorum Messias & rex; ergo sine dubio sedem suam constituet in Hierusalem, & Templum* Solomonis *restituere aggredietur.* Propositionem explicas latiùs *Cap. de generatione Antichristi.* Ibi [q] *duo* tibi *certissima* sunt. *Vnum, Antichristum præcipuè propter Iudæos venturum, & ab eis tanquam Messiam recipiendum: alterum, ex gente Iudæorum nasciturum, &c.* Id verò vnde certissimum? Scilicet *ex Euangelio* Ioannis, *vbi Dominus dicit Iudæis*; [r] *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Atqui locum illum de Antichristo nihil euincere suprà docuimus, & tu te hominem ostendis malæ fidei, qui testes nonnisi mutos per ludibrium affers, nihil pro causa tua dicentes, nisi quod tu inuitos illos dicere compellis. Atque ita peccas in altero loco quem auxiliarem adducis ex *Apostolo, secundâ ad Thessal. secundo*; *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt vt salui fiant, ideò mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, &c. Res ipsa clamat*, inquis, *Apostolum loqui de Iudæis. Ipse enim dicit Antichristum mittendum ad eos qui Christum recipere noluerunt. Qui sunt autem qui magis debuerunt & noluerunt Christum recipere quàm Iudæi?* Immo *Bellarmine*, res ipsa clamat, improbè à te peruerti locum Apostoli, & ego te perfidiæ

q Cap. 12.
r Ioan. 5. 43.

fidiæ tuæ testem produco. Itaque locum velim primò integrum accipias. [f] *Cuius (Antichristi) aduentus est secundùm operationem Satanæ, in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt; eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur (scilicet* [*] *iudicio damnationis) omnes qui non crediderunt veritati, sed acquieuerunt in iniustitia.* Vbi animaduertendum tibi esset, perire illos & damnari quos ab Antichristo seducendos narrat Apostolus, & eò Deum illis vim illam immittere illusionis & imposturæ, vt damnentur. Tu verò Iudæos Antichristum tuum suscipientes affirmas [t] ab *Enocho* & *Elia* conuertendos, ac proinde nequaquam perituros. Quid ergò? Pereunt & damnantur de quibus loquitur Apostolus: Secundùm te Iudæi non pereunt, sed conuertuntur & saluantur. De Iudęis ergò Apostolus intelligi non potest. Manifesta res est. Nam horrendam Apostolus iram Dei denunciat exarsuram ad æternam perniciem eorum de quibus ait; *Mittet illis Deus efficaciam illusionis, &c.* At Iudæis, secundùm *Bellarminum*, Antichristi aduentus non iram damnationis, sed occasionem salutis afferet. Quare vt mille nobis interpretes adducas locum hunc de Iudæis exponentes, nihil effeceris, qui ipse dogmate tuo illorum omnium sententiam subuertis.

[f] 2.Thess.2.9.

[*] Tho.Aquin. in eundem locum.

[t] Cap.6.

10 At, inquis, *qui sunt qui magis debuerunt & noluerunt Christum recipere, quàm Iudæi?* Æquè inquam, reliquus orbis dilectionem veritatis recipere debuit, & non recepit. Veritas quidem per orbem propagata est, & diuinissimis testimonijs atque argumentis comprobata: sed dilectio veritatis quàm citò refriguit? quantus quàm citò locus est habitus superstitionibus & malis moribus quibus eneruata est pietas, corrupta fides Christi, & religio maior humanis placitis quàm institutis Euangelicis attributa! Videns *Augustinus* afflictissimis temporibus suis quàm parum Deus apud ingratum mundum proficeret, [u] *Quid mirum,* inquit, *si Christianis temporibus mundus iste tanquam seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulat multis?* Erant qui tantorum malorum causam in Euangelij prædicationem & religionem Christianam conijcerent: ille verò in contemptu Euangelij & hominum improbitate constituens, [x] *Attendunt,* inquit, *quanta celeritate Euangelium prædicatur, sed non attendunt quanta peruersitate contemnitur.* Hac ratione via munita est apostasiæ

[u] August.epist. 121.

[x] Ibid.

stasiæ illi quam Apostolus in Ecclesia venturam prædixit. Qua mundi peruicacia offensus Deus, immisit illam quam narrat Apostolus *efficaciam illusionis*, vt qui tantam gratiam aspernati fuerant, & in luce Domini ambulare neglexerunt, iustissimo Dei iudicio cæcitate percussi palparent in tenebris, & reprobo sensu quasi fascinati, mendacia pro veritate, & pro Christo Antichristum sequerentur. Id quod tibi, *Bellarmine*, ac popularibus tuis contigisse videmus, qui nescio quo stupore ad clarissimam lucem caligatis & insano furore aduersus Iesum Christum, & ipsum conscientiæ vestræ dictamen eadem amentia, qua olim Pharisæi, depugnatis. Neque enim dubitamus quin fluctuarit tibi animus, & secum quodammodo pugnarit, dum ista tua nobis dictata prodidisti. Qui enim fieri posset, vt tam multa tu tam apertè, & primo quasi vultu falsa conscriberes, quin te pungeret aliquando stimulus mentis tuæ, & tibi Gigantum more cum cœlitibus bellum gerenti reclamitaret? sed tibi *Petri* nomen & Ecclesiæ præiudicatus error, & splendor ille Pontificius sensum & mentem eripiunt, & spes aliqua fortasse rerum tuarum animum ad hanc insaniam obdurat, ne vllo modo manifestæ licèt veritati cedendum putes. Quare haud opus erat Antichristum ad Iudæos facessere, cùm domi habeas experimentum huius iudicij, in quo causa tibi est, si cogites, vt totis artubus de te ipso contremiscas.

11 Quod autem addis, *Apostolum non dixisse, quia veritatem non recipient, sed quia non receperunt*, quasi *loquatur de illis qui prædicanti Christo & Apostolis credere noluerunt*, consuetam tuam vanitatem sapit. Tu verò non ignoras Apostolum, accommodato ad tempus Antichristi sermone, percommodè locutum esse in tempore præterito, quod tamen ad sua tempora futurum intelligi debuit, eodem omnino modo quo Christi verba legit vetus interpres: y *Procedent qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*. Neque enim tam insanis, vt putes intellectos ab illo eos tantùm, qui ante Christũ ista loquentem bona vel mala fecerunt, eò quod præterito tempore Christi sententiam enunciat, sed vbi iudicium iam aduenerit, tunc qui *bona fecerunt*, prodibunt ad resurrectionem vitæ, &c. Ita hic Apostolus Antichristi aduentum seductionem mirabilem apportaturum narrat ijs, quos tum deprehendet non *recepisse* dilectionem veritatis vt salui fierent. Atque istos habuit

y Ioan. 5. 29.

Antichristus

Antichristus paratos ad se recipiendum, & illum in regnum suum prouehendum, vt Iudæorum exercitu & satellitio nihil opus esset. Postquā enim pertæduerat iam homines sub Christi iugo viuere, & superstitionibus suis atque idololatrijs aliquid per fas & nefas indultum volebant, cupidissimè Romanum Pontificem amplexi sunt, qui se perfidiæ ducem & antesignanum præbuit; qui nactus administros regni sui, paulatim se in illam qua erat postea magnitudinem & sublimitatem euexit. Iudæos autem vt putemus Antichristum recipere paratos nulla ratio persuadet, quum illis Christus exosus sit; Antichristum autem constet Christi nomine gratiam sibi facturū, & perfidiam suam occultaturum, vt antè diximus, & postea pleniùs, Deo volente, dicturi sumus. Deniq; iam antè peruisū est Antichristum ex *bestia nasciturum*, & Latinum siue Romanum regem esse oportere. Proinde commentum est & fabula quam narras, Iudæorum illum regem futurum, & ab illis pro Messia accipiendum esse.

12 Iam quod secundo loco ait certissimum esse, *Antichristum fore Iudæum & circumcisum*, rationem habet nullā, probabilitatē nullam, nec aliundè quàm ex nugis hæreticarum speculationum primò desumptū est. Adducit ille veteres quosdam ita sentientes; sed quo argumēto, quo Scripturę testimonio inducti vt sentiant? Tantùm ita sentiunt; sententiæ suæ rationē non habent. Et illi quidē Antichristum Iudæum fore persuasum habebant, quia putarunt Scripturis quibusdam insinuari futuurm illum de *tribu Dan*. At *illarum Scripturarum nullam hoc conuincere* [z] Bellarminus agnoscit & probat, & laborem illum nobis superuacuum fecit. Quòd si illę scripturæ non conuincunt eum futurū de *tribu Dan*, de cætero nihil est quod illum Iudæum fore confirmet. Vbi attendendum est quanto iudicio Bellarminus *probabile tantùm* esse ait, *propter Patrum authoritatem*, Antichristum futurum de tribu *Dan*, *certissimum* verò esse, & nonnisi propter Patrum authoritatem, quòd Iudæus futurus sit, quum non aliunde Patribus suspitio nata sit quòd Iudæus futurus esset, quàm quòd futurus putabatur de tribu *Dan*. Perinde verò loquitur acsi Patres prius illud se scire denunciarent, posterius non se scire dicerent, sed tantùm probabile esse insinuarent, quum probè sciat vtrúmque ab illis pari momento esse traditum, nec magis se scire dicant Antichristum Iudæum fore, quàm futurum illum de tribu *Dan*. Proinde cùm nihil certum illis erat quo constaret Antichristum fore

z Cap.21.

fore de tribu *Dan*, nihil certum esse potuit ex quo illum Iudæum fore præsumerent, quia nihil omnino hac de re in Scripturis habebant, præterquam quod perperam interpretati sunt de tribu *Dan*. Quam verò haud certum illis fuerit Antichristum fore Iudæum, ex *Ambrosio* intelligere licet, qui incerta sententia rem dubiam suspendit; [a] *Aut ex circumcisione illum aut circumcisum venire sperandum est*. Qui verò illum in Ecclesia, vt vidimus, sessurum, & se ac suos pro Ecclesia iactaturum interpretati sunt, haud opinor Iudæum fore senserant, aut quicquam ex professo cum Mosaicis ceremonijs commercij habiturum. Quare stultè agis, *Bellarmine*, qui ex *his habere te*, ais, *euidentissimam demonstrationem, quòd Papa non sit Antichristus*, quia scilicet illum constat Iudæum non esse. Nam cùm incerta sint omnia quæ affirmas, & firmamentum omninò nullum habeant; quî tibi demonstrationem suppeditare poterunt quæ nisi ex principijs certis & indubitatis, &, nisi quis niuem nigram insanus dixerit, omni exceptione maioribus proficisci non potest? Ego verò melioribus principijs & certioribus argumentum tibi oppono ex ijs quæ hactenus dicta sunt, quod velim cum cæteris expendas, an Pontifici tuo vulnus infligat. Qui Romæ sedens, totius Ecclesiæ dominationem vsurpat, & se ac suos præ cæteris Ecclesiæ nomine ostentat, ipse est Antichristus. Pontifex Romanus tantundem: Pontifex ergò Romanus est Antichristus.

[a] Ambrosius in 2 Thes. cap. 2.

CAP. 4.

Ostenditur venisse Antichristum, cùm alijs argumentis, tùm ex defectione gentium ab imperio Romano, contra Bellarmini *demonstrationem secundam. cap. 5.*



Vidimus de Antichristi nomine & loco, quadrare illa Romano Pontifici, neque scutum adhuc vllum à *Bellarmino* repertum esse, quo tricoronatum caput sanctissimi patris ab infestis nostrorum telis defendere possit. Sed nondum tamen ab illo causam obtinuisse videmur, quia de aduentu Antichristi nondum constat. Id si effectum dederimus, Venisse Antichristum, de reliquo non erit ambigendi locus. Nam cùm illum Ecclesiæ Romanæ principem esse oporteat, vt suprà disputatum est, præter vnum Pontificem

nemo

nemo hactenus fuit qui Ecclesiæ Romanæ sibi principatum arrogauit. Hîc autem imprudentèr agunt & præter normam rectæ rationis, qui certum aliquod momentum exigunt apparitionis Antichristi,& annum sibi aliquem definiri volunt, quo constet regnum illud apostaticum incepisse. Enimuero Antichristi ortu & incremento certum est non vnius modò hominis malignitatem & apostasiam,sed passim & vbique deliquium pietatis & fidei contineri. Magna autem illa mutatio totius orbis quæ cum Antichristi regno coniuncta est, repentè perfici non potest, & illa communis defectio exemplis & imitatione propaganda, vt mox ad omnes perueniat, simul & semel omnes inuoluat, incredibile videtur. Quare necesse est, vt quemadmodum in corporibus humanis morbi lethales paulatim increscunt, & in rebusp. collapsa semel legum disciplina sensim eò licentiæ progreditur, vt parem tandem & vitia & remedia desperationem objiciant: ita in Ecclesia quoque paulatim & quasi per gradus inolescat pestis illa & prauitas quæ faciem eius immutat, & sensim de via deductam, dum motus suos non sentit, in errorum præcipitia incautam impellit. Et hanc quidem Ecclesiæ corruptelam ab ipsis eius initijs Satan molitus est, & ad omnem occasionem inuigilauit, qua negligentia pastorum ad dominici gregis iniuriam abuteretur, & dum dormirent homines, nec ad circumuentiones eius satis attenderent, zizanijs suis & loligine, veræ fidei simplicitatem contaminaret. Quæ ille dum opinione sanctitatis & antiquæ traditionis prætextu tanquam serpentina quadam lubricitate in Ecclesiam insinuauit, fefellit nonnumquam viros bonos, vt de Irenæo antè diximus; qui dum posteriores prioribus, & suis quique magistris plus tribuunt quàm par est, & titillatorijs quorundam glossematis arcana scripturæ mysteria nimis ingeniose rimantium alliciuntur, stipulis interdum & quisquilijs Ecclesiasticam addunt authoritatem, & faciem veræ religionis quasi puluere quodam inspersam posteris relinquunt. Inde factum est, quod sine fidei detrimento nunquam contingit, vt intra annos ab Apostolis plus minus trecentos, infinita [a] *præsumptionum humanarum onera*, teste Augustino, grauarent Ecclesiam, quibus eò ventum est, vt *tolerabilior conditio Iudæorum* esset; quæ ille tamen se profitetur *propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala deuitanda non ausum liberiùs improbare*. Itaque creuit magis magisque

[a] August. epist. 119. ad Ianuar.

magisque superstitio, & posteriora quæque secula deteriora nata sunt, donec Papismus tandem obtinuit, qui scabiem antiquioris Ecclesiæ conuertit in lepram, & quasi communem quandam sentinam se præbuit, in quam confluerent quæcunque ferè apud veteres excrementitia & sordida reperta sunt.

2 Huius autem apostasiæ seminaria persenserunt Apostoli suis recentis adhuc ecclesiæ temporibus, & non sine gemitu ac suspirio magni illius Antichristi quasi tracturam & lineamenta prœuiderunt. Qua de re *Ioannes:* [b] *sicut audistis Antichristum esse venturum, etiam nunc multi sunt Antichristi.* Quo significat iam tum multos extitisse, in quibus Antichristi specimen & neruus quidam futuræ defectionis eluceret. Et idem quoque iterum: [c] *De Antichristo audistis eum venturum esse, & iam nunc in mundo est.* Vbi apertè denunciat iam tum insedisse in Ecclesia quod quum paulatim inueterasceret, tristissimum tandem abhominandæ desolationis spectaculum præberet. Eò quoque pertinet illud Apostoli *Pauli*, qui quum Pseudoapostolorum astutias, falsorum fratrum subreptiones, peregrinarum doctrinarum pseudepigraphias, plausibiles mentitæ sapientiæ prauitates, & denique vim illam Satanæ seductoriam viam sibi ad regnum Antichristi munientem experimento cognosceret: [d] *Iam nunc*, inquit, *mysterium iniquitatis operatur.* Quî id tandem, nisi quòd intellexerat iam tum Satanam ouis illis incubasse, quibus apostasiam illam, de qua paulatim Antichristus efformaretur, editurus esset? Quid autem? Num parturijsse Satanam credimus per tot secula, nondum peperisse? Nimis verò longam nobis gestationem narrant. Quum enim illum oporteat ex quo sub ipsis Apostolis conceptus est, mirum in modum granduisse, libentèr velim narrent nobis, vbi tandem præterquam in ecclesia Romana incrementum illud Antichristi, quod fuisse maximum necesse est, vel cogitando fingere possint. Quod quum apud animum meum attentè considero, & simul reputo mecũ è quàm [e] *paruo respectu* Romana sedes in quantæ maiestatis fastigium, imperatoribus ipsis & regibus iam facta superior, eminuerit; tantum apud me valet, vt hoc ipso non dubitem, quin iam olim Romæ Satan enixus sit monstrum illud, serpentinam prolem, quæ viscera ecclesiæ, cuius se velo & ventre abdidit, vipereo morsu perdid. Iterum dico: quem Satan ab ipsis Apostolorum temporibus seminauit, & cuius antiqui patres, dum subinde omnia

sentiunt

b 1. Ioan. 2. 18.

c Cap. 4. ver. 3.

d 2. Thess. 2. 7.

e Æneas Syluius: epist. 301.

ſentiunt ruere in peius, & eccleſiarum ab hæreticis miſerabiles ruinas, hominumque creſcentem quotidiè malitiam animaduertunt; tantos progreſſus agnoſcunt, vt eum imminentem penè ceruicibus ſuis tanquā *Hannibalem* propè ad portas reformidarent, eum poſt mille annos & amplius nondum veniſſe, immò creſcente Romana eccleſia decreuiſſe, & retrò ſublapſum vires illas amiſiſſe, quibus videretur iam cum orbe terrarum congredi potuiſſe, ita eſt abſonum & improbabile vt hoc neminem putem niſi qui ſponte ſibi inſaniam inducat, exiſtimare poſſe. Et audiatur quæſo, *Gregorius*, Magnus ille, Romanus epiſcopus: [f] *Omnia*, inquit, *quæ prædicta ſunt fiunt: rex ſuperbiæ propè eſt*. Animaduerte, *Bellarmine*, ſententiam epiſcopi Romani cui tu reſiſtere non debes, facta tum eſſe omnia quæ prædictum eſt Antichriſti aduentum præcedere debuiſſe; proinde illum ſine dubio in propinquo fuiſſe. Et illud, *Gregori*, quo tandem indicio deprehendis? [g] *Quicunque*, inquit, *vniuerſalem ſacerdotem ſe vocat vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit*. Grauiſſimum teſtimonium. Ergo *Conſtantinopolitanus* ille vniuerſalitatem ambiens, præcurſor fuit Antichriſti: *Bonifacius* Romanus illam obtinens ab imperatore parricida, verè Antichriſtus, ſed infantulus adhuc, recens ex vtero egreſſus, cuius membra nondum obduruerāt ad pugnam, vt imperatores & principes ſibi in obſequium cogeret, & citra impedimentum omnia pro arbitrio ſuo tractaret; quia magnus ille quidem eſſe non potuit, niſi Romani priùs imperij maieſtate confracta. Et eam quidem iam antè vehementèr læſam hiſtoriæ teſtantur, ita vt in Italiam ipſam ingreſſi Longobardi, partem eius per vim occuparent, & magnas imperatori moleſtias crearent: ſed ita tamen, vt illi reliqua Italia & vrbs Romana integra maneret. Dum verò ipſe in Oriente totus eſt, & in Italia per *Exarchos* rem agit, populus contumelioſè ab illis habitus, & expilationibus eorum atque iniurijs aſſiduè prouocatus, Pontificibus benignior eſſe cæpit, & illis pluſquàm imperatoribus adhærere. Itaq; creuit in Italia authoritas Pontificis; diminuta eſt imperatoris. Et quidem eò tandem deuentū eſt, vt nactus Pontifex opportunitatem hanc, & factione ſua fretus, auſus ſit diris ſuis & anathemate imperatorem proſcribere, eumque prorſus Italiæ regno priuare. Quod quum ſiue per inertiam, ſiue per impotētiam imperatoris ſuccedere videret, ſe tamen intelligens ſuis adhuc viribus ſtare non poſſe,

[f] Gregor. Magn. lib. 4. epiſt. 38.

[g] Lib. 6. epiſt. 30.

posse, & sibi proinde volens deuincire aliquē cuius auxilio partes suas meliùs tueri posset, de transferendo imperio cogitat, & nouo imperatore in Occidente sufficiendo: sibi sumens, quod etsi erat iniustum & impium, per eum tamen liciturum haud dubitauit, *cui bono* esset, audere pontificem per scelus & perfidiam, quod per ius non posset. Itaque *Carolum* magnum iam antè sibi deuinctum, principem totius Europæ potentissimum, imperatorem creat, sed ita vt prædam inter se partiantur, & dum mulus mulum scabit, ipse Romani territorij dominium consequatur. Factus verò tandem dominus Romanæ ditionis, & nouis siue donationum siue rapinarum accessionibus assiduè locupletatus, magis magisque cristas attollit, nonec abusus principum socordia & superstitione temporum illorum, omnia tandem in potestatem suam redigeret, & vnum se orbis Christiani monarcham constitueret, vtroque gladio insignem, de quo imperia tenerentur & regna; cuius foro & arbitrio lites omnes & controuersię finirentur; cuius iniussu quicquid in ecclesia, quicquid ferè in rep. ratum esse iuberetur, esset irritum: cuius sententiæ quicunque se opponeret, pro hæretico, pro schismatico habendus esset, nec locus illi aliquis apud Christianos, ne mortuo quidem, permittendus.

3 Cæterùm ne per incerta vagari videamur, imperij Romani magnitudinem & potentiam remoram & impedimentum Antichristi reuelandi, [h] patres ad vnum ferè omnes ex Apostolo interpretati sunt. In occasu Romani imperij futurum Antichristi exortū constantissimè omnes vno consensu tradiderunt. Quemadmodum Babyloniorum imperium Persis, Persarum Macedonibus, Macedonum Romanis: ita Romanum imperium Antichristo esse cessurum. De prophetia *Danielis* & Apocalypsi *Ioannis* obseruarunt Romanum imperium lacerandum, & decem regibus diuidendum, & inter hos motus Antichristum, cui reges illi omnes obsequium præstent, in sedem suam esse prouehendum. Luculentissimè Tertullianus: [i] *Romani status abscesio in decem reges dispersa Antichristum superducet.* Inde mos veteribus Christianis pro imperij Romani diuturnitate precari, quòd scirent [k] *vim maximam* (ab Antichristo) *vniuerso orbi imminentem Romani imperij commeatu retardari.* Quid ergo? Imperij Romani diminutione crescere oportuit Antichristum: creuit Pontifex. Imperatorem oportuit loco cedere vt succederet Antichristus:

[h] August. de ciu. Dei lib 20. ca. 19. Hier. ad Algas. q. 11. & in Dā ca. 7. & in 2. Thess. cap. 2 Lactant. lib. 7. cap. 15. Theodor. in Dan. or. 7. Chrysost. Theodoret. Ambros. Theophyl. Oecumen in 2. Thess. cap. 2.

[i] Tertul. de resur. carnis.

[k] Idem in Apol. cap. 32.

christus: successit Pontifex. Abscessio imperij in decem reges superducere debuit Antichristum: superduxit ex episcopo Romano Pontificem. Daturi erant reges illi potestatem suam & authoritatem Antichristo: dederunt Pontifici. Denique iamdiu est ex quo constrata est potestas imperatoris, exaltata Pontificis: manet imperatoris nomen & vmbra; imperium non manet. Et num adhuc expectatur Antichristus? Planè miseros esse oportet, qui dum ipsi sibi tenebras accersunt, noctuarum instar in meridiana, aut sique clarior esse potest, luce cæcutiunt.

4 Hic verò dignissimum est obseruatione quod *Thomas* Aquinas hac de re tam acutè commentatus est, qui quum videret, quod & fatetur, [l] *iamdiu gentes à Romano imperio recessisse*, quærit more suo, *quomodo est hoc, & tamen necdum venit Antichristus?* Non venit quidem, *Thoma*, nec venturus est qualem tu fingis: quòd si verum Antichristum agnosceres, hoc ipso eum intelligeres venisse, quia *gentes à Romano imperio recesserunt*. Ille verò, *Dicendum*, inquit, *quòd non cessauit imperium, sed commutatum est de temporali in spirituale, & ideò dicendum quòd discessio à Romano imperio debet intelligi non solum à temporali, sed etiam à spirituali*. Tu verò, Thoma, *benè scripsisti*, non de imagine solum crucifixi, sed etiam de imagine bestiæ, Romano Pontifice; qui illam donas honore Christi, hanc ab ignominia vindicas Antichristi. At dic, amabò te, quodnam illud erat imperium abscessione gentium in decem regna dispertiendum. Num ita tibi læsum est cerebrum, vt non planè videas temporale illud imperium in hoc negotio esse semper & ab omnibus intellectum? Nos ergò ex cessatione temporalis imperij, quam tu fateris, venisse concludimus Antichristum. Et eò arripimus quod tu subiungis: *Est hoc conueniens signum quòd Christus veniet, quando Romanum imperium dominabitur omnibus: ita èconuerso signum Antichristi est discessio ab eo.* Vide verò vbi ait *imperium temporale in spirituale commutatum esse*, quàm duris cornibus Pontificem suum arietat. Quid est enim aliud quàm acsi dicat; Verè quidem euersum est quod erat olim imperium Romanum, & imperij sedem & maiestatem secundùm vaticinia Prophetarum Pontifex inuasit, & hac vsurpatione Antichristus argumento certissimo cõprobatur. Quod si nondum satis liquere videatur, iuuabit nos *Bellarminus*, qui bellè monet [m] *Antichristum postremum & vltimum fore qui Romanum imperium tenebit, tamen sine nomine Romani imperatoris*. Annon apertè

[l] Thom. Aquin. 2. Thess. 2. lect. 1.

[m] Cap. 15.

aperte nobis Pontificem describit, quem agnoscit *Thomas* Romanum imperium tenere, sed de temporali commutasse in spirituale, ac proinde Romanum imperium tenere, sine nomine Romani imperatoris? Nam vt vltimum intelligamus septimus est: bestiæ autem Romanæ septem tantùm capita numerantur; è quibus est septimus & vltimus Antichristus. *Thomas* verò qui tam [n] *acutè omnia*, dum hastam illam in Pontificem intortam temporalis & spiritualis imperij distinctione deludit, alteram fortasse pro Antichristo importando discessionem somniat futuram, qua spirituale quoque Pontificis imperium in minutos decem Pontificatus diuisum abscedat. Et illam dum expectat, egregium se veri Antichristi asseclam & satellitem præbet, & cerebro vehementèr insudat, vt Romanæ perfidiæ, quam exosculatur vnicè, subtilitatibus nouis & inanium distinctionum ludibrijs subsidium ferat. Nempe animus illi erat nihil damnare quod in Ecclesia repererat, sed ingenio agere vt absurdissimis quibusque figmentis, cum manifesta licèt impietate coniunctissimis, opercula fabricaret. Hîc verò acumen tuum, *Thoma*, nôn iuuat, quia fateris imperium illud Romanum, quod ex scripturis patres intelligunt, esse collapsum, & eius loco aliud esse á Pontifice substitutũ quod Antichristi esse necesse est, quia Antichristi regnum forè prædictum est quod esset ex ruinis imperij nasciturũ. Quinetiam ex illa tua distinctione agnoscimus [o] *bestiam quæ erat, & non est, & tamen est*, fuit enim Roma temporali imperio mundi Domina: iam verò non est eodẽ imperio temporali, & tamen est imperio Pontificis spirituali.

n Campian. Ract. 9.

o Apoc. 17. 8.

5 Sed huic vulneri *Bellarminus* quoad potest medetur: id autem dum agit, telum per imprudentiã infigit altiùs. [p] *Signum*, inquit, *antecedens aduentum Antichristi est omnimoda desolatio imperij Romani*. Illa verò qua tandem ratione contingit? *Est*, inquit, *Romanum imperium tandem diuidendum in decem reges, quorum nullus erit vel dicetur rex Romanorum, etsi omnes occupabunt prouincias aliquas Romani imperij: donec autem hoc non fit, non potest Antichristus venire*. At expunge quod per fraudem interponis (*vel dicitur*) & quod dicis, iam olim factum est. Iam olim imperium Romanum in decem regna diuisum est, & è regibus illis qui imperij prouincias obtinuerunt, rex Romanorum nullus est; quia regnum Romanorum in illa sortitione Pontifici tuo, hoc est, Antichristo cessit in prædam, quemadmodum ante declaratum

p Cap. 5.

ratum est. Sed tu tamen ex interposita clausula *(vel dicitur)* imperatorem Alemannicum ***regem Romanorum*** salutari respondes. Atque verò si esse illum regem Romanorum defendas, tu-us te Pontifex mentiri confirmat, qui mero fauore concedit imperatori, vt titulari quodam honore rex Romanorum indigetetur: in vrbe autem Romana nullo modo regnare permittit. Immò attende vocem Pontificis; [q] *Vrbs Romana nostra est, non imperatoris. Romæ nostra sedes est: Imperatoris est Aquis in Arduenna quæ est sylua Galliæ.*

q Adrian.4 apud Auentin. Annal. lib.4.

6 Tu tamen instas atque ais: *nihil obstare quòd Roma ipsa ceciderit quodammodo & imperium amiserit, quia imperium Romanum sine vrbe Roma bene consistere potest, & dici Romanus imperator qui Roma caret, modò succedat alteri Romano imperatori in eadem dignitate & potestate.* At quod tu nobis imperium Rom. narras, quod sine vrbe Roma consistere potest? Quid si ne *Imperium* quidem dici possit? Est enim imperium ex vsu sermonis nostri latissimè propagatum, prouinciarum & populorum varietate distinctum, [r] *regnum habens,* vt olim Romanum illud, *super reges terræ.* Imperium quod tu fingis, vnica est imperij prouincia, [s] *tenuis quædam vmbra magni corporis*, ac ne vmbra quidem, *corpusculum exangue, vix ossibus hærens*, regnum super reges terræ habet nullum. Et vt sit imperium, certè Romanum imperium dici nullo modo debet. Nam inde nomen erat Romani imperij, quòd Romani rerum summa potiti sunt: quod [t] *sub potestate vrbis orbis remansit imperium.* Imperium ab vrbe Romana diuulsum, Romanum amplius dici non debet. Neque enim Babylonicum erat dicendum imperium quod Babylon amiserat, etsi gentes adhuc eædem imperio subiacerent; & cecidit Persarum imperium, vbi apud Persas summa rerum potestas esse desijt. Postquam ergò Romanis abrogatum est imperium, & Roma ipsa desijt esse ciuitas magna *regnum habens super reges terræ*, Romani nomen imperij exprobratio est Romani nominis, rationem autem veritatis non habet. At esto tamen, vt imperium Romanum dicatur, quòd ius imperij ab vrbe Romana dependeat; certè simul cum vrbe ipsa titulum imperij transire necesse est. Qui ergò imperatorem ab vrbe, & vrbem ab imperio submouerit, nomen ille Romani imperij siue Romani imperatoris otiosum præstabit. Vrbs autem, teipso teste, imperium amisit, & imperator vrbem. Imperium quoque collapsum est, & partem eius post Saracenos Turcæ,

r Dan.2,37. Apoc.17.18.

s Sleidan de quatuor summis imp.

t Oros. histor. lib.1. cap.1.

partes alias Christiani principes occuparunt; imperator *tibia illa Danielis*, quam commemoras, in digitum exeunte, in angulum Germaniæ contrusus [t] *vix centissimam partem orbis terrarum* superstitem habet. Quòd si & orbem & vrbẽ amiserit, qui tu illum tandem imperium Romanũ sine vrbe Roma tenere defendis? & qui neque ciuitatem Romanam, neq; prouincias olim Romanas possidet, quomodo tu illum Romanum imperatorem dixeris appellandum? *Quia*, inquis, *succedit alteri Romano imperatori in eâdem dignitate & potestate.* At in eo non succedit vnde Romani nomen petendum esset; quia Rómam sedem imperij nec re nec iure possidet. Neque verò aliàs succedit veteribus illis imperatoribus in eâdem dignitate & potestate. Nam ad imperij dignitatem pertinet inprimis subditarum gentium multitudo. Tu imperatorem vides, præ antiquis illis toto orbe dominantibus, penè solitarium permanere. De imperatore vetus Ecclesia profitetur: [u] *Colimus imperatorem vt hominem à Deo secundum, solo Deo minorem*: tu præ imperatore Pontificem colis, & quantò [x] *sol est luna maior*, tantò imperatore maiorem facis. Leges imperator Romanus orbi terrarnm dictauit & scripsit: tuus qui nunc est, ne suis quidem. Ex quo veteres [y] *imperatores Christiani esse* cæperunt, *Ecclesiæ negotia ab illorum nutu pendebant*: tuo imperatori sacrilegum est [z] Ecclesiæ negotijs nisi ad nutum Pontificis immisceri. [a] *De veterum imperatorum sententia maxima concilia cogebantur*, & [b] *supplices* illis erant episcopi Romani, tum vt haberi concilia *iuberent*, tum vt loca ipsis opportuna constituerent: tuo imperatori nihil est rei cum concilijs, sed ab arbitrio Pontificis & indictio conciliorum & confirmatio dependet. Denique circumcisa est potestas imperatoris, & Pontificijs atque ordinum imperij legibus circumscripta, vt nullo modo sit cum veteris imperij maiestate conferenda. At esto illa successione qualiscunq; esse poterit, & habeat imperator in illo imperij frustulo quantam poterit dignitatem; certe cùm nec imperium illud antiquum obtineat, nec vrbem ipsam de qua titulus imperij profectus est, erit ille quidem sub nomine imperatoris vnius è [c] *regibus* illis quibus prouinciæ olim Romanæ ceciderunt; Rom. imperator, vrbe simul & imperio exutus, nisi tituli cuiusdam honorarij ludibrio dici non potest. Atqui verò non agitur in scripturis, *Bellarmine*, de vmbris & inanitate nominũ, sed de rerum veritate. Itaq; tota illa disputatio otiosa est, qua imperatorem

t Podip. method. histor. cap. 7.

u Tertul. ad Scapulam: & in Apologet. cap. 30.
x Decretal. Greg. de maior. & obedien. cap. solitæ.
y Socrat. histor. lib. 5. in procem.
z Dist. 96. Si imperator.
a Socrat. ibid.
b Leo epist. 9.

c Apoc. 17. 12.

imperatorem adhuc subesse contendis, nec iuuant causam tuam imperatoris insignia, cuius imperium nisi vnius prouinciæ angulis inclusum describi non potest. Recognosce verò quid de statu imperij & illius vaticinij complemento in Synodo Reginoburgensi iam olim declamatum est. [d] *Romani maiestas populi, qua olim orbis regebatur, sublata est de terris. Imperator vana appellatio & sola vmbra est. Reges decem paritèr existunt, qui orbem terræ, Romanum quondam imperium, non ad regendum, sed ad consumendum partiti sunt. Decem cornua, id quod* Augustino *incredibile visum est, Turcæ, Græci, Ægyptij, Afri, Hispani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali Romanas prouincias possident, Romanosq; in his excidere colonos. Cornu paruulum sub his succreuit, quod oculos habet & os loquens grandia, &c.* De eodem quoque Lyranus: [e] *Ab imperio Romano recesserunt quasi omnia regna, negantia ei subijci & redditionem tributi:* & eo non contentus addit: *Iam à multis annis imperium illud caruit imperatore.* Noli *Bellarmine* tergiuersari; iam olim Romanum imperium absumptum est: quare nihil est in ista defensione tua quo fidem facias nondum venisse Antichristum.

d Auen. Annal. lib. 7.

e Lyran. in 2. Thess. cap. 2.

7 Quod erit adhuc liquidius, si attendere placeat quid fuerit in causa, quominus stante imperio regnum suum Antichristus adipisceretur. Eam *Chrysostomus* assignat, & post illum *Theophylactus*: [f] *Donec imperij illius timor fuerit, nemo Antichristo statim subdetur: quando verò istud destructum fuerit imperium, vacantem imperij principatum inuadet, & ad se diuinum simul & humanum imperium rapere tentabit. Et nisi Romanum illud imperium euertatur, nullam Antichristus habiturus est viam vt queat pro eius cupiditate quæ velit perficere,* metu scilicet imperatoriæ potentiæ tanquam fræno retentus, ne se in altum attollere auderet. Tu verò *Bellarmine* spectrum imperij nobis opponis cuius nulla formido est, cuius eneruata potentia iamdiu nihil habuit quod *detineret* Antichristum, nihil quod impediret quominus caput attolleret, & sibi regnum illud desolatorium in ecclesias Christi firmaret. Immò terrorem imperij transtulit ad se Pontifex Romanus, & quasi *terrenus quidam deus* plus metui cæpit gladio spirituali, quàm imperator temporali. Et vsqueadeo constat imperij formidinem sublatam esse, vt qui episcopus olim vrbis Romæ imperatorem dominum suum salutare consueuerat, Pontifex ex imperij lapsu iam factus, vt Antichristum agnoscas, dominum se imperatoris, sibi imperatorem *aduocatum* & *homulum* fecerit,

f Chrys. & Theoph. in 2. Thess. cap. 2.

cerit, & illum habuerit sibi tanquam subditum iuramento fidelitatis obstrictum, & ni obsequentem inuenerit, pro arbitrio illum de imperij dignitate deturbarit. Neq; verò hoc iampridem tantùm factum est, sed cùm meliora adhuc essent imperij tempora, ita tamen metus eiusdem imminutus est, vt ausus sit Pontifex, quod antè auditum non fuerat, imperatori se opponere, & eum, res suas tueri non valentem, totius Italiæ iure priuare. Quando ergò constat formidinem imperij remoram fuisse Antichristi; formidinem autem imperij citra omnimodam desolationem declinatione illa magna esse sublatam, *Bellarmino* reponimus illam quam nobis obijcit *deceptionem*, & iterum defigimus quod ille vellicat, magnam illam imperij Romani declinationem aditum Antichristi regno & opportunitatem præbuisse. Iam verò qui Romanum imperium planè cecidisse sentimus, & aliud eius loco subrogatum esse, quod magnitudine sua cœlum terramque compleuerit, & sibi angelorum simul atque hominum, viuorum & mortuorũ potestatem insolentissimè vendicarit, consequens est vt regnum hoc Antichristi esse statuamus, quia post [g] Romanum imperium non aliud eius loco futurum Christiana fides expectat, quàm solius Antichristi.

g Theodoret. in 2. Thess. 2.

8 Neque id nos primi vidimus, neq; suspicionem hanc *Caluinus*, aut *Lutherus*, aut certè *Wiclefus* primi seuerunt: viderunt ante annos quingentos quicunque oculati fuerunt, cùm [h] *pleriq; pro concione Romanum pontificem Antichristum fuisse prædicarunt, titulo Christi Antichristi negotium agitasse; in Babylonia, in templo Dei sedisse: in hoc omnes neruos intendisse, vt duce gregis oppresso, in oues desertas præsidio imperatoris licentiùs impuniùsque grassaretur: cùm pleriq; omnes boni, aperti, iusti, simplices, ingenui prodiderũt tum Antichristi regnum cæpisse quòd ea quæ Christus* seruator noster tot *antè annos cantauit, eo tempore euenisse cernebant:* quum Episcopus quidam [i] *Florentinus palam* denunciauit *Antichristum natum esse*, eoque nomine à Paschali secundo reprehensus est. Vidit proximo ferè seculo [k] *Ioachimus* Abbas, qui à rege *Richardo* Anglo de Antichristo interrogatus, respondit, Romæ iamdiu natum extitisse, & tunc maximè regnasse, seque exaltasse super omne quod dicitur Deus; alludens ad ea quæ in imperatores *Henricum & Fredericum* à Romanis Pontificibus *Hildebrando* & *Alexandro* facta sunt. Vidit noster ille [l] *Robertus Grosthead* episcopus Lincolniensis, qui grauissima disputatione Pontificem Romanum

h Auentin. Annal. lib. 5.

i Platin. de vitis Pontif. in P. fcha li. 2.

k Balæus, Centur. 3. in append.

l Mathæ. Paris. in Henr. 3.

num ipsumesse Antichristum iam moriturus comprobauit. Viderunt [m] *Gerardus* quidam Sagarellus, Parmensis, & *Dulcinus* Nauarrensis: qui quòd Papam Antichristum, ecclesiam Romanam meretricem Babylonicam asseruerunt, cùm ingenti auditorum numero [n] Pseudapostolorum nomine interfecti sunt. Vidit sub eodem seculo [o] patruus quidam *Petri* Veronensis cum multis alijs, qui quo tempore *Cyrillus* Carmelita, nefarius pseudopropheta, nouam Apocalypsim à se cælitus acceptam confinxit, de vera *Ioannis* Apocalypsi animaduerterunt Romā Babylonem tum fuisse, Romanū Pontificē Antichristū. Vidit [p] *Hayabalus* quidam Minorita, qui circiter annū domini 1345 solitus est publicè concionari & affirmare, *se diuinitus iussum cōcionari Rom. ecclesiam esse Babylonicam mereticem; Papam & Cardinales meros Antichristos*, eaq; causa in perpetuum carcerem à Pontifice damnatus est. Vidit synodus Reginoburgensis, vbi ita publicè declamatum est: [q] *sub pontificis maximi titulo pastoris pelle, lupum sæuissimum, nisi cæci sumus, sentimus, &c.* Hildebrandus *ante annos centum & septuaginta primus specie religionis Antichristi imperij fundamenta iecit, &c. Flamines illi Bybyloniæ soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt, &c. Qui seruus seruorum est, dominus dominorum, perinde ac si Deus foret, esse cupit. Ingentia loquitur quasi verò Deus esset, homo ille quem Antichristum vocare solent, in cuius fronte contumeliæ nomen scriptum est, Deus sum, errare non possum.* Vidit [r] *Probus* episcopus Tullensis, qui legatos pontificis *Antichristi satrapas, Romuleos vultures* appellauit. Neque nihil vidit *Bernardus*, etsi non admodum acquiescens [s] Norberti sermonibus de Antichristo sub illa generatione conspicuo, sed nonnihil vidit cùm [t] *intestinam & insanabilem ecclesiæ plagam & putidam tabem per totum corpus eius serpentem* pluribus describens, gemebundus tandem concludit, *superest vt reueletur homo peccati, filius perditionis, ipse Antichristus.* Certè alienum illis temporibus Antichristum non iudicauit, qui dum in Anacletum secundum, ni fallor, schismaticum Rontificem inuehitur: [u] *Bestia,* inquit, *illa de Apocalypsi cui datum est os loquens blasphemias & bellum gerere cum sanctis,* Retri *cathedram occupat, tanquam leo paratus ad prædam.* Eant nunc & obmurmurent *Ioannem Wiclefum* primum omnium Romanam sedem Antichristani nominis probro contaminasse. Atqui verò intelligimus principes, magnates, sacerdotes, plebes hoc ipsum ante *Wiclefum* lamentabili experientia didicisse,

m Cal. test. veritatis. pag. 504.

n Alfons. de Castro aduer. hæres. lib. 12. tit. Potestas.

o Hospinian. de origine Monach. lib. 8. cap 3.

p Catalog test. veritatis. pa. 449.

q Auent. Annal. lib. 7.

r Auent. ibid.

s Bernard. epist. 56.

t Idem in Cant. ser. 3. & in Psal. Qui habitat. ser. 6.

u Epist. 125.

didiciſſe, quod ab illis perceptum, & à ſe quoque peruiſum, nihil mirum ſi conſtantiſſimo dogmate peruulgarit. Quin & nos iiſdem argumentis permoti, & certiſſimis ſcripturarum oraculis edocti atque inſtructi, contra ſecundam *Bellarmini* demonſtrationem, quam nos, vt ſeriem noſtram ſequamur, primo loco tractamus, definitè ſtatuimus iamdiu eſſe ex quo ſolutum eſt imperium Romanum, ac proinde iamdiu eſſe ex quo venerit Antichriſtus; & quia Romę illum eſſe oportet, alterum quàm Romanum Rontificem eſſe non poſſe.

CAP. 5.

Euangelium per vniuerſum orbem iam olim fuiſſe publicatum, contra Bellarm. *primam demonſtrat. cap* 4.



Ad Romanum Pontificem ab Antichriſti ſuſpicione liberandum, nihil ſibi *Bellarminus* expeditius eſſe ſenſit, quàm vt Antichriſtum ſuaderet nondum apparuiſſe, & aduentum illius in poſterum adhuc expectandum ſupereſſe. Atque hanc ſibi arcem inprimis muniendam ratus; non contentus communibus argumentis; demonſtrationibus, hoc eſt, certiſſimis & exploratiſſimis rationibus rem agere videri voluit, & haſtas nonniſi amentatas omnes & mortiferas intorquere, vbi ſpicula tantùm arundinea vibrat, & iactat plumbeos pugiones. Demonſtrationes huiuſmodi ſex numero proponit, è quibus duę ab antecedentibus; duæ alteræ à comitantibus Antichriſti aduentū; totidem à conſequentibus deſumptæ ſunt. Antecedunt Antichriſti aduentum prædicatio Euangelij per totum orbem, & deſolatio imperij Romani; è quibus ille neutrum adhuc factum contendit. Iam quod de ſtatu imperij Romani nugatur, exploſum eſt capite ſuperiore, nec in eo quicquam eſſe docuimus, quod non veniſſe Antichriſtum, & illum Romanum Pontificem eſſe confirmet. Illud nunc examinandum venit, An completum ſit quod de Euangelio Chriſtus per totum orbem promulgando prædixit. a *Scripturæ*, inquit *Bellarminus*, *teſtantur in toto mundo Euangelium eſſe prædicandum antequam veniet vltima perſecutio quæ excitabitur ab Antichriſto. At noſtro adhuc tempore non eſt Euangelium in toto orbe prædicatum: ergo nondum venit Antichriſtus*. Propoſitionem affirmat ex Mat. 24. *Prædicabitur hoc*

a Cap. 4. de Antichriſto.

Euangelium

Euangelium in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus. Verùm adde, *Bellarmine*, quod sequitur; *Tunc veniet consummatio*, & vno verbo *Chrysostomus* demonstrationem tuam euertit. *Tunc venit consummatio.* [b] *Consummatio scilicet*, inquit, *Hierosolymorum. Quòd enim sicut prædixit vel ante Iudæorum vrbis euersionem per mundum Euangelium effusum erat*, Paulum *audi*, [c] *In omnem terram exiuit sonus eorum: & rursum*, [d] *A spe Euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura quæ sub cælo est. Viginti enim annos aut ad summũ triginta ad omnes oras orbis Euangelium transcurrit. Post hæc igitur*, inquit, *Hierosolymorum finis aderit.* Quicquid ergò illis verbis Christus futurum intelligi voluit, id totum *Chrysostomus* ante excidiũ Hierosolymorum compleri oportuisse, & completum esse testatur. Ne verò solus sit *Chrysostomus*, addamus quoque *Hilarium*, cuius tu testimonio totus ex fraude compositus inhonestè abuteris, & quem tibi in hac causa aduersarium intelligis, calidè tamen tanquam parti tuæ fauentem producis. At ille verborum Christi sententiam exponens, [e] *Tum per omnes orbis partes*, inquit, *viris Apostolicis dispersis Euangelij veritas prædicabitur. Et cùm vniuersis fuerit cognitio Sacramenti cælestis inuecta, tum Hierusalem occasus & finis incumbet, vt prædicationis fidem infideliũ pœna & metus erutæ ciuitatis consequatur. Theophylactus* quoq; in eandem sententiam: [f] *Tunc veniet consummatio, non mundi, sed Hierusalem.* [g] *Nam ante captiuitatem illam Euangelium vbique prædicatum est: breui tempore in totum orbem prædicatio transiuit:* [h] *Deo ita dispensante, vt quum milites mundum concuterent, & grauiter affligerent Iudæos, Apostoli interim totum mundum prædicatione complerent.* Qua verò fraude *Hilarium*, eâdem quoque *Hieronymum* adducis, cuius sententia etsi consummationem illam ad mundi occasum referat, tibi tamen apertè refragatur. [i] *Signũ Dominici aduentus est Euangelium toto orbe prædicari; quod aut iam completum, aut in breui cernimus esse complendum. Non enim puto aliquam remansisse gentem quæ Christi nomen ignoret.* Quo significat nihil sibi exploratum fuisse, quominus Euangelium omnibus omninò gentibus illuxisse sentiret.

b Chrysost. in Mat. hom. 76.
c Rom. 10. 18.
d Col. 1. 23.
e Hilar. in Mat. can. 25.
f Theophyl. in Mat. 24.
g In Marc. 13.
h In Luc. 21.
i Hieron. in Matth. 24.

2 Quod verò sequitur, *Et quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis gentibus opinionem fidei non potest ignorare*, id tu arripis, & concinnata inde distinctione respondes: *duobus modis Euangelium ad gentes peruenire potuisse; vno modo per famam; alio modo per proprios prædicatores & Ecclesiarum fundationem.*

Priori modo concedis ad omnes perueniſſe tempore Apoſtolorum: poſteriori ne nunc quidem; de quo tamen Dominum loqui ſubiungis. Atqui non ignoras patres illos Chriſti prophetiam interpretantes, factum teſtari quicquid illud erat quod Chriſtus futurum præmonuit, vt nullus diſtinctioni tuæ locus ſuperſit. Quoquo modo factum eſt, ſiue per famam ſiue per proprios prædicatores, ſi factum ſit quod Chriſtus verbis illis intellexit, tibi os obſtruitur, quia iam olim nihil reſtat de Chriſti prophetia non impletum, factum autem illi aſſerunt. Nihil eſt ergo in hoc impedimenti quin venerit Antichriſtus. Quòd ſi per *prædicatores* fieri oportere vrgeas, reſpondet tibi Paulus;[k] *Prædicatum eſt Euangelium omni creaturæ quæ ſub cœlo eſt.* Tu verò non dixeris, abſque prædicante prædicatum eſſe Euangelium omni creaturæ quæ ſub cœlo eſt. Neque id tamen per proprios prædicatores fieri neceſſe fuit (id ex tuo cerebro natum eſt, & ibi ſepeliendum) vbi enim ex eo quod alijs prædicatur, fama peruehit ad alios quod illis in teſtimonium ſufficiat, nihil obſtat quin impleri dicatur quod ait Paulus,[l] *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in extremitates terræ verba eorum.* Quod ille factum quoque agnoſcit [m] Col. 1. vbi *Euangelium* iam tùm in *toto mundo* extitiſſe teſtatur. Quæ etſi ſunt aperta, *Bellarminus* tamen impudentèr eludit, & ait Apoſtolum *præteritum pro futuro vſurpaſſe, & noluiſſe dicere, Euangelium in toto mundo fuiſſe actu ſed virtute:* ita illi expeditum eſt excogitato diſtinctionis mendacio manifeſta ſcripturæ teſtimonia deprauare. Num ſeriò tibi ſapit, *Bellarmine*, commentarius iſte tuus; *Peruenit Euangelium in totum mundum*; id eſt, poſt mille quingentos annos aut ampliùs peruenturum eſt: *prædicatum eſt Euangelium omni creaturæ quæ ſub cœlo eſt,* id eſt, poſt multa ſecula veniente Antichriſto prædicabitur? Atqui te falſarium conuincunt, quos antè memorauimus, qui his ipſis ſententijs confirmant ante excidium Hieroſolymitanum Euangelium per vniuerſum orbem propagatum fuiſſe. Quibus accenſeri quoque debet Ambroſius; qui illud explicans, *in omnem terram exiuit ſonus eorum,* [n] *Quod Pſalmographus*, inquit, *de creaturis dixit, hoc Apoſtolus de Euangeliſtis: quia vbique audita eſt & in omnem locum peruenit prædicatio nominis Chriſti. Vbi enim prædicantis hominis præſentia defuit, ſonus tamen & fama peruenit, ſicut peruenerat opinio factarum virtutum in Aegypto ad omnes gentes, teſte Rahab meretrice.*

k Col. 1. 23.

l Rom. 10. 18.

m Col. 1. 6.

n Ambroſ. in Rom. cap. 10.

retrice. Etiam Eusebius: [o] *Diuina*, inquit, *virtute & cooperatione salutaris doctrina orbi vniuerso veluti solaris quidam radius illuxit, ac confestim secundùm diuinas scripturas diuinorum Euangelistarum & Apostolorum sonus in omnem terram exiuit, & ad fines orbis vsque verba eorum.* Ecquid vis amplius, vt intelligas impletum esse olim quod Christus de Euangelio per totum orbem prædicando vaticinatus est?

[o] Euseb. histo. lib. 2. cap. 3.

3 Atqui Origenem adhuc affers nobis aduersum, cuius tamen nobis testimonium nocere non potuit, quia manifesto errore præiudicatur. [p] *Nondum*, inquit, *Euangelium regni prædicatum est in toto orbe.* Commemorat autem Æthiopas & Orientales & Seres, Britannos, Dacos, Sarmatas, Scythas, & alios, ad quos nondum Euangelium peruenisset. At *Irenæus* antiquior Origene non commemorat modò, sed etiam de fidei integritate commendat [q] *Ecclesias in Germaniјs & Oriente* ante sua tempora fundatas. Hieronymus author est [r] *Germanis* ab Apostolo *Thoma* fidem annuntiatam fuisse. [s] *Aethiopibus* ab Eunucho *Candaces reginæ Ethiopum* prædicatum esse narrat Eusebius: & idem Hieronymus in [t] *altera Aethiopia* factum testatur à *Mathia* qui Iudæ proditori subrogatus est: in [u] Scythia ab *Andrea* Eusebius ostendit. Ac ne in singulis moremur, gentibus illis omnibus ab ipso Apostolorum seculo Euangelium esse propagatum testis est Theodoretus, qui [x] *piscatores & publicanos & sutorem illùm nostrum* (Paulum intelligit) *ad legem Euangelicam* affirmat non *Romanos solùm & qui sub Romano viuerent imperio, sed Scythas quoque & Sauromatas; Indos, Aethiopas, Persas, Seres, Hyrcanos, Britannos, Cimmerios, Germanos, denique omne genus hominum & omnes nationes induxisse.* Illustre verò est & proposito nostro inprimis accommodatum *Tertulliani* testimonium, qui Christo credidisse confirmat [y] *Getulorum varietates, & Maurorum multos fines, & Hispaniarum omnes terminos, & Galliarum diuersas nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium & prouinciarum & insularũ multarum nobis,* inquit, *ignotarum, & quæ enumerare minùs possumus.* Vbi quum *abditas gentes & prouincias atque insulas ignotas* commemorat, tollit *Bellarmine* subsidiariam illam exceptionem, quam tu de noui orbis inuentione confictam interponis. Neque enim vllam tibi relinquit orbis partem ad quam Euangelium non peruenisse fidem facias,

[p] Orig. in Mat. cap. 24.
[q] Iren. aduer. hæres. li. 1. cap. 3.
[r] Hieron. Catal. script. ecclesi.
[s] Euseb. histo. lib 2 cap. 1.
[t] Hieron. Catal. script. ecclesi.
[u] Euseb. histo. lib 3, cap. 1.
[x] Theodoret. de curand. Græc. affect. lib. 9.
[y] Tertull cont. Iudæos.

facias, qui illud peruenisse confirmat ad *abditas gentes* & *insulas ac prouincias* eruditis antiquitùs ignotas, quos constat trinum illum orbem *Asiæ, Europæ* & *Africæ* satis exploratum habuisse. Quando ergò ais, *si fides apud illas gentes* quas narras *extitisset, futurũ saltem vt aliqua vestigia remanerent, vel ibi vel in scripturis veterum*; habes de veterum scripturis vnde id tibi aliquatenus constare poterit. Porrò è gentibus ipsis quædam hoc certissimum esse conuincunt, quando apud insulas ab Hispanis recèns inuentas, etsi nulla veterum memoria nobilitatas, & Christi iam ne nomen quidem habentes, monimenta tamen Christianæ fidei, [z] sepulta in terris, vt refert Osorius, fodiendo reperta sint. Quicquid ergo tibi videtur de nouo orbe temporibus Apostolorum nondum cognito, certè nos arbitramur non incognitum illi fuisse qui dixit Apostolis, [a] *Euntes in mundum vniuersum docete omnes gentes*; [b] *prædicate Euangelium omni creaturæ*: & rursum; [c] *vos eritis mihi testes in Ierusalem, &c. & vsque ad extremitates terræ.* Denique vt intelligas Origenis testimonio quàm parùm proficias, audi eundem alibi dicentem, * *à finibus terræ vsque ad fines terræ propagatam Euangelij prædicationem, & nullum penè tùm locum extitisse qui semen verbi non suscepisset*; & alibi quoque apertiùs; *Totus orbis in vnius Dei religionem consensit. Nunc propter Ecclesias quæ mundi limites tenent* (Britannorum & Maurorũ Ecclesias nominatim commemorat) *vniuersa terra clamat ad Dominum Israel, & capax est bonorum secundùm fines suos.*

z Osor. histo.

a Mat. 28. 19.

b Mar. 16. 15.

c Act. 1. 8.

* Origen. in Genesin. hom. 9.

† Idem, in Ezech. hom 4.

4 Quod autem affers ex Augustino tempore illo fuisse multas gentes quæ de Christo nihil audierant, hoc ille quidem ait de *gentibus Africanis*, & potuit propter extinctam apud illas fidem suspicari. Neque enim aliunde sibi hoc persuasum declarat, quàm quòd *captiui* quidam qui inde ducerentur, de Christo nihil omninò cognitum haberent. At quod de *Nubiæ regno Africano* à neotericis obseruatum est, [d] *fuisse olim Christiana religione imbutũ, hac tempestate vix vllam religionẽ agnoscere*, hoc idem illis gentibus vsuuenire potuit tempore Augustini, vt quia fidem quã olim acceperant non retinuissent, omninò nunquam accepisse viderentur. Certè quæ ex antiquis Ecclesiæ monumentis in manibus habemus, facilè persuadeant, per vniuersam Africam ante illa tempora Christianæ fidei disciplinam permanasse. Marcum [e] *Alexandriæ* Ecclesiam constituisse testatur Hieronymus. Nicephorus illum [f] *Aegypto, Libyæ, & vniuersæ Barbariæ, Cyrenæis quoq;*

d Ortel. in tab. Aphricæ.

e Hieron. Catal.

f Niceph. lib. cap. 43.

& *Pentapolitanis* quos [g] *Tertullianus* etiam cōmemorat Euangelium annunciasse perhibet. Idem quoq; refert *Simonem* zelotem [h] *omnem penè Africam percurrisse*. Ecclesiarū in [i] *Aegypto & Libya* meminit *Irenæus*. De *Aethiopibus & Mauris & Getulis* iam antè vidimus. Ex [k] tota *Thebaide*, martyres Eusebius sub Seuero refert occubuisse. In concilio Cypriani Carthaginensi leguntur ex prouincijs [l] *Africana, Numidica, Mauritanica* episcopi plùs minùs octoginta. Quæ qui expenderit, haud ille facilè, opinor, assentietur vllam Africæ partem extitisse ad quam, etsi Augustini tempore retrò lapsam, sonus Euangelij Christi non permearit. Ac ne sim longior, habemus ex Pontificijs qui sententiam nostram propugnat, [m] Renatum Laurentium in obseruationibus illis quas ad librū *Tertulliani* contra *Iudæos* adnotauit. Quare quum locupletissimis authorum testimonijs compertum sit, fidem Christi ab ipsis Apostolis per totum orbem fuisse peruulgatam; frustra tu hîc sudas, *Bellarmine*, & nihil impedit demonstratio ista tua quin venisse Antichristū, ipsumque esse Romanum Pontificem arbitremur.

g Tertul. cont. Iudæos.

h Niceph. lib. 2. cap. 40.

i Iren. li. 1. ca. 3.

k Euseb. histo. lib. 6. cap. 1.

l Concil Carthag. apud Cyprianum.

m Renat. Laurent. annot. in lib. Tertul. cont. Iudæos.

CAP. 6.

Refutatur fabula de Enoch *&* Elia *personalitèr sub Antichristo venturis, contra* Bellarm. *demonstrationem tertiam, cap.* 6.



QVæ tertia demonstratióne, à te *Bellarmine*, disputata sunt de *Enoch* & *Elia* in suis personis sub Antichristi tempore venturis, quo argumento contendis nondum venisse Antichristum, quia nondum *Enoch* & *Elias* apparuerunt, eiusmodi illa sunt vt lannis & sibilis explodenda iudicarem, nisi tibi veterum quorundam scriptorum credula nimium simplicitas & negligentia faueret. Quorum tamen authoritas, & maximè dissentientium inter se & opiniones suas destruentium, authoritati scripturarum & manifestæ veritati præponderare non debet. Et meritò quidem in illis aliquantulam assentiendi temeritatē improbamus; te verò millies damnamus, qui quæ vides ab illis tam variè, tam infirmis & nullis argumentis esse tradita, tanquam oracula venerari, & Ecclesiæ sub nomine *demonstrationum*, tanquam citra omnem controuersiam certissima,

ma, proponis. Qui verò fabulam illam ſuggillas de Antichriſto venturo de [a] *tribu Dan*, quæ tantum tamē habet antiquitatis ſuffragium; & ſcripturas illas detortas agnoſcis, ex quibus traditio vetus ab *Irenæo* ad hoc vſque tempus illum affirmat de ſtirpe illa naſciturum, cur non eadem iudicandi libertate commentum hoc conuellis de *Enoch* & *Elia*, quod fidei rationem habet non maiorem, fortaſſe etiam aliquantò minorem? vt autem iſtius ſomnij vanitatem arguamus, inde exordiendum eſt, vnde error omnis de duobus iſtis Antichriſti antagoniſtis exortus eſt. *Ioannes* in Apocalypſi cap. 11. narrat [b] *ſanctam ciuitatem à gentibus ad quadraginta duos menſes eſſe calcandam*. Quo tempore Chriſtus ſe *duobus teſtibus ſuis* poteſtatem *daturum* promittit, vt *per illos dies prophetandi munus exerceant*, quouſque *finito teſtimonio à beſtia occidantur, corporibus eorum ſine ſepultura iacentibus in plateis magnæ ciuitatis. &c*. Inde fabula contexta, futurum, vt Iudæi Antichriſto duce, cuius ſe obſequio tradituri ſunt, Hieroſolymitanam vrbem occupent; ſub illo tempore duos illos teſtes adfuturos qui perfidis iſtis Iudæis & Antichriſto ſemet opponant. Duos illos teſtes interpretantur *Enoch* & *Eliam*, quos hucuſque viuos alicubi conſeruatos aſſerunt, vt huic ſeculo reſtituti Antichriſto reſiſtant: futurum verò vt ab eo tandem occiſi, poſt tres dies & dimidium reuiuiſcant, eoque miraculo Iudæi conuerſi, Antichriſtum in Oliueti monte confodiant, & deinceps Chriſto mox iam poſt quadraginta quinque dies venturo ſe accommodent.

2 Atqui verò parum commodè locis ſuis & temporibus iſta diuiſa ſunt. Quis ita ferat interpretantem; Gentes calcabunt ſanctam ciuitatem, id eſt, Iudæi Hieroſolymam? Quantò meliùs eccleſiam hîc intelligimus verbo Dei tanquam virgula menſuratam; cuius apud Deum conſtat longitudo, & latitudo, & membra omnia in numerato ſunt: cuius [c] muri in *conſpectu eius ſemper*, & nomina omnia in *palmis manuum eius* exarata, vt ex illa nihil perdatur, nihil pereat, ſed quicquid [d] *datum eſt* Ieſu Chriſto, *reſuſcitetur in nouiſſimo die*? Itaq; in turbis & iactationibus ſeculi conſeruantur incolumes electi, nec vnquam aut vſquam [e] *portæ inferorum aduerſus Eccleſiam præualebunt*, quando interim hypocritæ, qui tanquam *atrium templi* habentur, inſtar leuis paleæ iactantur & auolant, & potiùs quàm diſcrimen aliquod propter Chriſtum ſubeant, ad ſeculum vnde exiſſe videbantur,

a Cap. 12.
b Apoc. 11. 2.
c Eſa. 49. 16.
d Ioh. 6. 39.
e Mat. 16. 18.

bantur, regrediuntur, & ab impijs & profanis denuo occupantur. Hanc tamen Ecclesiam vnicã suam, sibi tam charam, hanc *sanctam ciuitatem* prædicit ad tempus à *gentibus*, id est, Ethnica turba vexandam & calcandam. Hîc verò cùm constet *bestiæ* nomine quæ sic vexabit Ecclesiam, Romani imperij tyrannidem designari, & Romam esse *magnam illam ciuitatem in cuius plateis corpora* sanctorum *insepulta iacebunt*, prout suprà demonstratum est; non potest hæc Ecclesiæ calcatio ad quicquam aliud commodiùs quàm ad Romanas olim persecutiones accommodari. Et dextrè quidem notat mactationes illas & clades, quibus à gentibus in populum Christianum sub imperio Romano sine modo sæuitum est. Vtcunque verò importunè in Ecclesiam grassarentur, sibi tamen Christus non defuturos prænunciat, quorum ministerio assiduè à dextris & à sinistris oleum lychnucho Ecclesię adhiberet, & diuinis ignibus accensam faceret in tenebris illis rutilantium instar stellarũ lucidè splendere. Quos ille binos inducit, non vt numerum testium præcisè definiat, sed vt ad *Zachariæ* prophetiã alludat, eo volens intelligi futuros siue plures siue pauciores, per quos Ecclesiæ Christianę in turbis illis non minùs prospiceretur, quàm olim [f] *duabus* illis *oleis* (in quibus intelligat qui volet *Zerubbabel & Iohoshuah*) veteri Iudæorũ Ecclesię prospectum est. Isti verò testes quanquam succisi assiduè, prorsus interituri videbantur, nouo tamen subinde germine succreuerunt, succedentibus sibijnuicẽ pastoribus, qui ferendis illis lanienis, & carnificinis fidelium animos confirmarunt, & mortem potiùs oppetendam, quàm abnegandam fidem persuaserunt. Expletis vero illis siue mensibus siue diebus (de illis postea videbimus) & pace Christianis, Christo vincente, reddita, steterunt Ecclesiæ pastores erecti pedibus suis, & intellectum est in nomine Christiano diuinum quiddam inesse, quod neque ferrum neque flamma, non equulei, non vngulæ, non candentes laminæ, non ingeniosus ille omnis tormentorum apparatus absumere potuisset, nec impedire, quominus Ecclesia ex procellis istis & fluctibus emersa, mundum vniuersum sibi hactenus infestum obtineret. Quo tam illustri, tam splendido Christi triumpho, videbantur iam ad cælum vocati qui sepulti putabantur in inferno, & in illa Christiani nominis eminentia tanquam in nube ad cælum ascendere visi sunt. Hoc autem miraculo & vltionum prętereà diuinarũ experimento mundus edoctus, aperire oculos

f Zacha. 4. 3.

culos & ſapere cæpit, & confractis paſſim quibus ſeruiuit idolis, vnius veri Dei cultum & fidem ſuſcepit.

3 Ita viſionis illius explicationem breuiſſimè complexus ſum, in qua nihil coactum eſt, nihil alienum ab illa myſteriorum exponendorum ratione, quam nobis alibi ſacræ Scripturæ tradiderunt. Quominus autem numerum teſtium præciſè binarium intelligamus, ipſa mihi deſcriptio hiſtoriæ videtur obſtare. Neq; enim de duobus Hieroſolymæ occiſis commodam habet intelligentiam quod legimus: [g] *Videbunt homines ex tribubus & populis & linguis & gentibus cadauera eorum per tres dies & dimidium:* (num enim gentes omnes & linguæ Hieroſolymis congregabuntur vt huic ſpectaculo interſint?) quod commodiſſimam habet interpretationem de immanitate populorum omnium ſub imperio Romanorum, qui corpora Sanctorum, & teſtium Ieſu Chriſti feris & alitibus paſſim proiecta, ne qua fortè ab illis contagio manes eorum inficeret, ab honore communis ſepulturæ depulerunt. Neq; de duobus aliquibus Hieroſolymitanis accipi poteſt quod ſubiungitur, [h] *Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos* (teſtes occiſos) *& lætabuntur, & munera mittent inuicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant ſuper terram.* Nunquis putauerit duos ſufficere qui ſermonibus ſuis crucient orbem terrarum, & teſtimonio ſuo populos in hanc inſaniam vertant? aut credibile eſt tribus diebus & dimidio, vt iſti ad literam interpretantur, duorum hominum necem in vniuerſum orbem perferri, vt ſibi gentes & populi de illorum tam exoptata nece gratulentur? Nihil minùs. At vltrò fluit ſenſus, ſi de teſtibus illis & martyribus exponamus, quibus gentes è Romano imperio tyrannidi & furori ſuo ſeruientes, ob Chriſti teſtimoniũ infrenduerunt de cędibus eorum continuis & ſanguine vehementer ſibi gratulantes, & inde ſibi fauſta omnia & fœlicia promittentes, vt in illo [i] *Maximini* reſcripto apud *Euſebium* videre eſt. Ac ne noſtram tantùm hac in re ſententiam ſequi videamur, ſuum nobis *Auguſtinus* aliqua ex parte calculum apponit, (ſiquidem illius ſint obſeruationes illæ in Apocalypſin quas *Franciſcus Ribera* [k] *Tychonij eſſe* vult) qui [l] *duos teſtes, duo Teſtamenta* exponens, quibus vniuerſum fidei noſtræ teſtimonium & omnis quorumcunq; teſtium prophetia continetur; concludit tandem: *Excluditur omnis ſuſpicio quorundam, qui putant hos duos teſtes duos viros eſſe, & ante Chriſti aduentum cælum in nubibus*

g Verſ.9.
h Verſ.10.
i Euſeb. hiſt. lib.9 cap.7.
k Fr. Ribe. in Zach 4.
l Auguſt. in Apoc. hom. 8.

bibus ascendisse. Quomodo autem potuerunt habitantes terram de duorum nece gaudere, quum in vna ciuitate morerentur, & munera inuicem mittere, si tres dies sunt, quò antequam gaudeant de nece contristentur de resurrectione? Eò [m] *Beda* quoque adductus est, vt in testibus illis *Ecclesiam* intelligeret *veteris & noui Testamenti* doctrinis illuminatam. Quòd verò locus ille Apocalypticus non sit ad literam de *Enoch* & *Elia* intelligendus, testis sit vnus instar omnium *Hieronymus*, qui interrogatus à *Marcella* vtrum [n] *viuentes in aduentu Christi rapti obuiam ei in nubibus sic occurrant in corporibus & non antè moriantur, cùm et Dominus noster mortuus sit, &* Enoch *atque* Elias *secundùm Apocalypsin* Ioannis *morituri esse dicantur, ne scilicet vllus sit qui non gustauerit mortem*; respondet: *De* Enoch & Elia *quos venturos Apocalypsis refert & esse morituros, non est istius temporis disputatio, cùm omnis ille liber aut spiritualitèr intelligendus sit, vt nos existimamus, aut si carnalem interpretationem sequimur, Iudaicis fabulis acquiescendum sit, vt rursus ædificetur Hierusalem & hostiæ offerantur in Templo, & spirituali cultu imminuto, carnales obtineant ceremoniæ.* Dicantur ergò duo illi testes *Enoch & Elias*: saltem hoc Ecclesiæ consuetudini concedatur: quòd si *Enoch* & *Eliam* carnaliter & ad literam accipiamus, & historiam illam è nudo verborum cortice interpretemur, Iudæorum errori nos patrocinari testatur *Hieronymus*, & spiritualem Apocalypseos intelligentiam præuaricari.

m Beda in Apoc. cap. 11.

n Hieron. epist. de 5. quæst. Marcellæ, tom. 3.

4 Qui verò numerum hîc personarum simplicitèr binarium intelligi volunt, qua tandem ratione confirmant *Enoch* & *Eliam* duos istos testes esse oportere? Id quidem patres nonnulli dixerunt, sed videndum quo fundamento, qua fide dixerunt. Ingenua est *Arethæ* confessio: [o] *De* Enoch *testimonium quod ad aduentum spectat, ex scriptura non habemus, præter transpositionem ne gustaret mortem.* Accedat ad *Aretham Ioannes Hentenius* in præfatione operis illius: [p] *Non dicitur hîc vel alibi in sacris literis, quòd* Enoch *&* Elias *testes futuri sint.* Ex quibus constat nonnisi per fraudem adducta esse à *Bellarmino* scripturæ testimonia, quibus videtur hanc indemonstratam demonstrationem firmare voluisse. Eò nos immuniores sumus à crimine, qui nihil hac in parte repudiamus, quod esse pateat sacrarum scripturarum authoritate comprobatum. Sed tamen *Arethas* adiungit *ex traditione præconum Christi inuariabilitèr in Ecclesia esse receptum*, Enoch *venturum esse cum* Elia *Thesbite.* Id verò falsum esse constat.

o Areth. in Apoc. cap. 11.

p Io. Henten. præfat. ad comment. Areth. in Apoc.

Victorinus enim longè antiquior *Aretha*, quiddam aliud refert: [q] *Multi*, inquit, *putant vnum ex his testibus esse* Eliam; *alterum aut* Elizeum *aut* Mosen, *sed vtrique mortui sunt*: Ieremiæ *autem mors non inuenitur: quia omnes veteres nostri tradiderunt illum esse* Ieremiam. Et huius quidem rei argumentum affert non minùs probabile, quàm quæ à *Bellarm.* pro *Enoch* & *Elia* adducta sunt. *Hilarius* tamen [r] *Mosen cum Elia* venturum defendit, & varias quæ ferebantur opiniones de *Enoch* & *Ieremia*, quasi quæ *fidem corrumpant*, reijciendas arbitratur. Videmus ergò quàm ab incertis initijs profectum sit, quod certissimum *Bellarminus* & verissimum esse persuadet.

q Victorin. in Apoc. cap. 11. apud Sixt. Senen. bibliot. lib 6. annot. 346.

r Hilar. in Mat. can 20.

5 Sed non vult ille tamen omni patrocinio destitutus videri: itaque loca quædam adducit in speciem, quibus imperitorum oculos fallat: ipse verò nihil se proficere apud animum suum conuictus tenetur. Ac de *Enoch*, vt ab illo ordiamur, locum adducit Ecclesiastici; [f] Enoch *placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam*. Est autem Ecclesiasticus ex illis libris, qui [t] *quia non sunt in canone Iudæorum, aduersus contradictores non tanta firmitate proferuntur, &* [u] *ab Ecclesia recepti sunt qui legerentur quidem ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Quanquam quid ille dicit quod vel nutu aliquo leuissimo causæ tuæ fauere videatur? *Translatus est*, inquis, *in Paradisum vt det gentibus pœnitentiam.* Quid ad rem? *Dicit*, inquis, Enoch *illum venturum vt det gentibus pœnitentiam, qui translatus est in Paradisum.* Impostor, vbi tandem aduentus ille quem commemoras? vbi dicit *venturum Enoch* vt det gentibus pœnitentiam? Qua te fronte, qua conscientia esse putemus, cui pro nihilo est tam apertè mentiri? At inquis fortassè, quî tandem daturus est gentibus pœnitentiam qui translatus est, nisi in hanc vitam rediturus credatur? Attende verò Græcam sententiam, & intelliges eum translatum vt sit ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς: hoc est, vt vertit ad verbum Arias Montanus; [x] *exemplum pœnitentiæ generationibus.* Ex quo manifestum est quid voluerit illo loco Syracides: gentes ab *Enocho* non futuro aliquo ministerio, sed exemplo præterito ad pœnitentiam informari oportere. Nam qui in illo videmus tantam pietatis & iustitiæ mercedem præcessisse, monemur illius exemplo corruptelam huius seculi vitare, & pietatem eius imitari, vt eandem cum illo immortalitatem consequamur. Hic verò dum figmentum

f Ecclesi. 44. 16.

t August. de ciuit. dei. lib. 17. cap. 20.

u Hieron. præfa. ad prou. Solom. Ruffin in expos. symb. apud Cyprian.

x Ar. Montani. vers. interlin.

tum tuum quoquo modo propugnas, operæprecium est videre quomodo cum sacris scripturis litem exerceas. [y] *Translatus est Enoch*, inquit scriptura, *ne videret mortem*. Tu illum in illa translatione seruatum defendis, vt Antichristi manu moriatur. Num tibi consentaneum videtur, vt qui translatus est *ne videret mortem*, eundem morti seruatum arbitremur? [z] *Scriptura dixit*, inquit Chrysostomus, *quod transtulit illum Deus, & quòd viuentem transtulit, nec mortem expertus sit, sed ob suum quẽ apud Deum fauorem habebat, superior factus sit diuina sententia contra humanum genus prolata*. Quòmodo verò *superior* factus est diuina illa sententia contra humanum genus prolata, qui secundùm te nondum conditione mortis exemptus est? Idem alibi: [a] *Ostendit*, inquit, *in illo Deus quia soluta est mors*. Quomodo id ostendisse videbitur, si illum adhuc moriturum statuamus? Quando ergò manifesto scripturæ testimonio sententia tua repugnat, frustra tu nobis quorumlibet scriptorum incertis opinionibus molestiam facessis.

y Heb. 11. 5.
z Chrysost. in Gen. hom. 21.
a Chrysost. in Hebr. hom 22.

6 De Elia probationem affers speciosiorem aliquantulum, solidiorem nequaquam. Et certè mirum est opinionem illam de reditu Eliæ corporali tantum apud veteres inualuisse, quam constat à Iudæorum errore profectam esse, & ab hæreticis ecclesiæ propinatam. [b] *Iudæi*, inquit Hieronymus, *hoc quod dicitur, Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, de Elia propheta dictum intelligunt, & quod sequitur, statim veniet ad Templum suum dominator quem vos quæritis, &c. referunt ad* ἠλειμμένον *hoc est, Christum suum, quem dicunt vltimo tempore esse venturum*. Et postea cum Iudæis hæreticos coniungens; [c] *Iudæi*, inquit, *& Iudaizantes hæretici ante* ἠλειμμένον *suum Eliam putant esse venturum & restituturum omnia. Vnde & Christo in Euangelio proponitur quæstio: Quid quòd Pharisæi dicunt, quòd Elias venturus est?* Illi namque ad literam interpretantes quod scriptum est, [d] *Ecce mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini, &c.* imperitè confingunt, ipsummet illum Eliam qui in cœlum raptus commemoratur, ante Messiæ aduentum esse ad illos corpore rediturum. Hoc hæreticos arripuisse notat Hieronymus, qui à primo aduentu, quem intelligunt Iudæi ad secundum Christi aduentum transtulerunt. Inde nata opinio est Eliam in fine seculi venturum, qui pro Iudæis conuertendis & fide electorum conseruanda cum Antichristo bellum gerat. Bellarmino

b Hieron. in Mal. cap. 3.
c In cap. 4.
d Mal. 4. 5.

no placet cum hæreticis sentire, & verum illum Eliam simul cum Antichristo expectandum esse defendit: quo id argumento faciat examinemus. Primùm ergò mutuatur à Iudæis è Malachiæ loco depromptum: [e] *Ecce mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam & percutiam terram anathemate.* Vbi primo loco obseruandum est, vnicam esse & de re vna prophetiam, quam si absque illo Eliæ aduentu quem Pontificij somniant completam esse demonstremus, sequetur ad futuram aliquam Eliæ apparitionem accommodari non posse. Iam illud manifestum est, quod Iudæi quoq; viderunt prius illud, [f] *Ecce ego mitto angelum meum & præparabit viam ante faciem meam,* & illud posterius, *Ecce ego mittam Eliam Prophetam, &c.* ad vnum & idem esse referenda. At prius illud in Ioanne Baptista Christus effectum dedit. *Hic est enim,* inquit Christus, *de quo scriptum est, Ecce ego mittam Angelum meum ante faciem tuam, &c.* Itaque posterius quoque in Ioanne Baptista completum est. Porrò quod sub Eliæ nomine vaticinatur, mittendum illum esse *vt conuertat corda patrum ad filios, &c.* id ad Ioannis officium pertinuisse, quod erat *parare viam Domino,* confirmat Angelus, qui vtrunque in vnum componit, dicens; [g] *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum; Et præcedet ipse ante eum in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, vt paret Domino plebem perfectam.* Quòd si Ioannes *parans Domino plebem perfectam,* idipsum agat & impleat quod Eliæ proprium esse describitur, *conuertere cor patrum ad filios, &c.* certè non alterum Eliam, alterum Ioannem, sed vnum & eundem Ioannem simul & Eliam intelligi necesse est. Itaque cur illum *Eliam* propheta nominet, angelus ostendit, quia *dominum præcedit in spiritu & virtute Eliæ,* vt Elias quodammodo esse videatur, non vnitate personæ, sed virtute spiritus & officij potestate. Inde Origenes alludens ad illud quod de Elizeo dictum est: [h] *spiritus Eliæ requiescit super Elizeum; Quia,* inquit, *spiritus Eliæ tantum in Elizeo requieuit, Ioannes autem præcessit ante Christum non solum in spiritu, sed etiam in virtute Eliæ, ideo Elizeus quidem non est dictus Elias, Ioannes autem dictus est ipse esse Elias.* Et hanc quidem illius prophetiæ mentem aperuit Hieronymus: [i] *Dominus noster,* inquit, in *Euangelio Eliam prophetam Ioannem Baptistam interpretans loquitur,*

[e] Mal.4.5.
[f] Mal.3.1.
[g] Luc.1.16, 17.
[h] Orig in Mat. 17.tract.3.
[i] Hieron. in Mal.cap.3.

tur, Si vultis scire, ipse est Elias qui venturus est; de quo & hic idem propheta quem nunc disserimus scribit in fine, Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, &c. Quomodo autem Ioannes Elias sit, dedit nobis viam intelligentiæ, in virtute & spiritu Eliæ eum venisse commemorans. Quod si de Ioanne Baptista dixit Malachias; *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, &c.* de altero certè Elia in fine seculi venturo intelligi non potest.

7 Veruntamen excipit *Bellarminus*, *Hieronymo* aliter visum vbi commentatur in *Mathæum*, scilicet aliorum fortasse sententiam, vt sæpe solet, in commentarios suos referens, pondus eius & veritatem nimia festinatione non considerans. Sed quia secundæ cogitationes sunt sapientiores, potiùs amplectimur quod *Hieronymus* senior iam factus maturiori iudicio scripsit, qui [k] *commentarios istos in Prophetas in extrema senectute dictauit, cum iam caligantibus oculis & trementibus digitis laborem propria scribendi manu ferre non posset.* Veram autem esse illam *Hieronymi* interpretationem, & locum illum totum ad *Ioannem Baptistam* & priorem Christi aduentum esse referendum, testis est, *Bellarmine*, de tuis *Arias Montanus*, vir, vt è Pontificijs quisquam, maximo iudicio, qui tuum illud commentum ne commemorans quidem, ita commentatur illam sententiam: *Ecce ego mittam vobis* Eliam *Prophetam, &c.* [l] *Euangelij*, inquit, *hoc est, boni & salutaris nuncij initia vt illustria omnibus apertaq; essent, ab* Eliæ *legatione facienda esse, Deus apud hunc vatem manifestè, & apud alios etiam certa significatione prædixit. Cuius legati quanta authoritas, quales partes, quæ munera, quod officij genus, quanta etiam in agendo dignitas futura esset, vel vno* Eliæ *nomine & exemplo significatum est. Etenim vt* Elias *turbulentissimis Israelitarum rerum temporibus, maxima & diuina planè authoritate præditus, religionis violatæ, & pietatis proditæ causam aduersus populos & reges grauissimè & constantissimè egit, diuinasq; partes per omnem vitam defendit; sic eodem exemplo Prophetam quendam extiturum esse Deus per Vates prædixerat, qui abalienatum à vera & integra pietate populum ad fidem officiumq; reuocaret, atque diuinis accipiendis beneficijs aptum habilemq; redderet. Hunc autem propter authoritatis, officij & actionum similitudinem* Eliam *alterum appellauit Deus. Atque his rebus, nominibúsque cunctis*, Ioannis Zachariæ *filij cognomento* Baptistæ *ratio omnis descripta & significata, atque à cœlesti demum interprete explicata est.* Testis *Paulus* Episcopus Burgensis: [m] *Videtur propriè expo-*

k Sixt. Senens. bibli. lib. 4. in Hieronymo.

l Ar. Montan. in Mal. 4.

m Burgen. apud Lyran in Mal. 4. addit. 2.

exponendum de Ioanne Baptiſta, *qui præceſsit Chriſtum in ſpiritu & virtute* Eliæ. Teſtis *Ioannes Hentenius*; [n] *Quod* Mal. 4. *dicitur de* Elia *quòd conuertet cor patrum ad filios*, Gabriel Luc. 1. *annunțians* Ioannis *conceptionem, dicit in eo complendũ.* Teſtis [o] *Vatablus*, & alij nonnulli, quos agnoſcit *Franciſcus Ribera* Ieſuita *Malachiæ* locum de *Ioanne Baptiſta* interpretati. Atq; idem *Rupertum* inducit de aduentu *Eliæ* dubitantem & planè neſcientem quid pro certo ſtatuat: [p] *De aduentu*, inquit, *Eliæ quicquam definire non auſum, quia videlicet doctorum alij quibus omnes ferè conſentimus, credunt eum ad literam eſſe venturum, & reſtituturũ omnia, & mortis debitum perſoluturum: alij verò nequaquam, quibus vir illuſtris beatus* Hieronymus *conſentire videtur.* Vbi iam candor *Bellarmini*, qui quod apud ſuos partim negatum planè, partim controuerſum eſſe videt, perinde tamen vrget acſi veterum omnium & nouorum vno conſenſu, vna voce conclamatum eſſet?

n Henten. præfat. ad comment. Arethæ in Apoc.
o Fran. Ribera in Mal. cap. 4.
p Rupert apud Riberam in Mal. cap. 4.

8 Verùm vt iſtos mittamus, Prophetæ nemo eſt melior interpres Ieſu Chriſto, qui de *Ioanne Baptiſta* perſpicuè teſtatur, [q] *Si vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus eſt*: quaſi dicat, [r] Ioannes *ipſe eſt* Elias, *quem* Malachias *ſub* Eliæ *nomine promiſit*: vel vt *Theophylactus*; [ſ] *Si vultis accipere, hoc eſt, ſi ſana mente iudicatis & non inuida, ipſe eſt* Elias *quem dixit Propheta* Malachias *venturum.* [t] *Non dixit Chriſtus abſolutè, Ipſe eſt* Elias, ait Abulenſis, *ſed* Elias *qui venturus eſt, quaſi dicat*, Elias *qui promittitur venturus, iſte* Ioannes *eſt.* Qui ſi rectè verborum Chriſti ſententiam reddit, vtcunque alioqui in fabulam illam de *Eliæ* reditu propenſus, illam tamen euertit, quod de *Theophylacto* quoque dictum volo, quia ſi *Ioannes* ille ſit *Elias* de quo *Malachias* vaticinatus eſt, planè nihil relictum habemus de quo alterum *Eliæ* aduentum affirmare poſſimus. Id verò ex altero Chriſti reſponſo manifeſtius adhuc efficitur. Receptum erat apud Iudæos ante aduentum Meſſiæ, *Eliam* eſſe venturum. Id autem non aliunde didicerant, quàm à Propheta *Malachia.* Iam verò diſcipuli, cùm in transfiguratione Chriſti vocem illam cœlitus audierant, [u] *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite*; atque ita Chriſtum eſſe verum illum Meſſiam intellexerant, ſciſcitantur à Chriſto, [x] *Quid ergò dicunt Scribæ, quòd* Eliam *oporteat primùm venire?* quaſi dicant; Quum te illum eſſe conſtet (id quod iam nunc de cœlo denuntiatum audimus) quem Deus nobis reſtauratorem generis noſtri promiſit, qua ratione Scribæ

q Mat. 11. 14.
r Ferus in Mat. 11.
ſ Theophyl. ibid.
t Abulen. in Mat. cap. 11. qu 4
u Mat. 17. 5.
x Verſ. 10.

bæ asserunt ante Messiam *Eliam* primò venturum, téque hoc argumento negant esse Messiam, quia de aduentu *Eliæ* nihil adhuc compertum est? Hanc veram fuisse occasionem quæstionis discipulorum, defendit *Abulensis*: & [y] *huic conuenit*, inquit, *responsio Christi, non in alijs sensibus.* Responsio verò Christi partim concessione conficitur, partim correctione. Concedit quod dicunt, sententiam dictorum corrigit. *Elias quidem venturus est primùm, & restituet omnia, sed dico vobis, quia* Elias *iam venit, & non cognouerunt eum, &c.* Quid hoc vult aliud, quàm verum quidem esse quod illi aiunt, aduentũ Messiæ ab *Elia* præueniri oportere, sed malè ab illis intellectum esse? quippe venisse iam *Eliam* in *Ioanne Baptista*, vt nihil sit in hoc impedimenti, quin ipsum verè Messiam agnoscant; sed tamen ab illis cognitum non esse, quia per errorem de ipsomet *Elia* dictum acceperunt, quod erat de eo dictum qui venturus erat in spiritu & virtute *Eliæ*.

y Abulen. in Mat. 17, quæst. 132.

9 Hic verò *Bellarminus* quod per se perspicuum est & manifestum, caligine, quantum potest & tenebris inuoluit, & sententiam Christi, quæ somnium eius de futuro *Eliæ* aduentu luculentissimè refellit, ad causæ suæ patrociniũ violentèr inflectit. Ait *verba Domini de vero Elia, non de Ioanne intelligi, qui Ioannes iam venerat & absoluerat cursum suum, & tamen Dominus ait Elias venturus est.* At tu pro ea qua es grammaticæ facultate, expone, quæso, quid illud sit quod *Ioannes* discipulos suos ad Christum misit sciscitaturos: [z] *Tu es qui venturus es, an alium expectabimus?* Haud dubium quin *Ioannes* Christum sat benè nouerit, sed discipulos suos doceri vult *Christum illum esse qui venturus est.* An tu ergò Christum minimè tum venisse contenderis, quia *venturus* à *Ioanne* nominatur? An ita collegeris, venit iam Christus ad quem mittit, *venturus est* de quo interrogat? non est ergò Christus venturus ille de quo interrogat? Næ tu pulchram hoc modo Iudæis operam nauaueris. Quod ne facias, *venturũ* interpretaris ab edita prophetia, & illam *Ioannis* quæstionem planiùs explicas; Tu is es quem prophetæ venturum prænunciarunt? sic Abulensis, [a] *Qui venturus est, id est, qui venturus erat: nam iam venerat, sed dicitur, qui venturus est, quia venturus promittitur in scriptura.* Perinde ergo Christus rerum ordinem ad prophetiæ thesin pertexens, *Elias*, inquit, *venturus est primùm*, id est, antè Messiam; sed mox ad hypothesin deducens, & prophetiæ actum indicans, *Elias iam venit*, inquit, & illa prophetia tota comple-

z Mat. 11. 3.

a Abulen. in Mat. cap. 11.

ta

ta est. Tu, ne sit Pontifex Antichristus, Euangelium defendis antequam adueniat Antichristus esse toto orbe prædicandum. Et ego tibi respondeo, Euangelium quidem ante aduentum Antichristi toto orbe prædicabitur, & salutaris illa legatio beatæ pacis ad omnes gentes perferetur, sed iam olim prædicatio illa consummata est, & Euangelium ab ipso Apostolorum tempore per vniuersum orbem disseminatum. Hic si tu illud arripueris: Euangelium quidem prædicabitur toto orbe, & quia dico (prædicabitur) tanquam de re futura, per me constare disputaueris, nondum Euangelium esse toto orbe publicatum; nonnè absurdè egeris, & merum te nugatorem ostenderis? Et quid *Thomæ* tuo dixeris quem antè citauimus in hæc verba; [b] *Est hoc conueniens signum quòd Christus veniet, quando Romanum imperium omnibus dominabitur?* An tibi placebit qui illum de Christo adhuc venturo loqui dixerit? Quod si illud tibi displicet, quî placet, vt quod thetica sententia Christus, & ad subiectum siue materiam nondum accommodata proponit, *Elias quidem venturus est primū*, id arripias, & contra hypothesin Christi clarissimam, *Dico vobis quia Elias iam venit*, Eliam nondum venisse cauilleris? Sed moneat te Origenes [c] *nihil absurdi esse vt* Ioannes *conuertens in spiritu & virtute* Eliæ *corda patrum ad filios, dicatur propter hunc spiritum* Elias *qui venturus est*, qui tamen alterum illum aduentum *Eliæ* sub Antichristo futurum ne somniauit quidem. Denique breuissimè Hieronymus locum illum reddit: [d] *Christo in Euangelio proponitur quæstio, Quid quòd scribæ dicunt quòd* Helias *venturus est? Quibus ille respondit,* Elias *quidem veniet, & si creditis iam venit, in* Elia Ioannē *intelligens. Veniet & venit,* vtrunque ad *Ioannem* accommodat, vt præter *Ioannem* nemo alter *Elias* intelligatur in verbis Christi, Elias *venturus est.*

b Tho. Aquin. in 2. Thess. 2. lect. 1.

c Orig. in Ioan. tom 7.

d Hieron. in Mal. cap. 4.

10 Atqui *Bellarminus*, vt est veterator & perfidus, quò causam suam iuuet, particulam expungit quæ toti sententiæ lumen addit. Nam quod apud Euangelistam habetur, *Elias quidem venturus est PRIMVM & restituet omnia,* hoc ille legit, *Elias quidem venturus est & restituet omnia.* Atqui oro te, *Bellarmine*, vt nobis expedias vocula illa *Primum,* quò tandē referri debeat, *scribæ dicunt quòd* Eliam *oporteat primùm venire.* Quid est illud *Primùm?* Quid, nisi *priusquam Messias venturus sit?* Quin ergò ne absurdus sis, accommodatè ad quæstionem Christi responsum intellige, *Venturus est quidem* Elias *priusquam Messias ven-*

turus sit. Ita velis nolis aduentus *Eliæ* quem Christus intendit, priorem Christi aduentum antecedit, qui Messiæ aduentus intelligitur, & de quo Christus à discipulis interrogatur. Hoc obseruauit *Origenes*, quæstionem tamen discipulorum inde deducens, quòd *Eliam* cum Christo præsentem in monte viderant. [e] *Discipuli*, inquit, *qui cum Christo ascenderant super montem recordabantur traditionum scribarum de* Elia *propheta, quoniam ante aduentum Christi erat venturus, vt præparet animas quæ suscipiant eum. Visio autem quæ facta erat in monte, in qua etiam* Elias *est visus, videbatur eis non conuenire cum traditione scribarum de* Elia, *quia non ante Christum eis videbatur* Elias *venisse, sed cum Christo. Ideo falsum existimantes traditionem scribarum propter huiusmodi visionem de* Elia, *dixerunt, Quid ergo dicunt scribæ quia* Eliam *oportet primùm venire? Tu enim nobis manifestatus es ante* Eliam, *& priusquam ille ad hanc vitam humanam venisti. Ad hoc respondit Iesus, non reprobans quidē quæ à scribis tradita sunt de* Elia, *sed alium* Eliæ *aduentum ante se indicans factum, quem ignorauerunt scribæ. Ideo respondens Iesus dixit,* Elias *quidem venturus est primùm & restituet omnia; dico autem vobis, quia* Elias *iam venit.* Vbi apertè significat priorem clausulam, *Elias quidem venturus est primùm*, pro concessione esse positam eius quod scribæ dixerunt: posteriorem verò, *Ego autem dico vobis quia* Elias *iam venit*, eò seruire, vt intelligatur omninò factum esse quod priùs ex scribarum doctrina concedit fieri oportere. Quod autem auditur apud Marcum, [f] *sicut scriptum est de eo*, planè conuincit id quod de *Elia* scriptum est, non aliò debere quàm ad Ioannem Baptistam accommodari. Nam si in Ioanne Baptista venit *Elias, sicut de eo scriptum est*, certè post *Ioannem* Baptistam nihil habemus scriptum quod de illo altero Elia venturo intelligamus.

e Orig in Mat. 17. tract. 3.

f Mar. 9. 13.

11 Perinde quoque concluditur quod adiungis: *Loquuntur discipuli de illo* Elia *quem in monte viderant: igitur Christus respondens,* Elias *quidem venturus est, de illo etiam* Elia *loquitur.* Non sequitur, *Bellarmine*, quod concludis. Esto quòd discipuli ex opinione Scribarum de vero *Elia* interrogent: quid ad te, quum Christi responsio correctio sit erroris illius quem de traditione Scribarum imbiberant, quo verum illum *Eliam* ante aduentū Messiæ huic vitæ mortali reddendū suspicati sunt? Quare aduersùm te fortiori argumento concludimus: *Elias* ille est à *Malachia* promissus de quo Christus ait, *Elias venturus est.* Venisse

nisse autem ostendit Christus *Eliam* illum qui à *Malachia* promissus est. Venit ergo *Elias* ille de quo ait, *Elias venturus est.*

12 Iterum tamen vrges adiectam clausulam, *Et restituet omnia. Id*, inquis, *non fecit Ioannes Baptista nec quiuis alius: nam restituere omnia, est omnes Iudæos & hæreticos, & fortè multos Catholicos ab Antichristo deceptos ad veram fidem reuocare.* Sed authoritatem expositio tua desiderat: neque enim probare aliquam possumus quæ de tuo tantùm insano cerebro absque testimonio & ratione deprompta est. Enimuero nobis *restituere omnia* breuis explicatio est eius quod apud prophetam habetur, [g] *Conuertet corda patrum ad filios, &c.* & ab Angelo planiùs dicitur, [h] *Rebelles conuertet ad prudentiam iustorum, vt paret domino plebem perfectam.* Nec nobis solùm, sed & *Fero tuo*: [i] *Quod hîc dicit, restituet omnia, in propheta dicitur, conuertet cor patrum ad filios & è contra, hoc est, vt idem credant, ament, sperent, timeant quod patres eorum.* Ergo restituet omnia, id est, collapsam pietatem instaurabit, iacentem fidem eriget, religionis cultum antiquum & nitorem reuocabit, & populum reducet, vt olim *Elias*, ad cognitionem Dei patrum suorum. Illa verò viæ dominicæ [k] *præparatio*, quam intelligimus ministerio *Ioannis* esse deputatam, pulchrè nobis ostendit hanc *restitutionem omnium* ab illius officio non esse remouendam. Meritò namque *restituere omnia* dicendus erat, per quem perficiendum erat quod pro [l] *via Domina complananda* legimus apud prophetam, & apud Euangelistam ad *Ioannis* officium accommodatur. [m] *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur &c. Ioannes* ergò restituit omnia, dum omnes siue superbos frangit, siue fractos erigit, & ad fidem venturi iam Messiæ suscitat, *vt paret Domino plebem perfectam.* Neque tamen necesse est omnes Iudæos cum *Bellarmino* complecti; neque enim ita intelligimus quod de seipso Christus ait, [n] *Omnia mihi tradita sunt à patre meo*, & [o] *Ego cùm exaltatus fuero de terra, omnia traham ad me.* [p] *Traham ad me omnia, id est, omnia prædestinata ad salutem*, ait *Augustinus, ex quibus omnibus nihil dixit esse periturum cum suprà de ouibus suis loqueretur.* Eodem modo *Ioannes* restituit omnia, qui pro latitudine ministerij sui omnes electos ad fidem Christi suscipiendam præparauit. [q] *Dicuntur omnia, id est, multa*, ait *Abulensis, quia nemo est qui reducat omnia ad bonum statum, cum & ipse Christus non reduxerit omnia efficientèr ad bonum, licet sufficientèr pro omnibus satisfecit & meruit.* Ex his verò tandem apparet

g Mal.4.6.
h Luc.1.17.
i Ferus in Mat. cap.17.
k Luk.1.76.
l Esa 40.4.
m Luc.3.4.5.
n Mat.11 27.
o Ioan.12.32.
p August. in Ioan.tr.52.
q Abulen. in Mat.17.

paret quàm ineptè abs te dicatur *Ioannem* fuisse *Eliam* promissum, non *ad literam, sed allegoricè*, quum nullus ad literam *Elias*, nullus nisi per allegoriam promissus sit, & quum illius prophetiæ materia omnis in *Ioanne* consumpta sit, necessariò conficitur *Eliam* illum alterum quem tu venturum fingis, ex isto lampade, vtut ignes tuos admoueris, ardere non posse.

13 Sed vnus tibi adhuc angulus relictus est, ex quo *Malachiæ* locum de secundo Christi aduentu accipiendum esse contendis. *Sic enim ait*, inquis, *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Primus enim aduentus non vocatur dies magnus & horribilis, sed tempus acceptabile & dies salutis.* At num te fugit, *diem Domini* tritissima Prophetarum phrasi dictum esse non primum solùm aut secundum Christi aduentum, sed omnem diem qui vltioni & vindictæ constitutus est? Ita Babylonijs denunciatur apud Esaiam, [r] *Vlulate, quia propè est dies Domini, quasi vastitas à Domino veniet. Ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus, &c.* Et Ægyptijs apud *Ieremiam*, [s] *Dies illa Domini Dei exercituum, dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis suis.* Et Idumæis apud *Abdiam*, [t] *Iuxta est dies Domini super omnes gentes; sicut fecisti, fiet tibi* Et Israelitis apud *Amosum*: [u] *Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini ista tenebræ & non lux.* Sed non erit opus in re aperta morari. Quid ergò impedit, quominus *diem Domini* de die illo interpretemur, quo extremam illam vastitatem & exterminium genti Iudæorum decreuerat? Quòd si illud te mouet quòd *magnus & horribilis* vocatur, nihil est aliud quàm quod de priori illo excidio expressè legitur apud Prophetam: [x] *Magnus dies Domini & horribilis valdè, & quis sustinebit eum?* Nec minùs expressè legimus apud eundem Prophetam, [y] *diem Domini magnum & horribilem* de primo Christi aduentu, & consequente illum vltima illa calamitate Iudæorum vsurpari. sic enim locum illum [z] *Petrus* accommodat, & [a] *Hieronymus* ex ipsa loci circumstantia colligit sic intelligi oportere. Et certè *Malachias* vbi ait, *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis,* non alium diem describit quàm de quo antè locutus est, *Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? &c. Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, &c. Ecce dies venit succensa vt caminus, & erunt omnes superbi & omnes impietatem facientes vt stipula, & inflammabit eos,*

r Esa.13.6,9.
s Ierem.46.10.
t Abd.ver.15.
u Amos 5.18.
x Ioel 2.11.
y Ibid.ver.31.
z Act.2,20.
a Hieron.in Ioel. cap.2.

eos, &c. quæ omnia certum eſt de priori Chriſti aduentu, & ira Dei deinceps in Iudæorum gentem ventura intelligi debere. Atqui verò obiectionem tuam vniuerſam tollit popularis tuus *Arias Montanus.* [b] *Diem Domini*, inquit, *pijs & legitimè præparatis magnum, impijs verò & incredulis horribilem dicit, de quo ipſe* Ioannes *aiebat, Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili. Atque diem hunc magnum & horribilem non iudicij extremi, ſed Meſſiæ aduenientis tempus antiqui ſcribæ ſapienter interpretabantur; idq́ à Chriſto probatum & confirmatum eſt. Diem* ergò *Domini magnum & horribilem* vides primum quidem eſſe Chriſti aduentum, ſed ferentes ſecum incredulæ gentis exitium, & improbè contumaces diro anathemate vincientem. Nam cùm illos ad pœnitentiam nec prædicatio *Ioannis*, nec Chriſti miracula permouerent, effudit in illos Deus iram ſuam, & memorabili poſteris exemplo dilectam in patribus gentem, in perfidia ſua peroſam, cæcitate ſua morituram abiecit. [c] *Venit* Ioannes *& prædicauit*, ait Ferus, *ſed quia noluerunt credere, ſubſecuta eſt dies Domini horribilis, iudicium ſcilicet Dei tempore* Titi *&* Veſpaſiani, *& percuſſit terram eorum anathemate.* Ita erat ergò primus Chriſti aduentus *tempus acceptabile & dies ſalutis*, quod tu vrges, vt fuerit tamen Chriſtus immorigeris & non credentibus [d] *lapis offenſionis & petra ſcandali.* [e] *Qui ceciderit*, inquit, *ſuper lapidem iſtum, confringetur, ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Et de die Chriſti *Ioannes* ita docuit: [f] *Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt: omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem abijcietur.* Poſtremò, non venit Chriſtus, vt tu ais, *iudicare ſed iudicari, nec perdere ſed ſaluare*, ſiquidem pronum & proprium aduentus eius finem attendas: at vbi euentus ſpectatur ex hominum vitio & obliquitate proficiſcens, auditur Chriſtus aliud ſonans, [g] *veni in iudicium in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Itaque ſæpe illum audimus iudiciarias ſententias intonantem, & populo iam deſperatiſſimo terribilis iræ plagas & flagella minitantem. Iam ergò conſtat *Malachiæ* locum de primo Chriſti aduentu, & acerbo Iudeæ gentis interitu commodiſſimè explicari. Quanquam vt ad ſecundum aduentum referatur, parùm te iuuat, ſi *Hieronymo* credamus, quem author quoq; gloſſæ ordinariæ ſecutus eſt, qui in [h] *Elia chorum omnem Prophetarum* intelligit, per

b Ar. Montan. in Mal. cap. 4.

c Ferus in Mat. cap. 11.

d Rom 9. 33.
e Mat. 21. 44.

f Mat. 3. 10.

g Ioan. 9. 39.

h Hieron. in Mal 4 Gloſſ. ordin. ibid.

per quos Deus populũ suum ad pœnitentiam & fidem inuitabit.

14 Iam vbi sub finem adiungis, *alioqui*, hoc est, nisi venturos credamus *Enoch* & *Eliam* vt se Antichristo opponant, *non potest reddi ratio cur isti duo rapti sint ante mortẽ & adhuc viuant in carne mortali, aliquando morituri*: ludis petitione principij quod nemo tibi concedendũ arbitretur. Etsi enim hoc veterum quorundam cõiecturis asseratur, fidem tamẽ ex scripturis habet nullã. Immo ex parte pugnat cum scripturis. Quòd enim viuat *Enoch* credimus, quia legimus, *Enoch* [i] *translatus est ne videret mortem*: quòd autem viuat in carne mortali, aliquando moriturus, non credimus, quia non legimus; immò reijcimus, quia huic quod legimus aduersatur, nisi fortè quod legimus, *translatus est ne videret mortem*, improbè velis exponere, translatus est vt sub finem seculi videret mortem. De *Elia* plus ambigitur, quia nihil expressè legitur, vtrùm exuto corpore an corpore quoque raptus in cœlum credendus sit. Quanquam vt demus illum adhuc esse corpore superstitem, longè tamen abest vt propterea viuat in carne mortali aliquando moriturus, nec id potes argumento aliquo vel probabili effectum dare. Quæ enim ex patribus affers ejusmodi sunt, vt ex patribus habeamus cur illa nobis ambigua & incerta esse debeant. Ac de *Enocho* quidem *Gregorius Nazianzenus*, [k] *Enochus translatus est ille quidem, nondum tamen liquet, naturamne Dei iam comprehendat, an adhuc comprehensurus sit*. At liquet non comprehendisse, si liqueat quod vult *Bellarminus*, viuere illum adhuc in carne mortali, quia in carne mortali naturam Dei comprehendere nemo poterit. Et de eodem Chrysostomus: [l] *si quis curiosiùs rogare velit & dicere, Et quò ipsum transtulit, & num vsq; ad præsens vixerit?* (scilicet in carne mortali) *discat non conuenire humanis mentibus curiosiùs ea quæ à Deo fiunt explorare, sed credere his quæ dicuntur. scriptura dixit, quòd transtulit illum Deus, &c. quò autem illum transtulerit, quomodo nunc agat, hoc non adiecit*. Et alibi de vtrisque: [m] *Multi quærunt quò translatus sit* Enoch, *& quare translatus sit, & quare non fuerit mortuus, neque ipse neque* Elias; *& si adhuc viuunt quomodo viuunt, aut in quali habitu, sed supervacaneum est ista requirere. Quia verò translatus sit iste, & quia assumptus est ille, scriptura dixerunt; vbi autem sint & quomodo, non addiderunt*. Ita de *Enocho* Oecumenius: [n] *Viuens translatus est & viuit adhuc, porro vbi & quomodo, incertum est*. Et Theophylactus; [o] *Quò sit ille traductus, aut quemadmodum vitam agat,*

i Heb. 11. 5.

k Gregor. Nazianz. de Theolog. orat. 2.

l Chrysost. in Gen. hom. 21.

m In epist. ad Heb. hom. 22.

n Oecumen. in epist. ad Hebr. cap. 11.

o Theophyl. ibid.

agat, incertum est, scriptura nil vltrà significante. Quòd si scriptura nihil vltrà significet, *Augustini* regula nobis metam figit: [p] *Vbi de re obscurißima disputatur, non adiuuantibus diuinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Nimium tu ergo, *Bellarmine*, confidentèr ista definis, & præceps est sententia tua, qua nullo scripturæ testimonio præeunte contendis viuere adhuc *Enochum* & *Eliam* in carne mortali, & esse tandem aliquando sub Antichristo morituros.

p August. de pecc. mer. & remiss. li. 2. cap. 36.

15 Quòd si rationem nullam credis reddi posse cur illi sine morte suscepti viuant adhuc in Paradiso, nisi vt restituti sub finem seculi cum Antichristo depugnent, & per illum moriantur; poteris tu aliquam à grauissimis scriptoribus admoneri quæ cum ista fabula nihil omninò coniunctū aut cognatum habeat. [q] *Ego puto*, ait *Theodoretus* de *Enochi* translatione verba faciens, *Deum omnium hoc fecisse ad consolandos virtutis athletas. Cum enim* Abel *primus iustitiæ fructus immaturus adhuc radicitùs abscissus esset, nullaque resurrectionis spes tum homines consolaretur, transtulit Deus ipsum* Enoch *sibi gratißimum, eumque seiunxit à mortalium vita, vt quicunque piè viuere statuerit, animaduertat quanto in honore habendus sit, quum Deus omnium qui iustus est, & iustè gubernat vniuersa,* Enoch *honore prosecutus sit,* Abel *quoque ornamento carere non permittet. Hac de causa illum occidi conspexit,* Enoch *autem transtulit, vt* [r] *hac quasi denunciatione*, vt legitur in commentario *Eliæ* apud Nazianzenum, *resurrectionem futuram significaret, eorumque bonorum quæ altera in vita expectantur participes fore illos qui miserijs hîc multipliciter exercentur.* Hûc illud pertinet Augustini: [ſ] *Huius* Enoch *translatio nostræ dedicationis est præfigurata dilatio: quæ quidem iam facta est in Christo capite nostro, &c. restat autē altera dedicatio vniuersæ domus quæ differtur in finem, quando erit omnium resurrectio, &c.* Et *Epiphanius* quoque ab [t] *Enoch* & *Elia* testimonium resurrectionis affert aduersùs hæreticos, & inde illos *resurrectionis nostræ primogenitos* appellat. Itaque vt nihil sit *Enocho* & *Eliæ* negotij cum antichristo, poterit optimè constare ratio cur translati sint, ad testificandam pietatis mercedem, & resurrectionis nostræ fidem asserendam. Denique id quod Hieronymus ex veterum quorundam commentarijs obseruat, præcessit in illis, & exemplo comprobatum est quod Apostolus de sanctis in aduentu Domini superfuturis af-

q Theodoret. in Gen. q. 45.

r Elias in comment. Gregorij Nazianz. orat. 2. de Thelog.

ſ August. de ciuit. Dei. lib 15. cap. 19.

t Epiphan hæresi. 64 Origen. & in Anchorato.

mur.

firmat: [u] *Non omnes quidem obdormiemus, omnes autem immutabimur.* [x] *Super quo* Theodorus Heracleotes, Enoch *enim*, inquit, *& Elias mortis necessitate superata, ita vt erant in corporibus de terrena conuersatione ad cœlestia regna translati sunt. Vnde & sancti qui Die consummationis atque iudicij in corporibus reperiendi sunt, cum alijs sanctis qui ex mortuis resurrecturi sunt, rapientur in nubibus obuiam Christo in aere, & non gustabunt mortem, eruntque semper cum Domino, grauissima mortis necessitate calcata, &c. Apollinarius licèt alijs verbis eadem quæ* Theodorus *asseruit, quosdam non esse morituros & de præsenti vita rapiendos in futuram, vt mutatis glorificatisque corporibus sint cum Christo, quod nunc de* Enoch *&* Elia *credimus.* Quorum testimonijs iugulatur omninò defensio tua, & contra te clarissimè decernitur, *Enoch* & *Eliam* non esse morituros, quippe corporibus in cœlum sublatos, & cum Christo glorificatos esse in exemplũ immutationis illius quæ sanctis in aduentu Christi viuentibus obuentura est; ac proinde longè abesse vt in hoc mortale seculum redituri sint, aut negotij quicquam cum Antichristo habituri. Quare tertia quoque tua demonstratio profligata est, & satis iam, ni fallor, apparet nihil in ea præter temeritatẽ & vanissimæ coniecturæ leuitatem contineri.

u 1.Cor.15.51.
x Hierony.in epist ad Miner. & Alexandrum.

CAP. 7.

De Ecclesiæ persecutione futura sub Antichristo, cont. Bellarm. *demonstrat.4.cap.7.*



QVarta demonstratio sumitur à persecutione sub Antichristo futura, quam tu grauissimam fore ais ac *notissimam*, ita *vt cessent omnes publicæ religionis ceremoniæ & sacrificia, quorum*, inquis, *adhuc nihil videmus*. Habet autem demonstratio ista partes duas: alteram de atrocitate persecutionis: de religionis publica cessatione alteram. Persecutionem Antichristi *grauissimam* fore ais comparatè, ita vt omnes superiorum temporum persecutiones longè superet. Talem negas à Pontifice suscitatam: ac proinde illum concludis non esse Antichristum. Eò verò torques quod à Christo dictum est. Matt.24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsq; modò, neq; fiet.* Atqui telum hoc præripuit tibi *Chrysostomus*, qui [a] *de Iudæis sermonem hunc* factum *fuisse* ait, *& afflictionibus quæ illis incumbebant.* Aut si illud tibi non satisfacit, audi *Theophylactum*

a Chrysost.in Mat.hom.77.

b Theophyl. in Mat. ca. 24. *ophylactum* expressiùs tibi aduersantem: [b] *Quidam de Antichristi diebus hæc intelligunt, sed non sunt hæc intelligenda de Antichristo, sed de captiuitate vrbis Hierusalem.* Quin & *Augustinus* obseruat c August. epist. 80 [c] id quod *apud* Matthæum *&* Marcum *incertum videtur, vtrum de excidio Hierusalem intelligi debeat, an de fine seculi*, *hoc* Lucam d Luk. 21. 23. *ita posuisse, vt appareat ad illius ciuitatis excidium pertinere.* [d] *Væ prægnantibus & nutrientibus in diebus illis: erit enim pressura magna super terram & ira populo huic; & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & calcabitur Hierusalem.* Perbellè verò sentiens hoc sibi telum nullo negotio de manibus extorqueri posse, subsidium aliunde petit, & à Satanæ solutione argumentum sibi finxit, quod tamen æquè facilè colliquescit. *Apoc 20 legimus*, inquit, *tunc Satanam soluendum, qui vsque ad illud tempus fuerat ligatus.* At quid ad rem, *Bellarmine*, quòd Satan sub Antichristo soluendus sit? (id quid sibi velit postea dicemus) an verò plus poterit tunc solutus quàm antè poterat quàm esset ligatus? Pone tibi ante occulos tempora illa ecclesiæ primitiuæ, & dic nobis ecquid vel cogitando fingere possis, quod persecutionum illarum infandam crudelitatem superare videatur. Memento cruces, & gladios, & equuleos, & ignes, & vncinas, & candentes laminas, & craticulas, & excoriationes, & exoculationes, & rabidos ferarum morsus, & murium ac vespertilionum sensim rodentium cruciatus, & excogitata illa lentarum mortium artificia, & vide an possit ad barbaram illam immanitatem quicquam accedere, quo se Satan fortiorem viribus, & tormentis ingeniosiorem ostentet, quàm olim fuit. Quòd si non possit (& verè non potest) temerarium est quod affirmas quod ad externas persecutiones attinet, sæuiora futura & asperiora sub Antichristo tempora, quàm vlla vnquam persecutione contigerunt. Enimuero nos qui mille tantùm annos Satanam fuisse ligandum intelligimus, quos à Constantini tempore cœpisse non dubitamus, post mille annos credimus ad pristinum ingenium fuisse rediturum; qui verò extrema omnia tentauit, omnes vires adhibuit vt Christi nomen tanquam in primo lacte suffocaret, eum furore & insania plusquàm antè facturum, existimare non possumus. Immò expertus primò quid per vim posset, postea per fraudem, & videns plùs se occultis insidijs quàm bello manifesto ad perniciem animarum præualere, hac maximè per Antichristum aggressus est via, & paulatim orbem terrarum deduxit in apostasiam

postasiam illam ab Apostolo prædictam, & perfidiæ veneno quasi lethali quodam toxico sopiuit, vt vitiato semine sterilescens Ecclesia magis & magis, nonnisi raram Christo sobolem progeneraret, & quos produceret, *sacrificaret Molocho, & Baali* educaret, preterquam paucos quos ex Ecclesijs eiectos & in angulos & eremum contrusos, benignis quidem oculis aspexit Deus, sibi *in spiritu & veritate* seruientes, mundus autem pro monstris habuit, & tanquam peregrini orbis homines irrisit, & explosit, & nomine hæreseos extremo dignos exterminio iudicauit, [e] *secundũ viam quam illi hæresin appellarunt colentes Deum patrum suorum, credentes omnibus quæ in* Mose *& prophetis,* & nouo Testamento *scripta sunt.* Enimuero in fraude & fallacia neruus est regni Antichristi, & [f] *aduentus eius in omni seductione iniquitatis & efficacia illusionis,* qua *gentes & populos,* hoc est, ipsam seculi multitudinem suis partibus acquirit, vt non tam habeat quos sibi aduersos temporaliter occidat, quam quos in perfidiæ suæ societatem & spiritualium stuprorum consuetudinem illectos in æternum secum interitum vehat.

e Act. 24. 14.

f 2. Thess. 2. 10. 11.

2 Quanquam non erat illa ex aduerso tanta paucitas, quin habeamus per quos in illis ecclesiæ ruinis de numero nostro superbè gloriemur. Nam qui numeros & copias attenderit nutu Pontificis sub nomine Waldensium, Albigensium, Leonistarum, Wicleuistarum, Hussitarum, Lollardorum, &c. pietatis causa miserrimè laniatas, contemplabitur ille animo grandem exercitum pro Christo militantem, & [g] draconem agnoscet bellum *cum semine mulieris* furiosissimè gerentem. Parum est, Bellarmine, quod tu ais, à *Diocletiano septendecim millia Christianorum* interfecta, qui ipse agnoscis [h] sub Innocentio tertio vnica expeditione in Gallia *centum millia* de nostris fuisse trucidata. Non erat opus carceribus ad custodiam, vbi ad fugam præoccupandam præsenti morte sublati sunt quicunque testimonium ferebant Euangelio Iesu Christi. Neque verò magnum est quod addis, *infra biennium tot martyrio coronatos, vt impossibile esset numerum eorum inire,* quum de nostris vno & eodem anno intelligamus ex Mathæo Parisiensi, [i] *infinitum numerum in partibus Alemanniæ* tuorum manu cecidisse. Fuerunt quidem ex Albigensibus quos commemoro, quos simul cum Waldensibus nostros fuisse, & nostrã in Cimmerijs illis Papismi tenebris causam egisse gloriamur. Quos etsi distinguunt à Waldensibus quidam

g Apoc. 12. 17.

h De notis ecclesiæ, cap. 18.

i Math. Parisien. in Henr. 3.

dam de Pontificijs hæreſeographi, veſtigia tamen eorum in eodem tramite currentium, & in recta fide magna concordia conſentientium ſatis expreſſa ſunt. Neque moramur quòd quidam eos opinionū monſtris oneratos infamiæ exponant, quippe qui dum inter ſe diſſentiunt, & alij aliud narrant, alter alterum mendacij conuincunt, & planè oſtendunt inuidioſè confićta eſſe à ſeipſis, & ab incertis rumoribus leuiſſimè collecta, quæ ad illorum nomen commaculandum per calumniam obiecta ſunt. Neque verò conſuetudinem Pontificiæ gentis ignoramus, quibus pia fraus eſt, & zeli catholici fructus eximius, figmentis ſuis & calumnijs Euangelio, quoad poſſunt, fidem præcludere: qui quum in hac luce non verentur Eccleſijs noſtris & doctoribus [k] paradoxa & portenta dogmatum attribuere, quæ nobis ne ſomniantibus quidem vnquam in animum venerunt, quid non auſuros fuiſſe putemus in illos, quos ita tenuerunt oppreſſos, vt purgare ſe de hæreſi non poſſent, cuius nomine vulgò execrabiles Deo & hominibus exiſtimati ſunt? Illorū verò ſētētiam, vtcunque inuiſam Pontifici & de hæreſi damnatam, conſtat tamen ex [l] Mathæo Pariſienſi à nonnullis epiſcopis temporum illorum fuiſſe comprobatam. Et certe Albigenſes eoſdem fuiſſe cum Waldenſibus propemodum agnoſcit poſt [m] Æneam Syluium [n] Stapeltonus. Waldenſium autem dogmata cum fide noſtra conſpiraſſe, manifeſtum eſt non ſolùm ex [o] apologia illa quam ipſi pro ſe Gallorum regi exhibuerunt, ſed etiam ex ijs quæ de illis tradit paſſim [p] Alfonſus de Caſtro, inter hæreſes enumerans quæ piè ab illis & ſalubritèr ex verbo Dei concepta & prædicata ſunt. Ex quo manifeſtum eſt, cùm Albigenſes, tum [q] Waldenſes, & reliquos illos quos commemoraui, nomine noſtræ religionis omnem illam à Pontificijs perſecutionis acerbitatem ſuſtinuiſſe.

3 Quo in loco non poſſum ſatis mirari Papiſtarum impudentiam, qui quum ipſi videant annales ſuos noſtrorum ſanguine ſubinde conſperſos, nec vllam fere paginam, ſi articulos temporum obſeruent, martyrijs noſtris non rubricatam, requirunt tamen à nobis eccleſiam noſtram ante Lutherum, & illum dogmatis noſtri patrem & primipilum odioſè declamitant. Et hoc illi quidem in aures imperitorum inſuſurrant, & ſcriptis quoque in publicum euulgant, qui tamen optimè ſibi conſcij ſunt quam peſſimè mentiantur. Recogitent enim per quadringentos & ampliùs

k Campian. Rat. 8.

l In Henr. 3.

m Æne. Syluius hiſt. Bohem. c. 35

n Stapelton. princ. doctrin. cont. 1 lib. 3. cap. 7.

o Sleidan. commentar. lib. 16.

p Alfonſ de Caſtro aduer. hær. paſſim.

q Vide Catal. teſt. veritat. pag. 424. & deinceps.

ampliùs annos ante Lutherum, quibus Antichristus maximè dominatus est, quæstiones, inquisitiones, deliberationes quæ de nostris reprimendis & extirpandis institutæ sunt: querelas attendant de crescente eorum numero nonnunquam habitas: reuoluant animo proscriptiones, vstiones, clades, quibus in illos ad horrorem vsque sæuitum est in Anglia, Gallia, Hispania, Germania, Bohemia, & alibi passim; & deinde renuntient nobis an seriò credant ecclesiæ nostræ primordia haud altiùs quàm à Luthero repeti posse.

4 Illorum verò temporum ingenium posterior ætas attentè intuentibus pulchrè depingit. Meminerint enim Gallicanas illas quas excitarunt tragœdias, quibus assecuti sunt, vt parum aut certè nihil à veteri Ethnicorum immanitate absuisse videantur. Horret animus referre quæ in [r] Merindolum, & Cabrieram, & Costam, & Sanfalesum, & alia quædam oppida & vicus designata sunt: simplicem plebeculam nonnisi precibus & lachrymis armatam, nullo ætatis aut sexus habito delectu, ne grauidarum quidem fæminarum, promiscuè laniatam: quadraginta fæminas in horreum fœno & stramine refertum subiectis ignibus inclusas, & dum ad fenestram aduolantes vt se eijciant, telis & hastis repelluntur, simul omnes concrematas: vigintiquinque in cauernam subductos refugij causa, fumo omnes & igne suffocatos: octingentos ad vnum Cabrieræ oppidum perfidè occisos: quin & hominum odio excisas abores, succensas ædes, expugnata castella, vt locus omninò desertus redderetur. Quid commemorem Bartholomæanam illam stragem nuptiarum prætextu; [s] Cæsaris Caracallæ stratagemate, perpetratam, Pontificiæ factionis æternam infamiam, & reliquas illas subinde repetitas clades inermium hominum & nihil mali suspicantium, submissis interim gladiatoribus, dum ad sacras conciones & pietatis negotia sanctissimè conuenirent? Clamat adhuc sanguis ille, & de te ac tuis, Bellarmine, vindictam efflagitat, quam agnoscis in multis principibus viris & magnatibus, quorum auspicijs & authoritate cædes illæ commissæ sunt, spectatissimo totius orbis exemplo præcessisse.

r Sleidan. comment. lib. 16.

s Herodian. li. 4.

5 Tu verò te credis sanguinem illum omnem vno verbo sustulisse vbi ais non *non persecutione* nostros sed *bello ciuili cecidisse*, & *multo plures* è vestris occisos esse *quàm inquisitores combusserint, fortè in centum annis*. In quo impudentiam tuam mirificè

 prodis,

prodis, qui non ignoras innumerabilem hominum multitudinem, bellum ne cogitantium quidem, tuorum armis occubuisse, & tumultuosè cæsos esse, qui resistendi neque animum neque facultatem habuerunt. Quarum iniuriarum atrocitates occasionem fortè dederunt bello ciuili, dum vim vi propulsant tantummodo, qui contra ius fasque indignissimè habiti, id sibi per patrias leges licere iudicarunt. In quo si de tuis aliqui perierunt, quid aliud quàm authores suæ necis & suorum existimandi sunt, qui contra fidem publicam, contra edicta & pacta, contra patriæ suę iura, contra optimatum prærogatiuas, contra vrbium & ciuitatum immunitates & priuilegia, siue iniusta principum vsurpatione, siue factiosorum quorundam hominum libidine arma sumpserunt?

6 Hîc verò politica res agitur, quid principi iuris in subditos per leges cuiusque reipublicę fundatrices promissum sit; vtrum potestatem habeat infinitam & nullo limite conclusam; an verò moderatam & siue optimatum siue populi arbitrio magis minusue temperatam. Romanus imperator mero & absoluto imperio gentibus olim præsidebat, arbitrio suo iubebat omnia, leges scripsit & rescripsit, summam vitæ necisque potestatem habuit. Quare nullo prætextu Christiani poterant vim illorum temporum arcere, vel iniurias prohibere quibus vexati sunt. Illarum verò nationum principes, quas commemoras, certos sibi fines constitutos habent; quibus vbi excedunt, licere sibi sentiunt optimates vim iniustam depellere, & iugum excutere, quo per nefas & contra leges oppressi sunt. Cuius rei controuersia non à religione tantummodo, sed ab alijs quoque politicis negotijs nonnunquam exorta est. Itaque rex Hispanus, qui nonnisi conuentione & pacto principatum habuit prouinciarum Belgicarum, vbi pacto stare desisteret, & contra datam fidem superbè ageret, ipse se exuisse principatu illo putabatur, vt nihil causæ esset prouincijs illis, quominùs se tueri armis, & ambitiosam tyrannidẽ auertere liceret. Galliarum rex maiestatem habet regni multò maiorẽ, cui tamen pro lege est, [t] *principem contra leges nihil posse, & rescriptis eius rationem nullã haberi debere, nisi æquitati perinde ac veritati consentanea sint.* Porrò est etiam proceribus reliquisque ordinibus suus honor & dignitas quam regi violare nefas est. Quam quum non ita pridem senserunt heroes regni illus nouorum quorundam hominũ factione grauissimè

[t] Bodin. method. hist. ca. 6.

uissime læsam, qui sub obtentu religionis ambitioni suæ seruientes insano furore cœlum terrę miscerent,& lamentabilem totius regni calamitatẽ minitari viderentur,(quippe omnia pro suo arbitrio facta,infecta,rata,irrita esse iubentes,& edicta publico iure pro cõseruanda pace promulgata,libitu suo frustrari non dubitantes) ceperunt illi quidẽ arma pro regis & regni,suaq; omnium libertate vindicanda, nec ferendũ sibi putarunt,vt armata contra leges paucorum hominum insolentia, leges diuinas simul & humanas intolerabili audacia proculcaret. Pugnarunt ergò pro iure suo, non aliquo Ecclesiæ priuilegio, quo illa sibi integrũ putet armis se defendere, sed politica libertate, qua, citra principis iniuriam, ordinem suum legibus constitutum aduersus hostes coniuratos,non inferendo bellum sed propulsando tueri licebat. Atque in hoc causa eorum à veteris Ecclesiæ ratione distinguenda est, quæ absque vllo iuris sui titulo, mero imperij placito subiacebat. Quamdiu verò ita se res habuit,cædebantur, vt tu dicis, Christiani, non cædebant; qui tamen sub Constantino principe iure publico armati non tam cædebantur quàm cædebant,& profligatis tyrannis & Licinio, iugum persecutionis à ceruicibus Ecclesiæ depulerunt. Pari ratione Ecclesia nostra, cùm longo tempore sub Antichristo, nullis secularibus præsidijs adiuta, duram seruitutem seruijsset, postquam ex illis fluctibus, miserante Deo, eluctari iam & emergere cœpisset,& legum aliquod præsidium stantibus ab illa principibus & optimatibus obtinuisset, cœpit eatenus vti viribus suis, & armata manu munitam edictis & legibus & priuilegijs religionem ab importuna tyrannorum oppressione vindicare. Quare principes Galliæ quorum interfuit prouidere ne publica libertas per iniuriam opprimeretur, neue quæ lege sancta esse debebant, subreptitiorum quorundam libidine pro irritis & nullis haberentur,(qui vsqueadeo hostes reip. comperti sunt, vt signiferum seditionis illius Ducem Guisium rex ipse *Henricus*,etsi religione cum eo consentiens, quia iudicio agere non posset, repentino impetu confodiendum curaret) bello iniustam illam violentiam repellendam, & Ecclesiam nonnisi iustè armatam, pro ea quam lege habebat libertate conseruanda, in aciem educendam censuerunt. Vbi qui de tuis partibus,*Bellarmine*, ceciderunt, non iniuria persecutionis, sed iustissimæ defensionis impetu perierunt. Quare nihil hîc videmus quominus verissimum sit quod tu

tu ais, *tribulationem*, si eam, vt debes, persecutionem intelligas, *solis Ecclesiæ filijs sub Antichristo futuram*. Quod & semper verum fuisse nemo dubitat, quia [u] nunquam agnus lupum, nec rapacem miluum innocua columba persequitur, nec vnquam Ecclesia Christi laudi sibi esse ducit manus sanguine hostium cruentatas ad cœlum in oratione supplices leuare. Calumnia est ergò, non iusta querela quam adiungis de *Catholicis potiùs persecutionem patientibus quàm Lutheranis & Caluinistis*, & nimium impudentèr obiectas nobis pauculos homines perfugas, qui siue cæco zelo pertinaces, siue, quod in plerisque verissimum est, desperatis in patria rebus suis solum verterunt, qui tuis vides parum esse, patria nos aut fortunis omnibus exuisse, nisi bruto furore vitam quoque nobis eripiant, & immanem sitim sanguine restinguant. Vbi verò de numero tuorum ais: *Multò plures Catholicorum furor Caluinistarum intra paucos annos absumpsit, quàm hæretici iudicio principum Catholicorum abnegatæ fidei pœnas dederunt; quàm inquisitores combusserint, fortè in centum annis*, egregium te sycophantam cognouerit, qui meminerit, quod apud nos è Gallia publica fama diuulgatum est, præter cæteras clades quibus ingens numerus absumptus est, [x] centum millia nostrorum, absque vllo belli apparatu, vnius anni dimidio vestris mucronibus & telis occidisse. Atque illa quidem Inquisitio vestra, quam tu tam immunem sanguine nostro videri vis, vix triginta annorum spatio [y] centum quinquaginta millia nostrorum diuersis afflictionum generibus crudelissimè consumpsit. Increpabit te verò Dominus, & mētienti os obstruet, nec excusabit te Surius ille tuus, improbus fabulator, cuius fide videri vis asserere, quod tuum tibi pectus falsissimum esse confirmat.

[u] Chrysost. in Mat. hom 19.

[x] Stoi. annal. Angl. anno. 1562 in marg.

[y] Baleus de sect. Rom. Pontif. in fine, ex Vergerio.

7 Nec verò sine mendacij nota prætereundum puto, quòd de pœnis veterum & nostrorum comparatè ais, *Cùm modo summa pœna sit comburi hominem, tunc incredebilia & diuersissima tormentorum genera exercebantur*. Docebunt te namque, si inquiras, inquisitores hæreticæ prauitatis probrum ipsis futurum & ingenij maculam, si quid veteres illi martyrum carnifices asperiùs in pœnis habuisse videantur, quàm quæ solertissimè ab illis ad exquisitissimos cruciatus ad intimos animæ sensus subtilissimè penetrantes excogitata sunt. Genus hominum plusquam Scythicum, ad pœnarum artes supra omnes Phalarides ingeniosum, nihil satis acerbum existimauit, quo corporum mollitiem

litiem & teneros artus vexaret, nec ætati parcens nec sexui, nihil ob aliud quàm fidei conscientiam cum singulari pietate & innocentia coniunctam. Nec tamen inquisitoribus tantùm propria est hæc immanitas, sed tota ferè gens Pontificiorum hoc nomine meritò infamis esse debet. Et certè hoc ipso Ecclesia Romana Satanam & Antichristum sapere probatur, quòd mansuetos alioqui animos ad sæuitiam & crudelitatem exasperat & obdurat, ita vt quò quísque est illi addictior, eò magis feritatem spiret, & cum voluptate miserorum hominum inter tormenta languentium æstus & angustias intueatur. Enimuero è nostris quoque extiterunt, quorum hac ipsa causa memoria est execrabilis & odiosa, quòd pro ludo habuerint oculos & animos tormentorum alienorum spectaculo saturare. Et quanquam naturâ gens nostra sæuitiæ omnis & crudelitatis plerumque spectaculum abhorret; nescio tamen quo modo contingit, vt hanc propemodum naturam exuisse comperti sint quicúnque è nostris Romano Pontifici operam in causa fidei sibi præstandam iudicarunt. Quid illis vnquam dirius aut immanius auditum est, qui [x] effusum ex vtero matris ardentis infantulum in ignes abiecerunt simul cum illa comburendum? sed perceperunt isti cum cæteris, nihil dubitamus, mercedem suam in inferno, fruentibus interim illis beatissima pace, quos tanquam excrementa quædam & stercora, ne humus ab illis inquinamentum caperet, ignibus absumendos statuerunt.

x Foxi martyrolog.

8 Quod sequitur, *perescutionem Antichristi fore notissimam*, quorsum adducas non intelligo. Certè mactationibus illis & cladibus quibus Ecclesia nostra vos infestissimos experta est, nihil notius esse potest. Manet adhuc aër infectus nidore carnium nostrarum: terra sanguinem quem de manibus vestris imbibit, assiduè Deo sacrificat, & auditur adhuc vox animarũ sub ara crucis Christi iacentium: [y] *Vsquequo Domine, non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra?* Aut si tibi ista obscura sunt, notantur quoq; in historijs & registris circumstantiæ omnes personarum, locorum, temporum, qui, quibus authoribus, vbi, quando, qua causa siue iudicio forensi siue tumultuario impetu à vobis occisi sunt. Quæ quia à vestris quoq; scriptoribus indicata sunt, planè te impostorem esse oportet, qui perinde omnia illa præteris acsi nihil omninò his de rebus superiorum temporum memoria comprehensum sit. Quod autem

y Apoc. 6. 10.

autem ais, aut saltem aisse videri vis, *fictos Christianos qui nunc in Ecclesia sunt, Ecclesiam omninò derelicturos, & contra nomen ipsum, vt tu vis, Ecclesiæ pugnaturos*, præterquam quod ab Augustino non dicitur, falsissimum est, quum constet, quòd iam antè, & partim quidem ex Augustino ipso docuimus, Antichristum sibi ac suis ius & nomen Ecclesiæ sumpturum, vt titulari Ecclesiæ nomine palliatus, veram Christi Ecclesiam tanquam lupus vestimentis ouilibus indutus prædetur & perdat.

9 Sed in eo magnum causæ tuæ præsidium esse putas, quòd à nobis putas indicari non posse, *quando cœperit persecutio illa* quam dicimus, *nec certum notari tempus quando venerit vel persecutionem inchoauerit Antichristus*. Qua de re satis iam antè tibi responsum est, in ijs quæ paulatim nascuntur, momenta temporum obseruari non posse: initia non semper, immò ferè nunquam percipi eorum quæ non repentina mutatio, manifesta statim nouitate, sed consuetudo induxit sensim deflexa de via: Antichristum ab ipso ferè Apostolorum sæculo seminatum in Ecclesia, nonnisi gradatim incrementũ cepisse; tandem verò natum in ecclesia Romana, vbi quod ambitiosa quadam Romanorum episcoporum vsurpatione sedi illi propter imperij honorem paulò antè quadantenùs delatum esse cœperat (qui si exitum rerum rescissent, plerique fortasse consilium suum Ecclesiæ tam perniciosum cum lachrymis & fletu damnassent) imperatorio quasi diplomate confirmatum est, vt Romanus episcopus vniuersalis totius Ecclesiæ episcopus haberetur. Qui deinceps fracto paulatim imperatore, viribusq; sibi indies auctis, captiuã sibi magis magisq; fecit Ecclesiam, donec omnia sibi subijciens, apertum cum Euangelio Christi bellum exercuit. Quantas verò interim tragœdias fecerit pro cultu imaginum, pro Transubstantiatione, pro Papali illa omnipotentia introducenda, nemini obscurum esse potest, cui libet in monumentis temporũ illorum vel mediocriter versari. Nec verò tu quicquam aliud quàm lectori caliginem offundis, cùm certum annum requiris aduentus Antichristi, acsi qui hydropisin lethalem contraxerit, negaret se hydropisi laborare, quia non potest à medico certum ostendi momentum temporis quo cœpit humor noxius ad perniciem corporis abundare. Quanquam verò diuersæ sint nostrorum opiniones quo tempore Antichristus maximè conspicuus esse cœperit, quas tu specie magis quàm re ipsa discrepantes

tes ad ineptas sententias vafrè detorques; vix tamen quisquam est, quod sciam, qui non agnoscat Bonifacium primò Antichristi cathedram in ecclesia Romana constituisse, & sedem illam Antichristi solium & metropolin deinceps futuram dedicasse.

10 Superest illud nunc ex argumento tuo consectaneum, *tempore Antichristi propter atrocitatem persecutionis cessare debere publicum Ecclesiæ officium & sacrificium. Antichristum enim interdicturum omnem diuinum cultum, qui in Ecclesiis Christianorum nunc exercetur, ac præsertim sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium:* quod ex Dan. 11. confirmas: *A tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, &c.* Eò quoque testimonia patrum accommodas locum illum sic interpretantium. *Hoc autem signum*, inquis, *nondum impletum experientia testatur.* Atqui verò absurdè agis, *Bellarmine*, qui sententiam patrum detorques ab eo quod ecclesijs antiquis vsitatum fuit, ad id quod per vos nunc in ecclesijs Christianorum exercetur. Nam si ea quæ à vobis in Ecclesijs aguntur cum illis conferas quę veteris ecclesiæ archetypo descripta sunt, haud magis conuenire comperis quàm plumbo conuenit cum auro, quam luto cum gemmis & margaritis. Quòd si, vt debes, intelligas futurum vt Antichristus veterem Ecclesiæ ritum immutet, & pro vero pietatis officio quo Christo seruitum est olim in spiritu & veritate, vacuas quasdam & impostrices vmbras quibus illudatur populo Christiano, nefariè substituat, rectè tu quidem ais, & hoc ipso Romanum Pontificem Antichristum esse confirmas, qui verum omnem & consuetum antiquis Ecclesijs religionis cultum exterminauit, & eius loco spurios & damnatos cultus & ceremonias inuexit cum summa Christi offensione & iniuria coniunctas. Enimuerò cùm tribus illis tota religionis institutio contineatur, Sancta numinis supplicatione, Verbi Dei prædicatione & auditu, & Pia sacramentorum administratione; de tribus istis nihil ille integrum reliquit ecclesiæ, sed impijs superstitionibus omnia peruertit. Nam quid aliud quàm sanctas inuocantium preces ex Ecclesia sustulisse dicendus est, qui preces ex antiquo more vernaculo sermone conceptas exclusit, & linguam peregrinam absque vllo intelligentiæ fructu demurmurandam introduxit? Quanquam illud magis impium, quòd inuocationem quæ soli debetur Deo per Iesum Christum, Diuis ille suis & Deâbus communicauit, & eò perduxit homines, vt fœliciùs sibi sanctorum opem quàm diuinam

misericordiam implorandam iudicarent. Nec tamen eo contentus, illud quoque addidit vt procumberent idolis & imaginibus, & statuis vota sua profunderent, & ecclesiam de Christi nomine nuncupatam, insano veteris Ethnicismi furore dedecorauit. Porrò verbum Dei non de manibus solùm excussit libros sacros abolendo, sed interuertit quoque ne in auribus sonum ederet, substituto pro veris doctoribus adulterino *prædicatorum ordine*, qui somniorum suorum ineptias, & confictas de Legenda fabulas, & monstra quædam ac portenta visionum & miraculorum inculcando tempus tererent, & pro diuinis præceptis Pontificiarum legum obseruantiam vrgerent, ferro & flammis præsentibus & futuris vindicandam. Quæ verò frustula de sacris scripturis in Liturgias translata sunt, ea fecit nonnisi Latinè recitari, vt nihil inde ad Ecclesiam emolumenti aut ædificationis posset accedere. Sacramenta mirum in modum fœdauit, vt nemo cognouerit eadem esse. Omitto dicere quas in Baptismum nouitates inuexerit; quàm prophanis traditionum excrementis mundissimam Christi ceremoniam conspurcarit. Plus iniuriæ fecit in altero sacramẽto, vbi mysticam Christi cænam commutauit in scenam, & sanctissimam mensam ioculatorijs ineptijs ridiculam fecit. Sacerdotem in Missa mimum aliquem dixeris in conuiuio, aut exorcistam in circulo: ita nihil habet quod simplicitatem illam referat & grauitatem quæ institutionem Christi præ se ferre videatur. Cænam verò Dominicam patres *iuge sacrificium* appellant, quòd in ea repetita subinde recordatio explicatur vnici sacrificij Iesu Christi: quòd in ea crucem & passionem Christi recolimus: [z] *passio est enim Christi sacrificium quod offerimus*, ait Cyprianus. Neque enim vnquam illis in animum venit merum hîc & verum sacrificium exercere, qui [a] *singulari & solo vero sacrificio Christi pro nobis sanguinem effusum* intellexerunt, quin *magis* inquiunt, [b] *sacrificij recordationem operamur*, & [c] *oblationis illius memoriam facimus perinde ac esset hoc tempore immolatus. Perinde ac esset*, inquit, reipsa verò non credit hoc tempore immolandum, quum tamen [d] *propter sacramenti celebrationem fieri dicatur* quocunque die, quod *non illo die, sed iam olim factum est*. Inde ergo iuge sacrificium appellant iugem & assiduam sacrificij Christi commemorationem, qua fidelis quisque Christum pro se Deo quodammodo sacrificat, & filij mortem patri opponit ad remissionem peccatorum per crucem eius & sanguinem

z Cypri. lib. 2. epist. 3.

a August. cont. aduer. leg. & proph. lib. 1. cap. 18.

b Chrysost. & Ambros. in Heb. 10.

c Theophyl. ibid.

d August. ep 23.

sanguinem obtinendam. Hanc commemorationem Christus instituit mystico pane & calice participando celebrandam. Neque enim nobis otiosum spectaculum, sed spirituale conuiuium exhibere voluit, vt externa symbola piè percipientes, [e] *passioni Domini* per fidem *communicemus, & salubritèr atque vtilitèr in memoria reconditum habeamus quòd caro eius pro nobis crucifixa & vulnerata sit.* e August. de doct. Christ. lib. 3. cap. 16.

11 Hanc cœnæ mysticæ communicationem quam antiquitas omnis à Christo traditam constantissimè retinuit, Pontifex Romanus ex vsu Christianorum exturbauit, eoque ipse ille est Antichristus quem præmoniti sumus iuge illud ecclesiæ sacrificium abolitum. Verissimum est, Bellarmine, quod dico, ecclesiæ omnes loquuntur & clamant sustulisse Romanum Pontificem Eucharistiam illam quam olim legimus in ecclesia fuisse celebratam, & pro illa ieiunam ceremoniam, populi Christiani ludibrium, substituisse. Ac nequid ad summam impietatem deesset, de sacramento fecit idolum, & ex nomine *corporis Christi* tropica locutione propter [f] *similitudinem quandam* ad symbolum panis accommodato, *Maozim* deum sum exsculpsit, quem curauit auro & argento colendum, & diuinis quibuslibet honoribus adorandum. Quinetiam vbi se Christum corporalitèr præsentem habere persuaserat, de illo nouum sacrificium excogitare ausus est, quod ex vnctis illius & rasis circumforaneus quisque nebulo deo se auferre confidat ad propitiationem pro viuis & mortuis perficiendam. Hoc ille venale prostituit, & in eo remissionem peccatorum [g] *non auro aut argento, aut rebus corruptibilibus acquisitam, sed pretioso sanguine Iesu Christi*, exposuit inaudito scelere auro & ære redimendam. Ita nomen *iugis sacrificij* callidè ad imposturam retinuit, rem ipsam ab antiquis illis intellectam impiè profligauit. Sacrificium obtrusit ecclesiæ, quo Christum mentitus est quotidiè pro peccatis offerri, vt arbitrati homines ibi rem pro se apud Deum esse transactam, nihil sibi vltrà requirendum putarent, & hoc errore seducti in æternum perirent: sacrificium crucis Christi, quo vno pax & vita continetur, quasi sepultum in tenebris reliquit, & virtutem eius modis omnibus celandam putauit, ne illam edocti homines sacrilegum Missæ commentum abhorrerent.

f August. ep. 23.

g 1. Pet. 1. 18.

12 Quare tria illa quæ ex præmissis ad finem adiungis, in caput tuum Bellarmine recudimus. Primò colligis *Antichristum*

nondum venisse, cùm adhuc vigeat iuge sacrificium. Atqui hoc ipso constat venisse Antichristum, & in Ecclesia regnasse, quia sublatum intelligimus per aliquot secula *iuge sacrificium*, hoc est, institutum à Christo Eucharistiæ vsum, pro vnico illo sacrificio semel in cruce peracto sacrorum mysteriorum perceptione recolendo. Secundò vbi colligis, Romanum Pontificem non esse Antichristum, sed ei maximè contrarium, *cum sacrificium quod ille ablatus est hic maximè ornet & tueatur*, nos contrà reponimus; Romanum Pontificem sine omni controuersia ipsummet esse Antichristum, quia iuge sacrificium, hoc est, piam Eucharistiæ celebrationem ab Ecclesia primitiua sanctissimè conseruatam exulare fecit ab Ecclesia, & pro eo commentum nouum, in quo veteris instituti, præter verba quædam, nihil est reliquum, tuetur & defendit. Postremò vbi ais, *huius temporis hæreticos* (per calumniam Ecclesias nostras perstringens) *præ omnibus alijs esse Antichristi præcursores, cum nihil ardentius optant quàm sacrificium Eucharistiæ penitus abolere*, respondemus, Non Eucharistiæ nos sacrificium abolere, sed Missæ; Eucharistiam nos ingenti Dei beneficio ad veterem normam, consignatam in Euangelio, in antiquis omnibus Liturgijs etsi per vos alioqui deprauatissimis, expressam instaurasse: Missam verò, idolum Pontificis, qua Christi iniuria, ludibrium Ecclesiæ continetur, meritò abhorruisse, quia veterem Eucharistiæ communicandę morem explosit. Itaq; non esse nos futuri Antichristi præcursores sed hostes reuelati, quibus animus est ad pristinam integritatem omnia reducere, quæ perfidia illius & tyrannide dissipata & disiecta sunt: plurimum gratulantes in illa nos tempora incidisse, quibus complere cœpit Deus quod per Apostolum promisit; [h] *Consumet illum Dominus spiritu oris sui.* Videmus enim verbo Dei retectas iam fraudes & imposturas, & execrabilem factam perfidiam illius, & pro fatuis ignibus haberi iam fulmina illa quibus orbem terrarum antè perterruit. Quod Deum magis magisque facturũ speramus, donec eum Christus *aboleat præsentia aduentus sui. Etiam veni Domine Iesu, veni citò*, vt de manibus scelerati illius seruorum tuorum sanguinem reposcas.

[h] Thess, 2.8.

CAP.

CAP. 8.

Antichristi tempus tribus annis & dimidio definiri non posse, contra Bellarm demonstrationem quintam cap. 8.

A Duratione regni Antichristi Bellarminus quinto loco demonstrationem proponit. *Antichristus,* inquit, *non regnabit nisi tres annos cum medio. At papa iam regnauit spiritualiter in Ecclesia plusquam mille quingentes annis, nec potest assignari vllus qui sit habitus pro Antichristo, qui pracise regnauerit tribus annis cum medio: non igitur Papa est Antichristus. Proinde nondum venit Antichristus.* Q. Roscius confirmaturus ad patrocinium causæ Quintianæ M. Tullium, [a] *Quid si,* inquit, *habes eiusmodi causam vt hoc tibi planum sit faciendũ, neminem esse qui possit biduo, ad summum triduo septingenta millia passuum ambulare? tamennè vereris vt possis hæc contra Hortensium contendere?* Ille verò, *Minimè, sed quid id ad rem?* Roscius verò, *Nimirum,* inquit, *in eo causa consistit.* Plura sunt in hac causa in quibus nostra cum Bellarmino disceptatio consistit. Quod si in hac vna re tota de Antichristo controuersia vertatur, Possitne Antichristus esse qualem Bellarminus ipse describit, qui nonnisi tres annos & dimidium regnaturus est, haud minùs in causa superiores fuerimus, quàm cui id vnum incubuit, vt probaret *septingenta millia passuum non esse decursa biduo.* Neque enim magis credibile est Antichristum tribus annis & dimidio ea facturum quæ illum Bellarminus facturum describit, quàm septingenta millia passuum biduano aut triduano spacio deambulari posse. Antichristum narrat *super Iudæos regnaturum in Ierusalem,* & ab illis pro Messia susceptum iri. Atqui ni primùm Hierosolymis eminuerit, aliquanto tempore opus erit vt eòse conferat vbi sedem habiturus est. Veruntamen ibi fortasse primùm exurget. Esto. Quum verò Iudæorum gens per vniuersum ferè orbem terrarum mirum in modum dispersa & disiecta sit; quos ille nuncios, quos Pegasos habiturus est, qui illos circumquaque orbem admoneant de Messia scilicet nato iam tandem, & Hierosolymis imperium obtinente? Festinatò opus est, ne de tribus annis & dimidio nimiũ decedat. Itaq; tubicinẽ fortè Solem nacturus est, aut literis in Lunam inscriptis simul omnes commonefacturus, vt constitutis rebus suis, arreptis sarcinulis quamprimùm auitam patriam repetant, & expe-

[a] Cicer. orat. pro P. Quinctio.

ctato hactenus gentis suæ liberatori se cupidè committant. Porrò templum illi Solomonis extruendum asseritur, quod ita funditus olim excisum est, vt ne lapis quidem eius super lapidem relictus sit. At ædificationem templi Solomon quanquam ingenti rerum omnium apparatu, operarijs vsus [b] plusquam centum quinquagenta millibus, nonnisi [c] septem annis compleuit. De secunda verò eiusdem instauratione Iudæos audimus apud Ioannem dicentes; [d] *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc.* Quid? & tu nobis, Bellarmine, trienniũ narras templo Solomonis ædificando, conquirendis operarijs, stipendijs procurandis, cædendis lignis & lapidibus, ferramentis & vectibus instruendis, commeatui rerum omnium ad necessitatẽ tanti operis faciundo? Neque hîc tamen omnia, nam & alibi sic habet: [e] *Antichristum per fraudes & dolos regnum Iudæorum adepturum;* deinde *pugnaturum cum tribus regibus, nimirum, Aegypti, Libyæ atque Aethiopiæ, & eorum regna illis diuictis occupaturum.* Quid? & tantum quoque bellum contra tantos reges (nam Ægypti regnum Turcæ iam possident) tanto tamen successu eodem quoque triennio facturum? scilicet expeditione vsurus maiori quam olim Iulius Cæsar: *Veni, vidi, vici.* Parum verò est: nam & illud quoque addit, *subacturum sibi alios septem reges, & eo modo totius mundi monarcham euasurum.* O strenuum bellatorem, qui tot gentes, armis potentissimas, locis infinitas, quibus visendis & salutandis vix ætas vnius hominis sufficiat, ad quas omnes vix credibile esset vel nomen eius tam repentè peruenire potuisse, quarum imperium populus Romanus vix post septingentos tandem annos assecutus est, ipse vno triennio,

Par leuibus ventis volucrique simillimus,

Non inuisere modò, verumetiam inuadere armata manu & domare bello ac frangere, & regno suo adiungere valebit! Atqui verò tuus I. Hentenius: [f] *Non esset,* inquit, *possibile ipsum tam paruo tempore tam multa regna ac prouincias obtinere.* Ecquid tamen amplius? Scilicet. Nam *quartò illum dicit cum innumerabili exercitu toto orbe Christianos persecuturum, & hoc esse prælium Gog & Magog.* Quò illud pertinet quod antè disputatum ab illo est, [g] *effecturum vt toto orbe cessent publicæ religionis ceremoniæ, & iuge Ecclesiæ sacrificium.* Satis verò loquentiæ, sapientiæ parum: abundè fabularum audiuimus. Non crederent tibi ista ne miriones quidem tui, nisi illos Antichristus ipse Circæo poculo fascinatos,

[b] 2. Chron. 2. 2.
[c] 1. Reg. 6. 38.
[d] Ioan. 2. 20.
[e] Cap. 16.
[f] Henten. præfat. ad comment. Arethæ in Apoc.
[g] Cap. 7.

ſcinatos, cerebro prorſus & ſenſu exuiſſet. Emiſit Chriſtus Apoſtolos diuina virtute maximè conſpicuos, miraculorum poteſtate clariſſimos, linguarum & loquendi facultate potentiſſimos, qui vix tamen viginti annis aſſecuti ſunt, vt Chriſto Eccleſias per orbem terrarum conſtituerent: vt idola gentium vbique demolirentur, & prophanos ritus publicitùs extirparent, obtinere non poterant; & ne quingentis quidem annis eò peruentum eſt. Et num Chriſto tantò fœlicior Antichriſtus, vt triennio aut paulò ampliùs, diſſipatas Iudęorũ copias in vnũ colligat, templum Hieroſolymis ædificet, regnum ſibi firmet gentis illius; Ægyptum, Libyam atque Æthiopiam hoſtili manu peruadat; monarchiam totius orbis conſtituat, Eccleſias vbique orbis euertat, Chriſtianæ pietatis cultum omnem conſpicuum tollat, & denique, quod ex Ioanne addimus, gentes omnes & populos ad fornicationum ſuarum commercium inducat? Quum verò illum ais facturum quoque, vt ſibi cultus religionis vbique deferatur, quos illum ſtatuis Apoſtolos & præcones habiturum, quibus linguis inſtructos, qui peruolent momento vniuerſum orbem, & illos quos præcipiet ritus informent, & epiſcopis ac paſtoribus abdicatis vrbes & oppida, pagos omnes & vicus nonniſi Chriſti hactenus nomen callentes, ad nouum religionis inſtitutum ſtatim inflectant? Quid Pontifex tuus, & Cardinalium collegium, & clerus ac Eccleſia Romana, & numeroſus monachorum & Ieſuitarum exercitus? Itanè vos omnes reperiet in fide leuiſſimos, vt inflata tuba mox obſequentes habiturus ſit, nec vel ad vnum annum repugnantes? Quid tu frontis habes, Bellarmine, quem non pudet ineptias iſtas in theatrum orbis & rerum omnium lucem proferre? Concionare iſta ſtipitibus & ſaxis, aut cum *Franciſco* tuo feris & volucribus: hominem vix crediderim quenquam, niſi fortè inſanit, fidem iſtis ſomnijs habiturum.

2 Huc tu tamen adducis teſtimonia ſcripturarum, vt obtrudas authoritate quod vides cum ratione conſtare non poſſe. *Antichriſti regnum*, inquis, *trium annorum cum dimidio futurum colligitur ex Dan.7 & 12.* Colligitur, inquis, non legitur, & collectio tua meritò nobis ſuſpicioſa eſt. De Antichriſto vis dictum eſſe cap.7. *Tradentur in manum eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Simile quiddã legitur quoq; ca.12. Tu vtrobique *tempus* exponis annum, *tempora* duos annos, & *dimidium*

midium temporis dimidium anni. Quod de Antiocho quidem haud incommodè faceres: at perperam tu quia in Antiocho typus quidam Antichristi præcessit, vt quomodo Antiochum legimus insanientem in templo Iudæorum, in quo Ecclesiæ figuram accipimus, perinde in Ecclesia facturum Antichristum intelligamus, ideò quæcunque de Antiocho scripta sunt, mox ad Antichristũ per vim rapis, & sine delectu omnia imperitè confundis. Certè quæ tempora ibi notantur, conuenire cum Antichristi negotio non possunt, nec fieri potest vt triennali spacio hic per vniuersum orbem efficiat quod Antiocho in vna Iudæorum gente facillimum fuit. Quanquam dum illas temporum assignationes cogis instituto tuo inuitas seruire, in eas te conijcis angustias, quibus extricare te aut euoluere nunquam potes.

h Dan 7.25. Nam de quo legimus cap.7. [h] *tradentur in manum eius vsque ad tempus, & tempora & dimidium temporis*, de eodem habemus

i Ca.8.v.13. quoque cap.8. [i] *Dixit vnus sanctus alteri nescio cui loquenti, Vsquequò visio & iuge sacrificium. &c. & sanctuarium & fortitudo conculcabitur. Et dixit ei, Vsque ad vesperam & mane, dies bis mille trecentos. &c.* Quem locum testatur Hieronymus [k] plerosque veterum scriptorum ad Antichristum accommodasse. (k Hierom. in Dan. cap. 8.) Itaque pro triennio tuo habemus hîc supra sexennium regni Antichristi: hoc enim efficiunt dies bis mille trecenti. Porrò cap. 12. de

l Dan.12 7. quo priori loco dicit, [l] *Vsquequo visio horum mirabilium? In tem-*

m Ver.11. *pus, & tempora, & dimidiũ temporis*, de eodem mox subiungit, [m] *A tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium & posita fuerit abhominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Et hos [n] dies (n Cap.9.) mille ducentos & nonaginta tu per imprudentiam agnoscis regnum Antichristi duraturum. At inepte, non vides dies mille ducentos & nonaginta, tua ipsius supputatione, tres annos & septem menses complere? Tibi namque dies mille ducenti sexaginta tres anni & sex menses numerantur, quos Antichristum ais regnaturum: quibus vbi addis triginta, vt numerum nonagesimum producas, pro sex mensibus septem ponis, & mensem vnum apponis regno Antichristi. Et tamen quasi cum insulsis & stupidis hominibus rem haberes, quibus neque ingenium neque animus esset ad fraudes tuas dijudicandas, subiungis hîc: *Neque obstat quòd Dan 12* dicitur *Antichristus regnaturus mille ducentis nonaginta diebus, hoc est, diebus triginta ampliùs quàm dixerit Ioannes. Nam Ioannes loquitur de Enoch & Elia qui ab Antichri-*

sto

sto occidentur vno mense antequam Antichristus pereat. Os impudens, an tu nobis tanquam certissimum opponis, & in fide Christiana exploratissimum, regnum Antichristi nonnisi tres annos & sex menses, siue dies mille ducentos & sexaginta duraturum, & inde quadraginta quinque dies dinumeras, quorum exitus Christi nobis aduentum apportet, & nihil obstare ais quod apud Danielem numerantur, vt tu exponis, dies mille ducenti & nonaginta quibus supra tres annos, non tantùm sex vt tu vis, sed septem menses conficiuntur? Attende verò quàm bellè tibi constes, dum prudens ac sciens mendacium propugnas. *Antichristus*, inquis, *non regnabit nisi tres annos cum medio.* Et paulò pòst: *Ioannes cap. 12. dicit Enoch & Eliam prædicaturos diebus mille ducentis & sexaginta qui idem tempus efficiunt.* Et mox: *Ioannes loquitur de Enoch & Elia, qui ab Antichristo occidentur vno mense antequam Antichristus pereat.* Enarra nobis, Bellarmine, qui tu ista putes conciliari posse? Si verum sit quod primò ais, *Antichristus non regnabit nisi tres annos cum medio*, & quod secundò ais, *Enoch & Eliam prædicaturos diebus mille ducentis & sexaginta*, hoc est, totidem annos cum medio, hoc est, totum tempus Antichristi; quomodo verum erit quod tertiò ais, *Enoch & Eliam occidendos ab Antichristo vno mense antequam Antichristus pereat?* Aut si verum sit quod postremò dicis, *Enoch & Eliam occidendos ab Antichristo vno mense antequam pereat Antichristus*, qui tamen sub Antichristo *dies mille ducentos & sexaginta*, hoc est, tres annos cum medio prædicaturi sunt; falsum esse necesse est quod primò statuis, *Antichristum non nisi tres annos cum medio regnaturum*, & planum facis locum illum Apocalypticum perperam à te adductum esse ad tres annos & semissem Antichristo asserendos. Hactenus ergò extorquemus tibi omnia, neque quicquam tibi integrum manet ex quo defensionem causæ tuæ meditaris. Locus Apocalypticus designat quidem quanto tempore prædicaturi sunt Enoch & Elias, non quanto regnabit Antichristus, quem tu agnoscis post tres annos & dimidium superstitem illis futurum, ac proinde supra tres annos & dimidium saltem vno mense regnaturum. Quod etsi haud magnum temporis discrimen efficere videatur, eo tamen nomine maximi momenti existimari debet, quia cogit te locorum illorum quos porrò citas aliam sententiam requirere, ex quibus nunc subductis tam præcisè calculis, de iusto Antichristi triennio & semisse

misse fabularis. Nam si Enocho & Eliæ simul cum Antichristo venturis mille ducenti sexaginta dies, qui tres annos & dimidium complent, annumerentur; certè neq; Apoc. 12. *tempus, tempora, & dimidium temporis*, neq; Apoc. 11. & 13. quadraginta duo menses, quibus tres illos annos cum dimidio constitui fateris, iustam nobis designare poterunt durationem Antichristi, quem per te constat, vt dictum est, Enocho & Eliæ post tres annos & dimidium vno mense superuicturum. Itaque perijsti iam, Bellarmine, tu cum tuis vniuersis, & ineuitabili argumento diluitur quicquid siue ex scripturis, siue ex veterum scriptis, tam operosè corradis, ad durationem regni Antichristi tantùm per tres annos & dimidium constituendam.

3 Postquam verò commentarium tuum explodimus, expectas forsitan, vt nostram de locis illis sententiam proferamus. Qua de re etsi nolim quicquam pro certo definire, proponam tamen quod mihi proximè videtur ad veritatem accedere; iudicium penes Ecclesiam & pios esto. Quanquam quod ad loca Danielis attinet, planè nihil dubito quin verissima sint quæ doctissimi viri *Immanuel Tremellius* & *Franciscus Iunius* de ijsdem annotarunt: ita cum veteri Iudæorum historia concordant, vt nihil suprà dici possit. De locis Apocalypticis aliquantò maior est scrupulus, quem tamen eximere animo tuo conabor, absque aliquo præiudicio eorum qui sanius fortasse aliquid & solidius afferre poterunt. Neque tamen quicquam hîc fortasse nouum apporto: sed dum ea quæ ab alijs dicta sunt liberè expendo, videre mihi videor aliquid quod animum meum vehementer ad se rapit. Ac illud primò videor in Scripturis perpetuum obseruare, domesticarum Ecclesiæ calamitatum, quas fideles quasi ciuili bello patiuntur ab illis quos habent communione Sacramentorum sibi coniunctos, certas periodos à Prophetis prædici nunquam solere: ibi tantùm mensuras temporum & malorum certos exitus indicari, vbi cum extraneis & hostibus res est; quibus promiscuè omnes exosi sunt qui ritu externo numerantur in populo Dei, & communem Ecclesiæ vocationem acceperunt. Itaque quæ ab [o] Ægyptijs, à [p] Babylonijs, ab [q] Antiocho veteri Ecclesiæ aduersa obuentura essent, ea legimus per prophetiam certo annorũ numero comprehensa: quæ verò ab impijs & idololatris regibus suis calamitosa sentiret, siue à Manasse & similibus apud Iudæos, siue in illa per trecentos & nonaginta

o Gen. 15. 13.
p Ier. 25. 11.
q Dan. 7. 25. & 8. 14.

naginta annos Israelis apostasia, ea nunquam inuenimus antecedentibus prophetarum vaticiniis ad certos temporum articulos reuocata. Et ego certè quum in Apocalypsin attentiùs intueor, paritèr existimo numerationes illas temporum non ad ciuiles & domesticas ecclesiæ perturbationes, sed ad hostiles extraneorum impetus, quibus nomen ipsum Christianum inuisum habetur, esse referendas. Quando ergo constat, quod iam antè disputauimus, Antichristum ecclesiæ cathedram occupaturum, nec externum hostem sed domesticum futurum, sub nomine Christiano Christi fidem exterminantem; non arbitror calamitates & clades quibus Ecclesiam affecturus est, Apocalypticas illas annorum & mensium computationes subire oportere. Itaque quæ sunt à te citata, Bellarmine, ex *Apoc.11.& 12.& 13.* omnia existimo ad statum ecclesiæ primitiuæ, & horribiles illorum temporum mactationes & lanienas pertinere. Ac nequid hac in re temerè & absque ratione dixisse videar, eò me adducit historiæ series quæ cap.13. descripta est. Nam quum supputationes illæ omnes idem spatiũ temporis iustissimè conficiant; quin omnes rem vnam & eandem spectent dubitari non potest. Quare si alicubi constabit, præscriptam temporis mensuram necessariò ad primas illas persecutiones accommodari; haud dubium erit, opinor, quin reliquis quoque locis eandem intelligentiam & applicationem habere debeat. Atqui verò quod Apoc.13. legimus, [r] *data est ei potestas agendi quadraginta duos menses*, nemini obscurum esse potest qui ad rem vel mediocritèr attentus est, quin de primis sub imperio Romano ecclesiæ temporibus intelligendum sit. [r] Apoc.13.5.

4 Itaque animaduertendum est duas ibi *bestias* designari, alteram [s] *de mari*, hoc est, de bellicorum tumultuum fluctibus: alteram [t] *de terra*, hoc est, de otio & quiete nonnisi astutia & calliditate prodeuntem. Quas ita legimus ibi comparatas, vt prioris fractæ iam & collapsæ, posterior imaginem instauratura sit. Cæterùm qui duas illas in vnam confundere tentauerit, imperitè fecerit, nec videri poterit satis attentè considerare rem vnam seipsa priorem simul & posteriorem, sibique originem simul & imaginem esse non posse. Iam verò certum est, prout antè ostendimus, priori bestia Romanum imperatorem Ethnicum & infidelem, posteriori Antichristũ demonstrari: qui quanquam imperium illud antiquum non obtineret, sibi tamen ima-

[s] Vers.1.
[t] Vers.11.

ginem quandam illius imperij fabricaturus esset. Quum verò de priori bestia dictum sit, *potestas ei data est agendi menses quadraginta duos*, manifestum est numerum illum temporis ad imperatorem Romanum pertinere, Antichristi verò tempus & durationem indicare non posse. Quare de reliquis quoque locis pari ratione iudicandum est, nec aliud quicquam contextus insinuat, si diligentèr illum expendere velimus. Certè quod cap 11. habetur: [u] *sanctam ciuitatem gentes calcabunt mensibus quadraginta duobus:* miror si de intestina ecclesiæ plaga, qualis ab Antichristo futura est, commodam intelligentiam habere possit: miror si aliò torqueri possit quàm ad persecutiones illas quæ verè à *gentibus*, veteris imperij edicto & authoritate aduersùs Ecclesiam suscitatæ commemorantur. Nec in eo quicquam impedimenti est, quòd post [x] *sextæ tubæ* sonitum historia illa describitur, quum manifestum sit ex fine capitis decimi, nouam ibi & distinctam prophetiam inchoari, quæ ad sextæ tubæ seriem & ordinem attexi non debet. Id verò clarius adhuc est in ijs quæ capite duodecimo tradita sunt, vbi primos parturientis ecclesiæ labores apertè describit, quibus conflictata est olim, dum id obnixè ageret vt Christus de virgine natus apud Iudæos, Euangelij promulgatione toti orbi nasceretur. Et ille quidem postquam Satanæ potentiam in sublimi fregisset, & omnem ei locum in cœlo sustulisset, sic illum excandefecit, & in vltimum insaniæ furorem adegit, vt pro tempore diuinitùs illi concesso nullos omninò impetus, nullam immanitatem prætermitteret, qua se proficere posse putaret ad Christi nomen iam cæptum in pretio haberi de terris abolendum. Quamobrem ecclesia temporibus illis miserrimè iactata, nullo mundi splendore conspicua, nullis externarum rerum præsidijs adiuta, tanquam in eremo versari visa est, vbi sunt omnia deserta, inculta, horrida, vt nihil dicam coactam illam tyrannorum importuna crudelitate discedere quodammodo de conspectu hominum, & angulos ac deserta loca sectari, &, metu exploratorum, in cryptis & cauernis nocturnos conuentus exercere. Iam verò ne desperatione langueret tandem & concideret, voluit illam Christus de istarum calamitatum fine aliquo, quanquam obscuriùs, præmoneri. Quod si quæratur quomodo tempora à Ioanne notata cum veteris Ecclesiæ historia conciliari possint, ego libentèr illis assentior, qui definito mensium & annorum numero, certum quidem tempus

u Apoc. 11. 2.

x Apoc. 9. 13.

à Deo præstitutum arbitrantur, non ipsis numerorum apicibus expressum, vt à priori dijudicari ab Ecclesia potuerit, sed diuino tantùm consilio & prouidentiæ numeratū & circumscriptum, à nobis autem nonnisi ex euentu & à posteriori cognoscendū. Illud autem voluit Deus stata mensium & dierum comprehensione notari, & diuersas adhiberi supputationes omnes ad idem recurrentes, partim vt agnoscerent fideles momenta ipsa & articulos temporum illorū, menses, & dies, & semisses dierum, Deo exploratissimos constitisse; partim vt in ærumnis illis & miserijs se confirmarent, tanquam nonnisi mensium & dierum intuitu, habentes semper in memoria illud Apostoli, [y] *Momentanea & leuis afflictio nostra excellenter excellentis gloriæ pondus operatur in nobis.* Inquisitionem verò omnem in illud arcanum diuinum, compescere debuit semper Christi sententia; [z] *Non est vestrum scire tempora & opportunitates quas Pater posuit in sua potestate*: tantùm illud tenendum fuit, finem malorum fuisse decretum, & tempus à Deo constitutum præteriri non potuisse, & eum qui olim post quadringentos annos Israelitas ex Ægypto tandem eduxit, Ecclesiam quoque, vbi commodum foret, (esto fortasse post aliquot annorum centurias) liberaturum, postquam vt illos Ægyptijs ignibus, ita hanc quoque nascentem adhuc ab ipsis quasi incunabulis sanguine dedicasset. Itaque tempus Deo certum, Ecclesiæ tamen incertum remansit, vt ad patientiam se fideles obfirmarent, & pro exitu malorum suorum à diuino nutu submissè penderent.

y 2. Cor. 4. 17.

z Act. 1. 7.

5 Quanquam prætereundum non puto quod celeberrimæ memoriæ *Ioannes Foxus* noster de hoc Apocalyptico mysterio scriptum reliquit. Neque enim temerè repudiandum censuerim, quod vir grauissimus & pijssimus sibi cælesti quodam afflatu inditum sanctissimè profitetur. [a] Cui dum primarum persecutionum historiam describeret, & lamentabili Ecclesiæ calamitate recolenda perinde animo commotus esset, acsi ipse in parte aliqua laboris & periculi fuisset, subijt animum cogitare quo consilio Deus Ecclesiam sibi tam dilectam, tyrannorum arbitrio committeret: cur eam sineret, quasi luporum & leonum dentibus, tam miserè lacerari & discerpi, & indignissimis iniuriarum omnium & cruciatuū violentijs expositam iacere: Maximè verò mirari, quòd tam diuturna mala illa esse pateretur, nec tamen quicquam præmoneret quamdiu miserabilis iste rerum

a Foxi martyrol. lib. 1. sub finem.

ſtatus permaneret. De Ægyptiaca & Babylonica captiuitate certum aliquid fuiſſe prædictum: mirum ſibi videri de iſtarum rerum exitu nihil proditum fuiſſe. Qua cogitatione dum anxius & perplexus animo hæſit, librum Apocalypſeos ſibi hac de re conſulendum putauit. Ibi beſtiam non dubitauit Romanum imperiũ deſignare, cui aduerſus ſanctos maxima poteſtas concedenda eſſet: quę verò tempora ibi notata ſunt, *quadraginta duos menſes; dies mille ducentos ſexaginta; tempus, tempora & dimidium temporis,* quũ nonniſi tres annos cum dimidio cõplerent, annis illis ferè trecentis quibus Eccleſia proſtrata iacuit, aptari non poſſe iudicauit. Hoc ille dum identidem verſat animo, & ſubinde cogitando vehementèr exæſtuat, ita factũ eſt vt die quodam dominico expergefactus manè, & de numeris illis cogitabundus, ſubitò ſibi tanquã intra ſe cum maieſtate quadã reſponſum ſentiret, *Quin, inepte, menſes iſtos per ſabbata numerato, prout hebdomadæ Danielis per ſabbata computantur. Teſtem,* inquit, *Deum appello, verè ita contigiſſe.* Iam verò menſium ratione hunc in modum ſubducta, vt menſis quiſque ſabbatum annorum, hoc eſt, ſeptem annos complectatur, conficiuntur anni ducenti nonaginta quatuor. Totidem verò numerantur anni à morte Ioannis Baptiſtæ ab Herode Romano pręſide occiſi, ad pacem Eccleſijs datam à Conſtantino. Licinius enim perſecutorum vltimus, anno Domini trecenteſimo viceſimo quarto occubuiſſe memoratur. Quòd ſi trecentis viginti quatuor demas triginta, quot annos Chriſtus natus inuenitur cùm à Ioanne baptizatus eſt, quo iam baptizato Ioannes mox in carcerem ab Herode contruſus, nec ita multò pòſt occiſus eſt, ſuperſunt anni 294. quibus imperij Romani gladio in Eccleſiam ſæuitum eſt. Porrò ad quadraginta duos menſes reliqua omnia reducuntur. Nam ſi *tempus, tempora, & dimidium temporis,* annum, biennium & ſeſquiannũ, hoc eſt, tres annos & dimidium interpretemur, manifeſtum eſt tribus annis & dimidio quadraginta duos menſes contineri. Quinetiam dies 1260. eoſdem quadraginta duos menſes iuſtiſſimè complent. Vbi verò leguntur *tres dies & dimidium* (diem autem ad Chriſti rationem intelligimus, [b] *Nonne ſunt duodecim horæ diei?*) ſi ſingulas dierum iſtorum horas pro ſingulis menſibus accipiamus, efficiuntur menſes 42. ſi pro annorum ſabbatis, prior numerus exurgit annorum ducentorum nonaginta quatuor, quibus corpora ſanctorum in plateis imperij

b Ioan. 11. 9.

rij Romani occisa narrantur & insepulta iacuisse.

6 Hîc ego dicti rationem ignoro, cuius quidem peruestigatio, fateor, animum meum vehementèr exercuit; neque tamen cogitando consequi valeo, quo exemplo aut argumento mensem pro annorum hebdomada, hoc est, pro septem annis interpretari possim. Sed quî tamen ausim respuere quod diuino quodam instinctu perceptum & proditum fuisse videtur, & ipsam rei veritatem, siquidem euentum spectemus, tanquam acu attingit? Et quî sciam, quum *mensis* apud Hebræos propter nouilunium ab innouatione omen habeat, septenarius autem dierum & annorum numerus apud eosdem rebus innouandis institutus sit; an hac ratione voluerit Christus *mensis* vocabulũ ad annorũ hebdomadam denotandã transferre? [c] Septimo die negotia omnia Hebræorũ propria & politica terminãtur.[d] Septimus annus manumittendis seruis deputatur, & [e] debitorum vinculis relaxandis, vt in pristinum omnes statum denuò recurrant. Septimus annus [f] agriculturam intermisit, vt terra in hoc quasi interlunio recollectis viribus tributo suo soluendo fæcundiùs instaret. Septies septimus annus [g] *Iubilæum* apportauit libertati restituendæ, redintegrandis hæreditatibus, & nouo quasi seculo reducendo seruientem. Quare cùm menstruum lunæ decursum sabbatorum istorum ratio propè referre videatur, videndum annon potuerit ad sabbatum annorum mensis vocabulum haud incommodè traduci. Hîc ego nihil affirmarim, quanquam affirmare meliùs ausim quàm multa quæ à Bellarmino tradita sunt: tantùm non putaui negligendum, quod vir ille planè diuinus cælesti se oraculo admonitum didicisse commemorat. Quod si cui non satisfacit, accipiat quod antè diximus mensibus & diebus Apocalypticis certum tempus insinuari, non exprimi: Ecclesiam ibi admonitam, quod ad spem & patientiam satis esset, statos Deo fuisse persecutionum illarum dies & horas, & certo numero comprehensos; non edoctam ex illis articulis de certo numero pronunciare, aut diem dicere quo exitum sibi calamnitatũ suarum adpromitteret. Et hoc illi quoque responsum ferant quibus persuaderi non potest locos illos Apocalypticos aliò quàm ad Antichristi tempora referri debere. Nam somnium illud de tribus annis & dimidio abundè iam explosum est; quod dum astruit Bellarminus, ridicula leuitate nec ipse secum consentit, & scripturas sententiæ suæ aduersas facit.

c Exod.20.10.
d Exod.21.2.
e Deut.15.1,2.
f Leuit.25.4.
g Leuit.25.8.9. Orig. in Genes. hom.3.

facit. Quare prætermissis patrum testimonijs, qui asserunt propter loca citata, vt ille ait, *solùm tres annos cum medio Antichristum regnaturum*, quod temerè illis & per inconsiderantiam excidisse nemo non annuerit qui superiora diligentèr expenderit, sequitur nunc vt rationes illas examinemus, quas porrò adiungit ad causam fractam quoquo modo subleuandam.

7 *Secundò*, inquit, *idem probatur ex eo quod scripturæ dicunt, tempus diaboli soluti & Antichristi fore breuissimum*. Tu verò, Bellarmine, malè confundis duo illa, tempus diaboli soluti, & tempus Antichristi. Nam quæ de diaboli ligatione & solutione leguntur, Apoc. 20. extra causam Antichristi sunt, & ad Barbarorum atque Ethnicorum furores in Ecclesiam & aduersus nomen ipsum Christianum insanientium maximè spectant. Neq; enim expositionem illam probare possumus, qua *Satanæ ligatio* à Ioanne commemorata à tempore Christi mortui fuisse defenditur. Etsi enim illum non dubitamus, quod ad electos attinet, per Christi mortem spiritualitèr ligatum, vt ad animarum perniciem nihil possit, Christo confirmante,[h] *portas inferorum aduersus Ecclesiam non præualituras*; non tamen illum mors Christi statim compescuit, quominus in corpora sanctorum inuaderet, & externam Ecclesiæ faciem sanguine fœdaret. Itaque simulatque Euangelium publicari cæptum est, grassatur mox immani furore, & Ethnicorum acies educit, profligaturus per eas ex orbe nomen Christianum, nec per trecentos ferè annos vllum insaniendi finem facit. Tandem verò restinxit Dominus incendium persecutionis, & effrænem Satanæ furorem compressit, & Christi nomen, hactenus orbi despectum & inuisum, in sublime attulit, & Ecclesiam in tenebris & eremo tamdiu abditam, in aperta luce florentissimam constituit.

h Mat. 16. 8.

8 Et hæc illa est Satanæ ligatio quam Ioannes futuram prædicit. Num enim tibi, Bellarmine, ligatus videtur Diabolus, cùm Ecclesiam vtrisque manibus & totis vnguibus concerpsit, & lupinis dentibus ouiculas Christi suo propè libitu iugulauit? Quid enim? Ligatio Satanæ, quæ potestatem eius impeditam & retentam significat, ab animabus sanctorum an à corporibus illam depulisse censenda est? Certè in animas sanctorum ne sub Antichristo quidem quicquam facturus est, quas semper incolumes scimus Christo custode seruari. Ergo ligatus intelligitur ne in corpora sæuiat, ne externa persecutione

Ecclesiam

Ecclesiam infestet. Non erat ergò ligatus quamdiu penes illum erat Ecclesia, fatigata scilicet assiduis cædibus,& calcata iacens pedibus illius. Tunc ligatus existimandus est, cùm incolume esse cæpit nomini Christiano, & exutum est Ecclesiæ iugum quod hactenus subierat durissimæ seruitutis. Id verò Constantino imperatore contigisse, nemo ignorat. Ex quo tempore ad mille circiter annos parum est, quod in Ecclesiam ab externis hostibus factum narratur: siquæ enim erant turbæ ciuiles & domesticæ, in hanc rationem venire non debent. Neque verò hùc annumerantur, siqua, vbi de imperio decertatum est, luctuosa Ecclesijs, vt in bellicis tumultibus fieri solet,& calamitosa contigerunt. Et certè maxima calamitas ab illis Barbarorum incursionibus, Gothorum, Vandalorum, Hunnorum &c. importata est, quos tamen constat interdum Romani nominis hostes magis fuisse quàm Christiani: interdum Arianismi peste correptos hæresi tantùm, non Ethnicismo studuisse. Quæ verò aduersùs ipsum Christi nomen, siue ab illis siue ab alijs tentata sunt, ea certum est vel quorundam locorum omninò fuisse propria, vel certè nunquam diuturna. Neque verò credimus simplicitèr illum ligatum esse debuisse, vt nihil vsquam aut vnquam per mille annos in Ecclesiam facturus esset. Nam Satanã spatia sua illis temporibus, tumultuantibus subinde Saracenis, habuisse non dubitamus, sed ligatum intelligimus prout alibi docemur [i] *ad flumen Euphratis*, vt illis finibus inclusus, & ibi constituendis rebus suis occupatus non vltrà sæuiret, quoûsque tempus à Deo decretum impleretur. Quæ verò aliàs in Ecclesiam à Paganis & ethnicis designata sunt, diuturna certè non erant, veluti repentino impetu prosiliente Satana, vt perruptis vinculis in pristinam sæuiendi licentiam posset excurrere. Sed illum diuina manus subinde retraxit, neque passus est catenas excutere, quibus ligatum & compeditum ad tempus vsque constitutum teneri oportuit. Quo expleto mille annorum spacio denuò solutus est, & se ad extirpationem accinxit nominis Christiani. Ex illo enim tempore ferreum illud regnum Turcarum constitutum est, ad ingentem magnitudinem, summo Ecclesiæ detrimento, mirabilitèr increuit.

i Apoc.9.14.

9 In illis autem completum est Ioannis vaticinium de Gog & Magog, quos ad finem mille annorum à diabolo seducendos ait, vt iunctis viribus castra sanctorum & dilectam ciui-

tatem vnanimitèr oppugnent. Quod tamen [k] Bellarminus aliò detorquet,& prophetiam illam totam de Antichristi nescio quo exercitu exponendam esse contendit. Quia verò videt millenos annos quibus Satanam ligari oportet, proposito suo aptari non posse (neque enim vel fingere potest vnde numerus ille annorum incipiendus sit, vt Antichristo suo venturo commodè quadret) idcirco mille annorũ nomine intelligi ait indefinitè, *totum tempus quod est ab aduentu Christi vsque ad Antichristum.* Id verò quàm ineptè dicatur, iam ostensum est, nec vllo modo Satanam ligatum intelligi potuisse, quamdiu laxatis illi diuinitus habenis, omnem illam per trecentos propemodum annos immanitatem in sanctos exercere datum est. Quare ab illo tempore numeratio mille annorum inchoanda est, quo finis turbis illis & persecutionibus imponi cæpit. Quam si continuatam deduxeris ad constitutum ab Ottomanno imperium Turcarum, & egressum illius ad Christianas prouincias regno suo subiugandas, circiter mille annos completos repereris,& prophetiam intellexeris huic instituto optimè conuenientem.

10 Nomina quoque conueniunt. Vbi Bellarmino haud difficultèr annuerim *Gog* intelligi caput gentis illius quæ appellatur *Magog*. Quanquam non desunt qui *Gog Asiam minorem* intelligunt obambulatam olim ab Apostolis, & multarum Ecclesiarum splendore clarissimam, nunc ab impura Turcarum gente penitus occupatam. Neque hoc alienum fuerit à nostro proposito, cùm indè constet Saracenos initium habuisse, ex Arabia nimirum oriundos, qui in vnam postea gentem cum Turcis coaluerant,& simul cum illis grauissimam Christianis partibus calamitatem intulerunt. [l] *Magog* autem Scytharum appellatio est, à [m] *Magog* filio Iapheti, à quo gentis illius origo fuisse creditur. Inde videtur Hierapolis è Cœlosyria, condita à Scythis, ab illo Scytharum parente [n] *Magog*, teste Plinio, nuncupata. Theodoretus vtrunque nomen ad idem existimat pertinere, & *Gog* ac *Magog* [o] *Scythicas gentes* interpretatur. Turcas autem constat è Scythis extitisse. Quare Bellarminus non negans *Magog* Scythicæ gentis appellationem esse, *probabile esse ait exercitum Antichristi vocari Magog quòd magna eius pars constabit ex barbaris à Sythia oriundis, vt Turcis, Tartaris & cæteris.* Vbi, vt omittam quod de exercitu Antichristi fabulatur, illud arripimus, vocabulum Magog ad Turcarum gentem è Scythis ortam verissimè referri.

k Cap. 15.

l Ioseph. Antiq. Iud. lib. 1. cap. 7. & Hieron. in traduit. Hebra. sup. Genes.

m Gen. 10. 2.

n Plin. hist. nat. lib. 5. cap. 23.

o Theodoret. in Ezech. 38. sect. 5.

referri. Et est quidem dictu miserabile, quantas Turcæ isti cum Saracenis commixti Ecclesiarũ strages ediderunt; quàm maximo rei Christianæ dispendio pomæria sua dilatarunt, & regnum illud execrabile per Asiam minorem ferè totam, magnam quoque Europæ & Africæ partem constituerunt. Quare quum in illis videmus tempus & materiam prophetiæ verissimè completam esse; parum sobrij fuerimus, siquem alium harum rerum euentum expectare voluerimus. Quò illud quoque accedit, nemini sat sano probabile videri posse, tantum regnum, Christo tam inimicum & aduersum, Ecclesiæ tam noxium, silentio prorsus in scripturis præteriri potuisse. Atqui verò præter hanc prophetiam de Gog & Magog non est vsquam altera, quæ Turcicos in Ecclesiam motus, & agrorum Christianorum depopulationes aperte describit. Memoratur quidem solutio angelorum vinctorum ad flumen Euphratis, & præparatio viæ regnum Orientis, sed nominatim in Ecclesiam & *dilectam ciuitatem* aliquid tentaturos nusquam exprimitur. Itaque tempus diaboli soluti & prælij Gog & Magog cùm certissimã de firmato Turcarum regno expositionem habeat, nullo modo confundi debet cum tempore Antichristi.

11 Ego certè meliùs statuendum iudicarim quod res est, tempus ligati diaboli tempus fuisse nascentis & crescentis Antichristi. Postquam enim ab externis hostibus pax & quies Ecclesiæ concessa est, & luxuriari illa tandem atque insolescere otio & prosperitate cœpisset; morbosa paulatim facta est, & fide simul ac moribus magis magisque à pristina sanctitate degenerauit. Quemadmodum enim corpus humanum dum otio seruit & ventri, & omnia sibi ad voluptatem indulget, tabem intus concipit, & pestem quæ certissimam tandem calamitatem & perniciem affert: ita Ecclesia dulcedine prosperitatis illecta & effascinata, postquam seculo incubuit, & oblita se cœlo natam, rerum terrenarum studijs immersa relanguit, rubiginem contraxit & labem, & quæ nocte persecutionis virtutum stellis clarissima refulsit secundarum rerum sole calescens, nescio quo modo, computruit; & quantum opibus creuit, tantum zelo pietatis & charitate refriguit, vt subsidia religionis conuertit in occasionem licentiæ & vanitatis. Memorabile est quod legimus siue vera historia narratum, siue ab euentu confictum, quo tempore primùm Ecclesia dotata prædijs est & opibus ditata, vocem de

cœlo auditam esse, *Hodie venenum infunditur in Ecclesiam.* Id quod vsu comprobatum vehementer Bernardus conquestus est, & longa oratione describit interdũ quod Gregorius alicubi breuissimè complectitur; p *Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem.* q *Serpit hodiè*, inquit, *putida tabes per totum corpus Ecclesiæ, & quò latiùs, eò desperatiùs, eòque periculosiùs, quò interiùs. Omnes amici & omnes inimici; omnes necessarij & omnes aduersarij; omnes domestici & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidiè vides meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frænis, in sellis & calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgent, &c. Pro huiusmodi volunt esse & sunt Ecclesiarum præpositi, decani, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedunt, sed negotio illi quod perambulat in tenebris. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit; Ecce in pace amaritudo mea amarissima, &c. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo eius amarissima, &c. superest vt iam de medio fiat dæmonium meridianum ad seducendos siqui adhuc in Christo residui sunt permanentes in simplicitate sua, &c. Ipse est Antichristus qui se non solùm diem, sed & meridiem mentietur.* Non videt ille Antichristum, caligine quadam impeditus, & Antichristi rationem non ad scripturas, sed ad receptas superiorum temporum fabulas appendens: sed vidit tamen Ecclesiam Antichristo suscipiendo & sustentando conuenientissimè comparatam.

p Gregor. Mag.
q Bernard. in Cant. ser. 33.

12 Atqui verò conscenderat iam cathedram Antichristus, & tanquam vlcus grauissimum ex redundantia luxuriantis corporis erumpens, saniosa quadam lue perfundens Ecclesiam, nauseam spectanti Christo commouerat, & bilem accenderat tantam Ecclesiæ deformationem intuenti. Enimuerò Romanus episcopus postquam ad tempus in otio consedisset, ex conscientia fortasse Romani nominis ingentes spiritus paulatim assumens, grande aliquid parturit animo, & principatum sibi quendam in Ecclesiam, primæ sedis prærogatiua fretus, constituere meditatur. Ad hoc ergò prætextus omnes & omnes temporum commoditates auidè arripiens, dum ambitioni suæ & infinitæ dominandi libidini satisfacit, id tandem per vim & dolum assecutus est vt à se vno omnia penderent, nec Ecclesiarum tantummodo

modo pastores, sed etiam imperatores & principes sibi haberet obsequentes. Postquam verò immensam hanc potestatem obtinuisset,& omnia iam pro suo vnius arbitrio tractaret; dici non potest quantum Ecclesiæ malum inuexerit,& tanquam vredine quadam miserè decorticatam, & præsidijs omnibus pietatis & vitæ spiritualis orbatam, ignitis Satanæ iaculis,& tempestatum omnium iniurijs nudam exposuerit. Ministerium Ecclesiæ,quo salus eius maximè cõtinetur,prorsus euertit;ignorantię tenebris orbẽ terrarũ inuoluit;traditionum suarũ iugum subire compellit;superstitionum laqueis innectit; veterem Ecclesiæ ritum expugnat;idololatriæ plusquam Ethnicæ consuetudinem inducit; omnes & omnia cogit auaritię suæ seruire;& qui vel hiscit in aduersum, hunc diris & anathemate deuinctũ videri vult ad inferna deturbare. Hic ille est, *Bellarmine*, quem quærimus, Antichristus, qui à ligatione diaboli exterorum hostium immunis opportunitatẽ captauit, vt ad illam qua esse debuit magnitudinem perueniret. Quare quæ tam diuisam habent sententiam, malè tu in vnum cõiungis, & ineptè facis qui idem esse ais tempus diaboli soluti,& tempus aduentus Antichristi.

13 Iam vt tempus Antichristi breuissimum fore confirmes, locum adducis ex Apoc. 12: *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnã, sciens quòd modicum tempus habet.* Quẽ locũ suprà ostendimus cum Antichristo nihil habere coniunctum, & ad tempora primarum persecutionum esse referendum. Neq; obstat quòd per trecentos annos persecutiones illæ durarunt,qui *modici temporis appellationẽ* excedere videri possunt, quum non sint hîc temporum spatia humano sensu metienda, sed ex illius voluntate nuncupanda, cui [r] *vnus dies perinde est vt mille anni, & mille anni vt vnus dies.* Quid? cui [s] *hora* est totum tempus quod inter primum & secundum Christi aduentum intercedit:qui de cœlo denuntiat ante mille quingẽtos annos, [t] *Ecce venio citò*, & [u] *indicasse se* ait *seruis suis quæ oporteat fieri citò*, qui necdũ tamen aduenit, nec quæ prædixit,adhuc omnia compleuit, an aliud illi quàm *modicum* siue exiguum tempus est, quod paucis annorũ centurijs terminatur? Quare vt ad Antichristum accõmodes, nihil erit incommodi,neq; quicquã impedit quominus potuerit totum illius regnũ *modici temporis* periodo definiri. Porro de mille ducẽtis & sexaginta diebus sententiã nostram exposuimus suprà,neq; quicquam hîc amplius addi opus est,

r 2.Pet.3.8.
s 1.Ioan.2.18.
t Apoc.22.12.
u Cap.1.5.1.

 14 Secundus

14 Secundus autem locus ex Apoc. 20. *Ligauit eum per mille annos, & posthac oportet eum solui modico tempore*, quod ad modici temporis circumscriptionem attinet, eandem omninò responsionem habet. Solutionem Satanę in regno Turcarum docuimus esse completam. Eum soluendum docet *modico tempore*, vt brutæ gentis rabido furori modum à Deo constitutum iri sciamus. Quod iam aliquatenus factum speramus, quia illam videmus fræno diuinæ potentiæ retentam, ne in agros christianos vlteriùs inuadat. Quæ si posterioribus hisce annis pari quo antè successu pugnasset, parum admodũ Christiano nomini iampridem reliquũ fecisset. Cęterùm qui ab anno millesimo, trecẽtesimo aut non multò pòst Satanę solutionẽ interpretamur, prope trecentos iam annos ab illa solutione numeramus, quod tempus regni Turcarum fuisse dicimus. Nam quod Bellarminus in aduersum opponit, *regnũ Saracenorum durasse hactenus annos ferè mille, quod modicum tempus dici nequaquam posse* ait: in eo ineptit & ludit. Etsi namque regnum Saracenorum per mille annos durasse fateamur, non tamen sequitur à mille annis Satanam in illis solutum extitisse. Erat enim tempus, vt antè diximus, quo in illo qualicunque regno [x] *ligati ad flumen Euphratu* permanere debebant, *parati ibi ad horam, ad diem, ad mensem, ad annum*, quandocunque Domino visum foret, *ad tertiam partem hominum occidendam. Reges* esse debebant *Orientis*, sed nondum per illos solutus est Satanas, donec [y] *arefacto Euphrate via regum Orientis præparata esset*, vt effusæ in prouincias Christianas copiæ illorum diras illas clades & miserabilem vastitatem importarent. Antea verò vix certam regni speciem habuisse videntur. Nam Saracenorum res etsi erant magnæ, distractæ tamen erant & diuisæ, nec ferè statum aliquid habuisse videntur, siue mutuis latrocinijs & oppugnationibus attriti, siue ab alienis subinde interrupti. Postea verò Turcis eorum omnis potentia cessit, qui tamen per aliquot secula regnum firmare non poterant, interdum suis discordijs, interdum à Tartaris & Mammaluchis, interdum quoque à nostris impediti. Tandem rem ad quatuor eorum familias delatam vnus Ottomannus, reliquis oppressis, integram ad se rapit, & regnum quod erat hactenus in *fieri*, vt loquuntur scholæ, perducit in *factum esse*, ex quo horrenda consequitur Ecclesiæ dissipatio, quæ de Gog & Magog futura denunciata est. A quibus siue regnum molientibus, siue inter

x Apoc. 9. 14.

y Cap. 16. 12.

ter se de regno certantibus, etsi priùs Ecclesia non mediocre vulnus acceperat, quæ tamen accepit incommoda nonnisi præludia quædam erant & vmbræ malorum illorum, quibus pedes manusque solutus iam Satanas & potestate cælitùs armatus, ab Ottomanni regno Christianam remp. grauissimè læsit, & è latissimis spatijs, nobilissimisque ac cultissimis terræ partibus depulsam, in angustias quasdam & angulos Europæ contrusit.

15 Proxima ratio nihil habet in quo morari opus sit: *Nisi Antichristi persecutio*, inquis, *esset breuissima, multi perirent qui non sunt perituri.* Neque enim quia breuis futura est Antichristi persecutio, ideo ad tres annos & dimidium redigenda est, quia breuitatẽ temporis docuimus non ex opinione nostra, sed ex scripturæ sensu dijudicari oportere. Locus autem quem adducis ex Mathæo, [z] *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro*, perperam à te ad Antichristi causam accommodatur, quem [a] Chrysostomi, [b] Augustini, Theophylacti testimonio certum est ad singulares excidij Hierosolymitani calamitates pertinere. Vbi verò addis: *Quomodo erit breuissima persecutio, quæ supra mille annos durabit?* respondeo, nos mille annos persecutioni Antichristianæ non determinare. Quanquam enim ab annis ferè mille Antichristi primum in Ecclesiæ cathedram ascensum æstimamus; non tamen arbitramur mox illum in persecutionis acerbitatem erumpere, sed priùs reliquam seculi potestatem sceptro suo adiungere voluisse, vt vtroque gladio armatus & in omnes omnipotens, cœlo & solo priuare posse videretur omnes dictatis suis & legibus non obtemperantes.

z Matt.24.22.

a Chrysost. & Theophyl. in Mat.24.

b August. epist. 80.

16 Quod pro quarto argumento ponis, *Christus prædicauit solùm tribus annis cum medio*, ita lõgè abest vt conclusionem tuam inferat, *ergo decet etiam vt Antichristus non permittatur diutiùs regnare*, vt destruat prorsus & incredibilem demonstret. Nam ego ita disputarim; Christus per tres annos aut paulò ampliùs septuaginta discipulorum opera adiutus, verissimis & certissimis miraculis diuinitatem ostendens, innocentia vitæ probatissimus, potestate dicendi & docendi authoritate admirabilis, continuis laborum sudoribus & vigilijs exhaustus, quàm parum tamen in vna, & ea quidem haud magna, gente profecit? An tibi omnia videntur Antichristo tam expedita, vt Hierosolymis sedem habens tribus annis & dimidio, susque deque vertat orbem terrarum; nationes omnes bello sibi subijciat; Christia-

næ disciplinæ vsum omnem publicum euertat; nouam vniuerso mundo religionem inducat; pontifices, patriarchas, episcopos, pastores Ecclesiarum omnium per omnes gentes vel Christum tacere cogat vel mori; reges omnes & principes, & populos, summos, infimos, tanquam lethæa quadam obliuione correptos ita repentè percellat, vt conscientiam priorem exuant, & impostori scelerato nonnisi monstra & portenta loquenti aures præbeant? Veniat ille licèt mille dæmonibus instructus; incredibilia ista sunt, inepta, insulsa, nec aliquid habent quod fidem considerati hominis permouere possit. Sed nolo cramben istam recoquere, cùm satis superque vanitas huius argumenti superiùs indicata fuerit: tantùm illud si perconter Bellarminum, vnde illi constet Christum tribus annis & dimidio prædicasse, vix opinor habet quod respondeat, vt hoc ipso constet eum non tam disputare quàm nugas præsumptionum suarum, & temerè de suo cerebro conceptas opiniones consectari. Quintum & sextum argumentũ prætereo, quia tempora apud Danielem & Ioannem notata, quam explicationem habere debeant, suprà dictum est: dies autem mille ducentos & sexaginta de totidem annis exponendos esse, nostra defensio non habet; qui sic exponúnt, sequuntur aliquid quod etsi locum illum fortasse non attingat, cum Antichristi tamen negotio optimè constet.

17 Ventilata verò iam argumenti tui propositione maiore, sequitur vt minorem examinemus: vbi quod assumis quoque falsissimum est, *Papam spiritualitèr regnasse iam in Ecclesia mille quingentis annis.* Primi enim omnium Episcopi Romani finibus suis contenti, nihil se iuris in alienas Ecclesias habuisse senserunt, quod non alijs quoque in ipsos, siquidem vsus foret, commune esse iudicarunt. Quemadmodum apud Apostolos res habuit; [c] *Hoc erant reliqui Apostoli quod erat Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, vt ex* [d] *æquo super omnes Ecclesia fortitudo solidata esset*; ita quoque par Episcoporum omnium conditio fuit, & [e] *siue Romæ quis erat Episcopus, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti esse putabatur, eiusdem sacerdotij*. Neque enim ad vnum omnia referri debuisse senserunt: sed ideo [f] *copiosum esse corpus sacerdotũ,* quorum [g] *episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidũ pars tenetur, vt siquis ex hoc collegio* (licèt Romanus Episcopus) *hæresin facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentauerit, subueniant cæteri,* &

c Cyprian. de simpl. prælat.
d Hieron. aduersus Iouinian. li. 1.
e Idem epist. ad Euagr.
f Cypr. lib. 3. epist. 13.
g Idem de simplic. prælatorum.

& quasi pastores vtiles & misericordes oues Dominicas in gregem colligant. Quòd si ab vno Ecclesiæ summa penderet, verendum statuerunt, ne in illius lapsu fides totius Ecclesiæ periclitaretur, & radix amara suppullulans ramis & palmitibus succum & virus perfidiæ suæ propagaret. Quare vt episcopus Romanus in Ecclesia regnum habeat, non est Ecclesiæ institutio antiqua, sed vsurpatio noua Pontificis, qui per hypocrisin ambiuit, & per tyrannidem & scelus arripuit quod nemo vnquam veterum ad se pertinere cogitauit. Neque enim regnauit in ecclesia Romanus episcopus ante Nicenam synodum, cùm [h] *ad Romanam ecclesiam paruus respectus habebatur*, & Cyprianus à Stephano interpellatus responsum reddit: [i] *Habet in Ecclesia administratione voluntatis suæ arbitrium liberum vnusquisque præpositus, rationem actus sui domino redditurus.* Neque in Nicena synodo regnauit vbi præfuit non episcopus Romanus, sed [k] *Osius episcopus Cordubensis* ([l] *cuius concilij tempore suo non princeps?*) & primus ante legatos episcopi Romani concilio subscripsit: vbi [m] par etiam potestas reliquis patriarchis atque episcopo Romano attributa est. Neque postea in ecclesia regnauit, cùm [n] *ecclesiæ negotia ex imperatorum nutu pendebant, & maxima concilia de eorundem sententia conuocata sunt.* Neque regnauit in ecclesia Leo episcopus Romanus, vbi ad Theodosium Augustum scripsit; [o] *Pietas vestra supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam episcopale concilium haberi iubeatis*, & hac in causa [p] cleri & plebis Constantinopolitanæ vrbis intercessione ad imperatorem vsus est. Neque regnauit tempore concilij Carthaginensis, vbi [q] *transmarinæ appellationes* ad Romanum Pontificem interdictæ sunt, & ille falsi reus deprehensus, quòd *Acta Niceni concilij* ad hanc appellationum prærogatiuam sibi vendicandam adulterasset, admonetur à patribus [r] *ne clericos suos executores ad illos mittat, ne fumosum seculi typhum in Ecclesiam Christi inducere videatur.* Neque in sexta synodo regnauit, quæ [s] *secundùm imperialem sanctionem*, non Pontificiam, congregata est: in qua *præsedit* non Romanus episcopus, sed [t] *pijssimus & Christo dilectus magnus imperator Constantinus:* in qua Agatho Romanus episcopus mittens ad synodum legatos, se scribit [u] *præceptis imperatoris efficaciter, promptam obsequentiam exhibere*, & *nisi longus*, inquit, *prouinciarum ambitus tanti temporis protelationem ingereret, olim hoc studiosa obedientia famulatus noster impleret:* & *secundùm pijssimam iussionem*

h Æneas Sylu. epist. 301.
i Cyprian. lib. 2. epist. 1.
k Concil. Nicen. in subscript.
l Theodoret. hist. lib. 2. cap. 15.
m Concil. Nicen. can. 6.
n Socrat hist. lib. 3. in procem.
o Leo epist 9. ad Theodos. August.
p Epist. 32.
q Concil Carthag. septim. cap. 92.
r Ibid. cap. 105.
s Constant. synod. 6. act. 1. 4 5. 6 &c.
t Ibid. act. 1. 2. 3 4. &c.
u Act 4 epist. Agathon ad Constantinum imperat.

iußionem mansuetudinis vestræ pro obedientia quam debuimus præsentes consamulos nostros curauimus demandare: & hoc imperialis vestra benignitas clementèr iubens hortata est, & nostra pusillitas quod iussum est obsequentèr impleuit. Hæc erat antiquitùs Episcoporum Romanorum humilitas & Imperatorum obseruatio, qua se in Ecclesiasticis quoque negotijs eorum iussioni & imperio subiectos agnouerunt. Regnantis verò iam Pontificis quàm dispar stylus? quantos fastus, quantam spirat Antichristianæ superbiæ vanitatem? [x] *Ad firmamentum*, inquit, *cæli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas & Regalis potestas: sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, maior est: quæ verò carnalibus, minor: vt quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia esse cognoscatur.* [y] *Quis dubitet Sacerdotes Christi regum & principum patres & magistros censeri? nonne miserabilis insania esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare?* [z] *Aurum non tam pretiosius est plumbo, quàm regia potestate est altior ordo sacerdotalis.* Itaque [a] *Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre.* [b] *Superioritatem ad imperium non est dubium nos habere, &c.* Hîc est, *Bellarmine*, regnum Pontificis in quo se Imperatore superiorem profitetur: ineptè tu verò Episcopum Romanum in Ecclesia regnasse somnias, quamdiu illum vides in Ecclesiasticis rebus Imperatoris arbitrio subiacuisse. Quanquam in illa subiectione fundamenta regni posuisse videtur, & arripuisse omnia quibus ad principatum Ecclesiæ viam sibi muniri potuisse iudicauit, Postquam enim oculi omnium in Romanam Ecclesiam propter eminentiam loci coniecti esse cœpissent, & imperij nomine primas illi partes in repub. Christiana concederent; & porrò illam doctorum virorum copia propter exculta ibi studia maximè florentem in maximarum rerum controuersijs consulendam putarent, eamq; ob causam Episcopos & Doctores Ecclesijs suis inde rogarent; ambitiose Rom. Episcopus occupat honores istos, & quiddam sibi præ cæteris excelsum deberi blando quodam errore præsumit, & [c] *consuetudinariā prioritatem, aliarum Ecclesiarum cōsensu spontaneo permissam*, quasi Christi lege constitutā insinuat, & progressum sibi facilē sentiens, in authoritatē conuertit præcipiēdi & leges ferendi, cedente aliquantulū huic arrogantiæ Ecclesia, & malum sibi aliquid inde futurum minimè suspicante.

x Decret. Greg. de maior. & obed. ca. solitæ.

y Dist. 95. Quis dubitet.

z Ibid. Duo sunt.

a Dist. 96. si imperator.
b Clement de appellat. ca. pastoralis.

c Marsil. Patauin. defens. pacis parte 2. cap. 18.

18 Hanc Ecclesiæ suæ prerogatiuam, etiam dum adhuc sanctiora erant omnia, excolendam sibi putarunt Episcopi Romani, viri adhuc plerunque minimè mali, siue ingenita omnibus philautia qua nobis locisq; adeò nostris plus æquo benè volumus, siue vitiosa quadam πολυπραγμοσύνη qua præposterè adlibuit illis in causas se omnes ingerere, & quasi sat illis domi non esset quod curarent, aliarum Ecclesiarum negotia vltrò ambire. Ex hoc fonte manarunt omnia, quibus illos *Bellarminus* probare vult vniuersalem quandam iurisdictionem exercuisse, in quibus vbi repugnatum est de iure agi non potuisse, manifestum est ex eo quod iam ex Concilio Carthaginensi prolatum est. Quod Ecclesiæ Romanæ summitati tam aduersum Bonifacius secundus intellexit, vt patres illius concilij (in quibus erat *Augustinus*) dixerit, [d] *instigante diabolo contra Ecclesiam Romanam superbire cæpisse.* Hic ille est qui verecunda hactenus Ecclesiæ patientia insolentèr abutens, & de consuetudine legem fabricans, regnum Pontificium primus erexit, & sceptro suo vniuersam deinceps Ecclesiam Christi subiugauit. Atque hîc Antichristus natus est; ille qui vniuersali regno fretus facturus esset, [e] *omnes gentes de vino bibere fornicationum suarum.* Sed tamen nondum oppresso imperatore, nondum absolutè regnauit, obnoxius adhuc imperio illius: illo demùm calcato, plenam regni maiestatem & eminentem illam Antichristi potestatem occupauit, & exinde tenuit, & falsum est quod *Bellarminus* affirmat, Antichistum tribus tantùm annis & dimidio regnare debere.

d Bonifac.2. in epist. ad Eulal. Concil. tomo. 2.

e Apoc. 18. 3.

CAP. 9.

Refutatur sexta Bellarmini demonstratio de breuitate temporis inter Antichristi occasum & secundum Christi aduentum.

AD vltimam *Bellarmini* demonstrationem tandem peruenimus, quæ eadem omninò incude fabricata est. *Antichristi*, inquit, *aduentus erit paulò ante finem mundi: ergo si Antichristus iamdudum venisset, vt aduersarij dicunt, deberet mundus iamdudum esse finitus.* Quid sibi velit *paulò ante finem mundi*, pòst interpretatur, quod suo loco videbimus: interim respondeo, nullum esse scripturæ locum ex quo suspicio aliqua probabilis eluceat, ad-

uentum Antichristi paulò ante finem mundi futurum esse Illud rectissimè dici potest, Antichristum postquam tempus suum expleuerit, propinquante iam Christi aduentu, detectum iri: fraudes eius & imposturas ex verbo Dei patefaciendas, & potestatem eius magis magisq; imminuendam fore, donec adueniens Christus illum prorsùs de superbiæ throno deijciat, & cum dracone præcipitem agat in ignem æternum. Atque hoc iampridem, *Bellarmine*, cæptum est fieri, & oblatrantibus vobis rictu canino, & ferro atque igne frustrà sæuientibus, prosperè succedit. Neque enim ampliùs ita cæcus est orbis, vt Pontificis tui præstigias non optimè intelligat, & lucente iam in scripturis sole iustitiæ, planè agnoscunt quicunque lucem illam hauserunt, hunc illum esse Antichristũ quem luculenta descriptione scriptura nobis cauendum præmonstrat. Babylonem videmus ex parte cecidisse, & execrabile iam factum esse Romanum illud prostibulum, cuius stupris & inquinamentis passim Ecclesia Christi fædissimè contaminata est. Quare non dubitamus quin aduentum suum Christus acceleraturus sit, & breui sceleratum illum in æternum profligaturus. Neque tamen illud *breui* paucis diebus aut annis definimus, qui temporum longè alium censum in scripturis agnoscimus, vt antè dictum est, & breue tempus nonnunquam dici, quod tamen nonnisi vno aut altero, aut tertio fortassè seculo terminatur.

2 Sed quî tu probas Antichristi paulò ante finem mundi aduentum esse debere? *Daniel*, inquis, *capite septimo bis loquens de Antichristo, semel narrans visionem, & semel exponens visionem, vtraque vice subiungit post Antichristum statim secuturum vltimum iudicium.* [a] *Considerabam*, inquit, *cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est, & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie illius. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.* Et *infrà explicans visionem:* [b] *Bestia quarta quartum regnum erit in terra. Porrò cornua decem, decem reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus & tres reges humiliabit, &c. Et tradentur in manu eius per tempus, & tempora, & dimidium temporis, & iudicium sedebit, &c.* At quid hîc, *Bellarmine*, ad rem tuam? quid ad tempus aduentus Antichristi? quid hic est quod impediat quominùs illum credamus, postquam aduenerit, per multa secula permansurum? *Aspiciebam*, inquit, *donec throni positi sunt:* atqui mox atque cornu illud ortum est thronos esse positos non

a Dan. 7. 8.
b Vers. 2. 3.

non dicit. Et posteriori loco, *Tradentur in manu eius, &c. & iudicium sedebit*; sed quanto pòst tempore consessus iudicij futurus sit non indicat: tantùm illud fortassè probabilitèr colligi potest, inter Antichristi regnum & iudicij consessum haud aliud regnum sanctis infestum interuenturum esse. Et nos certè non dubitamus ita futurum, vt postquam omnia pro tempore à Deo constituto, vt antè expositum est, tradita fuerint in manus Antichristi, comminuat illum Dominus & destruat, quousque illum aduentu suo prorsus aboleat. Ex quo verò illum destruere cæperit, quousque id facturus sit, quousque aduentum suum pro eodem penitus abolendo prorogaturus, dicimus è sacris Scripturis affirmari non posse.

3 Quanquam sententiam hanc quam tu truncatam affers, inprimis velim vt integram expendas. [c] *Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia & conteratur, & dispereat vsque in finem.* Quid hoc tandem sibi vult, *vsque in finem?* Nam si iudicij consessus efficiet vt regni de quo Propheta loquitur potentia dispereat vsque *in finem*, certè consessus iudicij de fine ipso, prout tu vis, intelligi non potest. Quod clarius adhuc erit, si quæ priùs de eadem re in ipsa visione dicta sunt, attentiùs aduertas. [d] *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium quos cornu illud loquebatur, & vidi quoniam interfecta esset bestia, & perisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni: aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis vsque ad tempus & tempus.* Tu enim qui cornu illud Antichristum esse dicis, explica quæso nobis quî futurum sit, vt post vltimum iudicium, quod ibi intellectum vis, alijs illis bestijs quibus potestas ablata est, tempora vitæ constituta sint vsque ad tempus & tempus? Quia verò id non potes, aliam cogeris illius loci sententiam requirere, quam luculentiùs explicant, qui totum siue de Antiocho, siue de Antichristo intellectum, non de vltimo & finali omnium iudicio, sed de temporali iudicio interpretantur, quo vtriusque potentiam fracturus esset Dominus, vt ne quidem in finem vsque restituenda esset. Neque certè quicquam impedit quominus solennem quem Propheta describit iudicij processum, ad veterem Iudæorum historiam referamus. Neque enim mirum est, quòd post indignissimam contumeliam ab homine scelerato sibi & suis factam, deum Propheta quasi ad grauissimã actionem & maximi momenti sedentem introducit ad cognoscendam

c Ver.26.

d Vers.11.

dam causam suam & populi sui, & tantam iniuriæ atrocitatem
e Ver. 13. vlciscendam. Porrò in ijs quæ sequuntur priore loco, e *Aspi-
ciebam & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis venit, &c.* Ni-
hil est quod non perspicuam de primo Christi aduentu & in cœ-
lum ascensu, vehente nube, intelligentiam habere possit; quo
nempe regnum illud capessiuit de quo angelus Mariam affatur:
*Dabit ei Dominus sedem patris sui Dauidis, & regnabit in domo Iacob
in æternum, & regni eius non erit finis.*

f Apoc. 20. 3, 4. 4 Locus Apocalypticus, f *Posthæc oportet illum solui modico
tempore: Et vidi sedes & sederunt super illas, & iudicium datum est
eis, &c.* præterquam quòd ad Antichristũ non pertinet, nihil ha-
bet aduersùm nos. Iam enim ostensum est, *modicum tempus* scrip-
turæ phrasi aliud quiddam esse, quàm tu intelligis; & nonnisi
ineptè, absque vlla probabili ratione, ad Antichristi tres annos
& dimidium accommodari. Alter locus ex Daniele ita te nihil
iuuat, vt iugulet prorsùs. *Daniel,* inquis, *postquam dixerat cap.
12. Antichristi regnum duraturum diebus mille ducentis & nonagin-
ta, subiungit, Beatus qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille, tre-
centos & triginta quinque, hoc est, vsque ad quadraginta quinque
dies post mortem Antichristi: tunc enim Dominus veniet ad iudici-
um, &c.* An verò, *Bellarmine,* nullum ineptiendi finem facis?
Qui regnum Antichristi paulò antè diebus mille ducentis &
sexaginta, siue tribus annis & dimidio præcisè determinas, an
tu nunc Danielem affers mille ducentos & nonaginta dies Anti-
christo tribuentem? Si regnum Antichristi duraturum sit mille
ducentos & nonaginta dies, falsùm est quod antè definis, in
quo vestra omnium defensio est posita, regnum Antichristi non-
nisi mille ducentos & sexaginta dies permansurum. Sed planè
demonstras, demonstrationibus tuis nonnisi futilem leuitatem
& cerebri vehementer læsi vertiginem contineri. Attende verò
Iesuita. Si Antichristus tuus nonnisi mille ducentos & sexagin-
ta dies regnare debeat, locus hic Danielis de mille ducentis &
nonaginta diebus, Antichristo tuo seruire non poterit. Quare
nec locus quem adiungis, *Beatus qui expectat & peruenit vsque ad
dies mille, trecentos triginta quinque,* quadraginta quinque dies
post mortem Antichristi ad Christi aduentum futuros ostendit,
quia post dies mille ducentos & sexaginta, septuaginta quinque
dies ad numerum illum trecentorum & trigintaquinque dierum
conficiendum numerari oporteret. Ita frustra à te hæc omnia
disputata

disputata sunt, neque omninò quicquam habes in sacris literis vbi pedem tuum tutò ponas.

5 Cæterùm quæ malùm dementia, vt audeat homo sacrilegus, quod angeli non audent, non possunt: diem vt velit aduentus Christi certissimum definire, & falsissimum futurum asserere sub Antichristo quod Christus præmonuit: g *De die illa & hora nemo scit, ne Angeli quidem, &c.* cùm cuiuis expeditum esse poterit, si vera sunt quæ ab illo narrantur, ab Antichristi aduentu tres annos & dimidium: ab occasu ad Christi reditum dies quadraginta quinque numerare. Quid verò illud Christi est, & quò pertinet, h *Ecce venio sicut fur: beatus qui vigilat? &c.* Et illud Apostoli, i *Dies Domini venturus est sicut fur in nocte. Cùm enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus illis superueniet interitus, sicut dolor parturienti, & non effugient?* k *Sicut enim in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes vsque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis.* Tantanè verò orbem securitate sopitum iri credimus, cui iam pro certo esse debet consummationem rerum omnium & seculi finem post quadraginta quinque dies instantèr adesse? Postquam in auribus Ninibitarum insonuerat, *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur,* gentem alioqui incredulam & impiam quantùm commouit? quantos illi pœnitentiæ labores expressit! Nihilne facturum putas quod denunciabitur orbi iam ab Antichristo liberato: adhuc quadraginta quinque dies & vniuersa mundi machina conflagrabit? Quanquam quid dico orbem ab Antichristi tyrannide liberatum? Nam cùm illum oporteat Hierosolymis in Oliueti monte occidi, quàm exigua orbis pars quadraginta quinque diebus mortuum illum intelliget? quomodo significari poterit præfectis eius & ducibus, vt à sæuiendo desistant, vt Ecclesia è cauernis & speluncis egressa cultum religionis instauret, & Christo mox iam venturo obuiam procedat? quomodo formidabilis Antichristi exitus gentibus & populis indicari vt pœnitentiam agant, & dent gloriam Deo cœli? Atque ô miseros

Nos penitùs toto diuisos orbe Britannos,

Ad quos nullo modo poterit rerum istarum fama peruenire. Quin potiùs, ô improbam gentem Iesuiticam, quam fabulis istis

g Mat.24.36.
h Apoc.16.15.
i 1.Thess.5.2.
k Mat.24.37.

&

& ineptijs imperitorum hominum ſimplicitati ludificari non pudet. Quanquam ipſam vnam gentem Iudæorum qui credibile eſt tam exiguo ſpatio poſſe integram ad fidem Chriſti perduci? Quos tandem Apoſtolos aut Doctores derepentè habitura eſt, qui illam poſt mortem Enochi & Eliæ binis menſibus ad Chriſti diſciplinam inſtituant; qui fidem illis exponant, Moſen interpretentur, myſteria pietatis aperiant, ſacro baptiſmate tingant, Euchariſtia communicent, & ab illa qua innexi ſunt ſuperſtitione, mox vno momento ſublato quod tegit illos velamine, ad Euangelij ſtudium totos inducant? Mira nobis, *Bellarmine*, narras, & quæ fidem noſtram excedunt, & veris demonſtrationibus opus eſt vt hic aſſenſum noſtrum extorqueas: putidis iſtis collectiunculis, quibus nihil ineſt neruorum aut ponderis, effectum dare quod cupis nunquam poteris.

6 Sed tamen pergis. *Deinde idem*, inquis, *colligitur ex Mat. 24. Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe &c. & tunc veniet conſummatio; id eſt, paulò poſt erit finis mundi.* Sed expoſitionem tuam excludit quod ſuprà docuimus, locum illum non de ſeculi fine, ſed de excidio Hieroſolymitano exponendum eſſe. Quanquam vt daremus tibi conſummationem ſeculi ibi intellectam eſſe, tamen argumentum tuum infirmat quod tuarum partium *Ioannes Hentenius* de illiuſmodi locutionibus obſeruauit. [l] *Quod dicitur, & Tunc apparebit ſignum filij hominis, & Tunc plangent omnes tribus terræ, non indicat id ſtatim ſubſequi, ſed ſolùm quod poſtea ſequetur; qui modus accipiendi Tunc, frequens eſt in ſacris literis, quemadmodum annotat noſter Euthymius ſuper illud Matth. 12. Tunc adductus eſt ei dæmoniacus.* Ita quoque reſponſum habes de altero loco, [m] *Statim poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, &c. Et tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo, &c.* vbi illud (*ſtatim*) haud aliter interpretamur, quàm de *modico tempore* iampridem oſtenſum eſt. Proximum illud, 2. Theſſ. 2. *Tunc reuelabitur iniquus ille quem interficiet Dominus ſpiritu oris ſui, &c.* rerum ordinem notat, de tempore nihil omninò commeminit, & ineptè abs te adductus eſt. Sententia loci ex ijs quæ diximus aperta eſt.

7 Sequitur alterum argumentum, quod te hominem excordem & inſanum eſſe conuincit. [n] *Idem*, inquis, *habetur ex 1. Ioan. 2. Filioli, nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis quia Antichriſtus veniet & nunc Antichriſti multi facti ſunt: vnde ſcimus quia nouiſ-* ſima

l Henten præfat. ad Areth. in Apo.

m Mat. 24. 29.

n 1. Ioan. 2. 8.

sima hora est. Vbi Ioannes, inquis, *dicit hoc tempus à Christo vsque ad finem mundi, esse nouissimam horam, id est, nouissimum tempus, siue vltimam ætatem, vt Augustinus exponit, &c.* Rectè verò *nouissimam horam*, [o] *vltimam ætatem* interpretaris ex Augustino, quæ totum hoc tempus complectitur, vt tu rectè exponis, *à Christo vsque ad finem mundi.* Et quid tu tandem habes ex hoc loco ampliùs, quàm Antichristum vltima hac ætate venturum esse? Huius autem horæ nouissimæ videmus iam sedecim secula prætериisse. Cum verò indefinitè Apostolus nouissimam horam, hoc est, vltimam ætatem Antichristo venturo deputat, quid hic est ex quo illum præteritis illis omnibus annorum seculis & centurijs ad tres aut quatuor vltimos annos relegandum arbitreris? Immò qui fateris multos illos Antichristos à Ioanne nuncupatos, quasi radios quosdam magni Antichristi fuisse præmissos; cur non agnoscis, quod consequi necesse est, fieri non posse quin Antichristus olim exortus sit, cuius radios imminentis statim aduentus sui prænuncios ab ipso tempore Apostolorum emicuisse compertum est?

o August. in 1. epist. Ioann.

8 De patrum testimonijs non laboramus, quos constat dum incertis coniecturis se duci patiuntur, seductos esse, & multa de Antichristo scripsisse, quæ cum sacris Scripturis non conuenire certissimum est. Confessio verò nostra, *Bellarmine*, quid te tandem iuuat, qui Antichristum agnoscimus vsq; ad finem mundi regnum quale quale habiturum, sed illum tamen interim per aliquot fortassè secula paulatim esse verbo Christi conficiendum? Itaque demonstratio tua quam insolubilem appellas, leuicula & inepta esse conuincitur, & quidem plùs temeritatem insulsi hominis & sophisticam vanitatem, quàm dignam Theologo grauitatem & constantiam sapit. Postquam ergò in istis demonstrationibus tuis videmus te, Pontificiæ gentis tantum columen, tam parum habere quod pro Pontifice tuo dicas quominus sit Antichristus: habe tibi vnicam pro tuis omnibus demonstrationem, qua illum Antichristum esse probamus, & quam tu vitare nunquam poteris. De quo enim nulla demonstratio secundùm Scripturas dari potest quòd non sit Antichristus, is est Antichristus: De Romano Pontifice nulla demonstratio secundum Scripturas dari potest quòd non sit Antichristus: Pontifex ergo Romanus est verissimè Antichristus. Neque enim quicquam in Scripturis Antichristo attribuitur quod non in Romanum Pontificem

tificem plurimùm & optimè conueniat. Quod vt manifestius fiat, reliqua nobis explicanda iam veniunt de habitu, de actis, & doctrina Antichristi.

CAP. 10.

Habitus Antichristi describitur imperatoria maiestate, prætextu hypocritico, & abhominanda Ecclesiæ desolatione per illum futura.



Abitus Antichristi, quo tanquam facie atque indumento quodam agnoscitur, maiestatem continet in aspectu, in prætextu hypocrisin, abhominationem desolationis in effectu. Ad maiestatem pertinet, quòd in Antichristo [a] *imago bestiæ* futura narratur. Vbi repetendum est quod suprà vidimus, duas apud Ioannem *bestias* describi, quarum altera imaginem alterius ad viuum exprimit. Posterior priorem potentia æquasse dicitur, [b] *faciens quicquid poterat bestia prior*, etiam *in conspectu ipsius*. Et quidem tanta potentia fuisse describitur, vt priorem bestiam vulnere lethali propè mortuā sanarit, & statum eius collapsum reparavit. Postea verò pertæsa, vt videtur, bestiæ prioris, & volens magnificentiam eius aliò transferre, imaginem eius effingendam curauit, eiq; spiritum inflauit, & eò progressa est, vt omnes cogeret venerationem huic imagini bestiæ præstare, quam antea bestiæ priori præstitissent. Hic iam *bestia prior* vetus est imperium Romanum. *Imago* verò non ipsa res est cuius imago dicitur, sed quiddam instar illius. Erit ergo Antichristi status non idem ipsum imperium, sed quiddam imperij simile, quia mortuam imperij dignitatem & potentiam in seipso & suis citra nomen imperij, nouo stylo, iure nouo resuscitabit. Quò illud *Bellarmini* pertinet, cui seipsum confodere non rarum est: [c] *Antichristum fore vltimum qui tenebit Romanum imperium, tamen sine nomine Romani imperatoris*. Hæc verò Antichristi nota quem maximè feriat, haud erit difficile iudicare, si illum animaduertamus qui occupata imperij sede, mutato imperij nomine, maiestatem imperatoriam & multò etiam maiorem, titulo Pontificis & Ecclesiæ iure vendicauit. Enimuerò Romanus Pontifex hîc apertissimè notatur, qui quum attritis Romanis viribus, & exturbato ex Italia

a Apoc. 13. 14.

b Vers. 12.

c Cap. 15. de miraculis Antichristi.

Italia imperatore, corruisse iam imperium & iacere videretur, plagam hanc lethalem nouo imperatore sufficiendo curauit, & veteris imperij maiestatem in Occidente vtcunque renouauit. Quod ille callido consilio fecit, vt ipse viribus imperatoris à se creati fortior esset, & principatum Ecclesiæ quem intenderat, & obtinere faciliùs, & commodiùs tueri posset. Atqui paulò pòst tanti operis conscientia superbiens, & molestè ferens imperatori parêre quem ipse fecerat, excussit iugum subiectionis, & imperatorem Romanum vrbe Roma exulare iubens, simulachrum quoddam imperij in se & suis ibidem erexit, & tumultu ac tyrannide perfecit, vt Roma iterum Ecclesiæ nomine omnibus imperitaret, & occideretur quicunque huic idolo, & sibi maximè tanquam capiti, veterem imperij honorem & venerationem denegaret.

2 Atque hîc diligentèr consideranda est distinctio illa, quam suprà meminimus, [d] *imperij temporalis & spiritualis*, qua quidem illorum totum hoc arcanum nobis euoluunt. *Temporale imperium* antiquum illud appellant imperatorum Romanorum: *spirituale*, quod nunc illius loco subrogatum Pontifex tenet, quo idem nunc est orbi reliquo Ecclesia Romana, quod erat olim ciuili iure ciuitas Roma. Cùm sit ergò vtrinque imperium, & spirituali iure nunc imperet Pontifex quemadmodum olim imperator temporali; dubitari non potest, quin *imago bestiæ*, hoc est, veteris imperij, sit in imperio spirituali, hoc est, Pontificatu requirenda. Quanquam Ecclesiæ titulo vtrunque gladium arripuit, & non spiritualem modò iurisdictionem, sed temporale quoque dominium inuasit; neque modò territoria quædam politico iure sibi deuinxit, sed totum quoque ius imperij suum esse Stentorea voce declamitat, tanquam ipse verissimè sit imperator, imperatorem verò vulgò dictum tanquam subregulum quendam habeat, [e] *procuratorem suum &* [f] *sedis Apostolicæ aduocatum*, & nonnisi placiti sui & voluntatis administrum. Itaque Adrianus quartus: [g] *Imperium*, inquit, *nostrum est, nos illud damus cui volumus*. Et [h] Cælestinus tertius vbi diadema regium pedibus interceptum *Henrico* sexto imposuisset, pede iterum excussit, vt significaret suum esse scilicet imperium conferre, & suum quoque, si malè mereatur, cui dederit auferre. Quare Bonifacius octauus quo tempore primum egit *Iubilæum*, [i] electionem Alberti ducis Austriæ superbè reijciens, illam denuncians

d Tho. Aquin. in 2. Thess. 2. lect. 1. Glossa ordin. ibid.

e Dist. 96. si imperator in glossa.

f Adrian. 4. apud Auent. Annal. lib. 5. 6.

g Ibid.

h Foxi martyro. 255. par. 4. ex duo. Chron. manuscript.

i Paralipom. Abb. Vrsperg.

ans *sine authoritate sua factam robur non habituram*, quippe *penes se esse affirmans vtriusque gladij potestatem*, hoc vt ostenderet, *primo solenni die in Pontificalibus apparens Apostolicam populo benedictionem impertitur. Postero die* (vt intelligamus non [g] *patriam* duntaxat *Ecclesiæ potestatem*, vt mentiuntur Anglorhemenses, sed ipsam imperij maiestatem à Pontifice vendicari) *habitu imperiali, Cæsarea infula insignis, gladium ante se nudatum deferri iussit, & sedens alta voce testatur, Ecce duo gladij hic*. Ex vnguibus leonem agnoueris; & ex habitu imperatorio imaginem bestiæ, hoc est, Antichristum.

g Anglorhem. Annotat. in Apoc. 17, 18.

3 Quanquam vt *imaginem bestiæ* perfectiùs & clariùs intueamur, non hic è Christianis imperatoribus quisquam, sed priscus ille Ethnicus & idololatra & Christi hostis cum Pontifice comparandus est. Enimuerò ex omni parte alter alterum æmulatur, & ita iustis passibus in ijsdem vestigijs inambulant, vt non sit ferè ouum ouo similiùs, quàm imperatori Ethnico Pontifex Christianus. Id liquidò constabit, si parallela quædam imperatorum & Pontificum descripserimus, & planè videbimus non sine singulari ratione *imaginem bestiæ* in hierarchia illa Romana collocari. Eodem stylo gloriantur, eandem imperij latitudinem ostentant, eadem absoluta potestate sibi omnia licere permittunt. Atque vt ab Augusto Cæsare incipiamus, ab illo Hyperaspistes ille Romanus [h] *Pontificis maximi* nuncupationem mutuatus est. Quo non contentus, ad Caligulæ superbiam accessit, & vt ille [i] *Cæsar optimus maximus*, ita hic [k] *Pontifex optimus maximus* proprio diuinitatis cognomento salutari sustinuit. Domitianus de se dici voluit, [l] *Dominus & Deus noster sic fieri iubet*; & paritèr de Pontifice Romano dictum est, [m] *Credere Dominum Deum nostrũ Papam sic non potuisse statuere prout statuit, hæreticum censeretur*, & ipse sibi [n] *Dei* nomen tanquam à Constantino impositum impudentèr assumit. Caligulæ vox erat qua auiam suam Antoniam monentem repulit: [o] *Memento mihi omnia & in omnes licere:* & Antonius Bassianus priuigni responsum inuitantis illum ad stuprum cupidè amplexus est, [p] *si libet licet; an nescis te imperatorem esse, cuius est leges dare, non accipere?* ita quoque Pontificibus [q] *persuasum est ab assentatoribus suis quòd omnia possent, & quod liceret illis quicquid liberet, etiam alioqui illicita*; [r] *illis voluntatem esse pro ratione*; [s] *posse illos iudicare omnes, & posse à nemine iudicari:* [t] *illorum legibus omnes de necessitate salutis obedire teneri*,

h Abb. Vrsperg. in Chron.
i Sueton.
k Sixti Senensis epist. dedicat.
l Sueton.
m Extrau. Ioan. 22. cap. Cum inter. in glossa sub finem.
n Dist. 96. satis euidentèr.
o Sueton.
p Chron. [illegible]
q Franc. [illegible]
Catal. te[illegible]
r Decretal Greg. de translat. epist. ca. Quanto, in glossa.
s Extrau. de maior. & obed. c. vnam sanctam in glossa.
t Clemen. lib. 5. de hæret. ca. Ad nostrum, in glossa.

teneri, ipsos [u] aliorum legibus astringi non posse; nec esse qui Pontifici dicat, [x] *Domine cur ita facis?* cui tamen ipsi [y] *licet pro arbitrio animi sui aliorum acta vel rescindere vel approbare*. Nero [z] *terrarum orbem suum esse* dicebat, & *in sua potestate fuisse regna dare & adimere*: & Pontifex orbem terrarum diocœsin suam, [a] *vnius omnium hominum ordinarij*, esse dicit, & se à Deo [b] *constitutum esse* gloriatur *super gentes & regna, vt reges siue plantet* regna conferendo, siue *euellat* auferendo. [c] Caligula & post illum [d] Maximinus iunior in *salutationibus superbissimus pedes suos* osculandos præbuerunt, & [e] Diocletianus arrogantissima vanitate calceos suos eo fine gemmis & auro curauit ornandos: & Pontifex eadem superbia aut multò maiore non modò vulgus hominum, sed [f] reges ipsos & imperatores ad pedum suorum oscula subiugauit. [g] Claudius tantum se posse putauit, vt veniam daret incestarum nuptiarum, & matrimonium patrui cum nepte sua legitimum esse iuberet: & Pontifex tantundem se posse præsumit, & [h] dispensatione sua ratos esse iubet incestos contractus, quos lex diuina irritos & impios esse decernit. Imperator suæ potestatis esse censuit catalogo diuorum adscribere quos voluit, quomodo [i] Adrianus consecrauit Antinoum Ganymedem suum, illique sacrificiorum & supplicationum honores constituit: & hoc Pontifex sui nunc iuris esse denunciat, & mortuos pro arbitrio suo diuorum numero haberi iubet, & calendario sanctorum inscribit, quos Christiani omnes, nec ipsos modò, sed etiam imagines & reliquias eorum, precibus & sacrificijs frequentare teneantur. Caligula tanquam iuris vsum omnem aboliturus dicere solebat; [i] *Ego mehercle efficiam nequid respondere possim præter æquum*: & Pontifex hoc quidem effecit, vt quicquid leges loquantur, id tantummodo æquum haberi debeat quod ille respondet, quippe habens [k] *iura omnia*, vt ipse loquitur, *in scrinio pectoris sui collocata*; ac proinde [l] *seruandum* præcipiens *quod ille vult, licèt durum*, & [m] *pia deuotione tolerandum licèt vix ferendum iugum imponat*. Vespasianus lucro etiam turpissimo seruiens, [n] de vrinis vectigal instituit; & Pontifex eodem animo [o] de prostibulis. Nero vbi cuiquam officium delegauit, [p] *scis*, inquit, *quid mihi opus sit*, & *Hoc agamus nequis quicquam habeat*: & Pontificis idem animus, idem mos, cuius ex vsu, nequis quicquam habeat, [q] *Romana curia instar barathri potestatem habet & consuetudinem omnium reditus absorbendi*. [r] Ves-

u 9. Quæst. 3. Cuncta.
x Extrau. 10. 22. ad Apostolatus. in Glossa.
y Platin. de vitis Pontif. in Paul. 2.
z Dion.
a Decret. Greg. de foro competenti ca. Licet: & de appellat. ca. vt debitus. in glossa.
b Extrau. de maior. & obed. vnã sanctam.
c Sueton.
d Iul Capitolin. in Maximin. iuniore.
e Pompon. Lætus.
f Ceremo. eccle. Roma. lib. 1. sect. 5. de reuerentijs Papæ exhibendis.
g Sueton.
h 30. q. 3 cap. Pitacium in gloss.
i Clem. Alex. in protrept. & Origen. cont. Cels. lib. 3.
i Sueton.
k Platin de vitis Pont. in Paulo 2.
l Decretal. Greg. de verborum signific. cap. Olim. in glossa.
m Dist 19. In memoriam.
n Dion
o Be[illegible] Rom[illegible] P[illegible]

pasianus ciuiles honores pretio vendere solitus est: & Pontifex Ecclesiæ prælaturas, [f] *simoniam pro nullo inconuenienti reputans*, *quæ* [t] *perinde regnat in Romana curia acsi nullum peccatum esset*. Imperatores Romani mutuis cædibus plerunq; fastigium illud honoris adepti sunt: & hæc ad Pontificatum via communis & trita, ita vt Hildebrandus [u] sex aut septem ex ordine Pontifices, Brazuti operâ familiaris sui, veneno sustulerit, vt ipse in eandem pestilentię cathedram succedere posset. [x] Nero quos opulentos & diuites cernebat, aut vi aut veneno & fraude tollendos curauit, vt ipse opibus eorum potiri posset, & [y] Vespasianus rapacissimos quosque ad ampliora promouit, vt locupletiores factos condemnaret, vsus illis tanquam *spongijs*, vt & *siccos madefaceret*, *& madefactos exprimeret*: & eadem arte Alexander sextus [z] *opulentissimum quemq; in aula sacerdotem, & in his aliquot Cardinales cæteris ditiores veneno tollendos constituit, vt eorum opibus in fiscum redactis potitus profusissimè largiretur*. Caligula Romanis infensus, [a] *vnam omnibus ceruicem* optauit, vt vno ictu simul omnes occiderentur: & Martinus secundus in Germanos commotus optauit, vt [b] *tota Germania vnum stagnum esset*, vt simul omnes mergerentur, vnde Epitaphium illius:

f Math. Paris. in Hen. 3.
t Catal. test. ver. ex Durando.
u Benno Cardin. in Epist.
x Sueton.
y Sueton.
z Onuphr. in Alexand. 6.
a Sueton.
b Catal. test. verit. ex Nicholao de Bibrach.
c Ibid.

[c] *Hîc iacet ante chorum submersor Teutonicorum,*
Pastor Martinus, extrà qui totus ouinus,
Et lupus introrsus, cui nulla redemptio prorsus,
Sed sit ad inferna detrusus ab arce superna.

Quid referam detestabiles incestus, adulteria, Sodomiticas veneres, fœdissimos luxus, quibus vtrinque sibi mutuò respondent *bestia & imago bestiæ*; quibus Zysti illi nostri, & Iulij, & Ioannes, & Bonifacij, & Pauli veteres illos imitantur & exprimunt Tiberios, & Caligulas, & Nerones, & Heliogabalos, vt eodem omnes aluo prodijsse non dubitemus? Enimuero longum esset omnia persequi, neque necesse erit: ista sufficiunt vt intelligamus imago bestiæ quò referenda sit, & planè videamus Romanum Pontificem ipsummet esse Antichristum, quippe in quo veteris imperij lineamenta pinguntur, & tanquam in speculo facies & simulachrum viuis coloribus clarissimè refulget.

4 Porrò *hypocrita* est Antichristus, & totus ex fraude compositus: aliud specie, aliud re: blanditur fœminina facie, cuspidata cauda pungit & perimit: vellere ouis, dente lupus: verè [d] *Dan coluber in via*, non tam aperto Marte, quàm ex insidijs pugnans:

[e] *quasi*

[e] *quasi leo in spelunca sedet in occultis vt interficiat:* [f] *nusquam terror eius apparet donec apertè deuoret.* [g] *Neque enim quia minaturus est, in Ecclesiam introibit*, sed in cathedram plumis Ecclesiæ vestitus arte subrepet, [h] *nasciturus ex humili loco, sed principatum obtenturus per fraudulentiam, quia (licet* [i] *indignabundus contra testamentum Dei) simulabit se tamen ducem fæderis, hoc est, legis & testamenti Dei.* Atque acutè quidem Origines animaduertit, *quia tunc maximè exuberat malitia perueniens ad extremum sui fastigium, quando boni specie prætexitur, ideò per nequissimum illum ita fieri oportere*, vt quem artificem summæ malitiæ futurum intelligimus, eundem constet honestissima præscriptione pietatis nefaria seductionis impiæ consilia tenturum. *In* [k] *fronte Babylonica meretricis scriptum est, Mysterium*, & Antichristo attribuitur ab Apostolo, [l] *mysterium iniquitatis*: quorsum? nisi vt fraudes eius non apertas, sed mysticas esse sciamus, [m] *mysticam iniquitatem, id est, pietatis nomine palliatam, vt velint haberi ministri Christi, qui sunt pseudapostoli & Antichristi.* Nam quòd Bellarminus *mysterium iniquitatis* [n] ad Neronem refert, præterquàm quòd insulsum est & rationem nullam habet, hoc ipso quoque reijcitur, quòd [o] propemodum extra controuersiam est, epistolam illam ad Thessalonicenses ante tempora Neronis esse conscriptã. Iam verò [p] mysteriorum ea semper est ratio, vt in illis maximè absconditum sit quod maximè sunt, & aliud ostendant, aliud efficiant. Quare *mysterium iniquitatis*, vt in re opposita, quiddam habet simile [q] *mysterio pietatis*. Quemadmodum enim Christus occulente illum velamine carnis infirmæ clàm venit, & [r] à *suis* neque *cognitus* neque *susceptus est*, quia non oculis & aspectu, sed fide tantùm & virtute secundùm Scripturas dijudicari potuit: ita quoque de Antichristo, vbi in illo *mysterium* attendere iubemur, intelligendum est, speciosis quibusdam integumentis & verborum coloribus obtectum dignosci non posse, prẹterquam ab ijs qui non prætextu illum & specie, sed effectu & opere cum Scripturis comparato æstimandum didicerunt. Christi sublimitas & diuina magnitudo in humilitate & abiectione sepulta non apparuit: contrà verò Antichristi abiectio & indignitas splendidis nominibus & magnificentissimis elogijs exornata, perstringit intuentium oculos, vt illum in Ecclesia dominantem non persentiant. Itaque Christus testaceo vase thesaurum salutis offerens, repudiatus est per inscitiam à Iudæis: Antichristus [s] *aureo poculo* venenum

e August. in Psal. 9.
f Remig. ibid.
g Cyprian. lib. 1. epist. 3.
h Hierony. in Dan. cap. 11.
i Ibid.
k Origen. cont. Celsum, lib. 6.
k Apoc. 7. 5.
l 2. Thess. 2. 7.
m Glossa ordin. in 2. Thess. 2.
n Cap. 2.
o vide Theodor. præfat. in Epist. Pauli.
p Chrysost. in 1. Cor. hom. 7.
q 1. Tim 3. 16.
r Ioan. 1. 10, 11.
r Apoc. 17. 4.

venenum propinans, suscipitur per amentiam à Christianis.

5 Porro hypocrisin Antichristi Ioannes alibi depingit, vbi illum describit [t] *duo cornua habentem similia agni; loquentem verò tanquam draconem.* Vbi Lyranus: [u] *Similia agni scilicet Christi, cuius duo cornua sunt duo testamenta:* & Primasius: [x] *Duo testamenta vero agno competentia more agni sibi competere tentabit, vt draco tamen loqui dicitur, quia per hypocrisin simulatæ veritatis quos seduxerit decipiet. Agni enim similis non esset, si apertè vt draco loqueretur: nunc agnum fingit vt agnũ, id est, Christi corpus inuadat* Deniq; ille quicunque author est Glossæ ordinariæ, ad totum Antichristi gregem accõmodans, [y] *simulabunt*, inquit, *se habere innocentiam, & puram vitam, & veram doctrinam, & miracula quæ Christus habuit & suis dedit.* Vnde perspicuum est Antichristum Christi hostem ita futurum, vt tamen Christi nomine sacrilegia sua præmuniat, Christi authoritatem obtendat, Christi potestatem in miraculis præ se ferat, testamentum Christi mentiatur, & proinde fidei articulos profiteatur quidem, sed vim eorum elidat, sensum eludat, & quasi exiccata medulla, succo & sanguine extracto, verba tantùm fidei proferat, potestatem & virtutem aliò transferat: denique locuturum instar draconis, & horrida voce truculentas minas eiaculaturum, ita tamen vt nonnisi agni, id est, Christi cornibus ferire videri velit. Ac ne sim hac descriptione longior, Apostaticus ille *nouissimorum temporum spiritus erroris*, quo authore multi *discedent à fide, mendacia* loquetur & *doctrinis dæmoniorum*, sed [z] *in hypocrisi*, & *falsi doctores* Antichristo famulantes *hæreses exitiales* non hostilitèr denunciato bello præ se ferent, sed proditoria perfidia clam & callidè [a] *subintroducent*, reipsa quidem *abnegantes dominum qui ipsos mercatus est*, sed tamen nonnisi [b] *fictis sermonibus mercaturam* animarum exercentes.

6 Iam verò qui quod hactenus speculamur in re subiecta desiderat, recognoscat ille fraudes & fucos, lenocinia & pigmenta Ecclesiæ Romanæ: nihil ibi viderit nisi laruas & personatos histriones. Iupiter ille Romanus, antesignanus hypocritarum, quasi laruatus quidam Amphitryo, dum se maritum Ecclesiæ fingit, agit adulterum, & diris amplexibus venenoso semine generosam Ecclesię propaginem, spurios nescio quos siue Centauros & Gorgonas, siue Satyros & syluestres faunos supponendo vitiauit. Vno verbo totus impostor est. *Seruum* se *seruorum* appellat, vt maledictam [c] Chami sobolem agnoscas, qui

tamen

[t] Apoc. 13. 11.
[u] Lyra in Apoc. 13.
[x] Primas. ibid.
[y] Gloss. ordin. ibid.
[z] 1. Tim. 4. 2.
[a] 2. Pet. 2. 1.
[b] Vers. 3.
[c] Gen. 9. 25.

tamen [d] *dominus dominantium perinde ac si Deus foret esse contendit*; cuius intractabilem superbiam rex Francorum expertus in causa *Frederici* cum se nullo modo exorari pateretur, [e] *recessit iratus & indignans*, ait historia, *quòd humilitatem quam sperauerat in seruo seruorum minimè reperisset*. *Vicarium* se *Christi* denunciat qui nihil habet commune cum Christo, qui in angulis nefanda blasphemia ore spurcissimo [f] *fabulam* appellat id totum quod credimus de Christo. Petri se successorem importunè gloriatur, qui tamen [g] *à Petri vestigijs discessit*, [h] *potestate seculari* Constantino similior factus quàm Petro; immò [i] *Romulo magis succedens*, vt Adriano ipsi visum est, *in parricidijs, quàm Petro in pascendis ouibus*, & improba sacrorũ nundinatione ad Simonem Magum quàm ad Simonem Petrum propiùs accedens. Ecclesiæ se *caput* appellat, qui factus Ecclesiæ [k] *vitricus* latrocinijs suis prædatur illã & expilat, vexat iniurijs, & infinitis [l] *grauaminũ* oneribus fatigat. *Clauigerum* regni cælorum se putari vult, qui totus cum diabolo confœderatus ad animarum perniciem, vt domini sui negotium strenuè & securè peragat, de se interim cautum esse vult, vt [m] *etsi innumerabiles secum animas ducat ad infernũ*, nemo tamen illũ *iudicet*, nemo ei dicere audeat, [n] *Cur ita facis?* Sub his integumentis quasi quadam præditus authoritate peccandi vulpinatur & lupizat, & sibi omnia licere putat, dum susque deque vertit omnia. Qui dum canina esurie bolum omnem arreptat, & vulturinis oculis in omnem prędam inuigilat, [o] Petrum & Ecclesiam auaritiæ suæ patronos & intercessores prætendit. Dum superbissimè se gerit, & ab imperatoribus & principibus tanquam à seruis & mancipijs ministerium & obsequium sibi deferri postulat, osculari pedes, equum educi, teneri suppedale, honores istos iure sibi tanquam [p] beato Petro debitos præstari defendit. Dum stomacho indulget suo, improbus veterator [q] Petrum & Paulum, quasi illorum res agatur, arbitros & vindices interpellat. Dum imperij maiestatem labefactat, *ne* [r] *per illius potestatem corrigantur quos in imperium patrauit excessus, & inde debitas subeat disciplinas*, [s] *sophistica & derisibili pietate* dolosè prætendit se omnia facere, vt *Ecclesiæ* videlicet *iura defendat*; & quos habet per *rebellionem* consiliorum suorum adiutores, eos *Ecclesiæ filios* appellat; qui verò in *debita fidelitate suo principi obedientes persistunt*, *schismaticos & hæreticos* nominat & *Ecclesiæ inimicos*. Petri sedem, Petri patrimonium, Petri honorem, Petri iniuriam vociferatur;

d Auent. annal. lib. 7.
e Matth. Paris. in Hen. 3.
f Balæus in vitis Pontif. in Leone 10.
g Platin. in Ioanne 10.
h Bernar. de Consider. lib. 4.
i Catal. test. veritat. pag. 387.
k Matth. Paris. in Henr. 3.
l Catal. test. veritatis ex d... pag. 260 261. &c.
m Dist. 40. si Papa.
n Decretal. Greg. de transl. epis. cap. Quanto in glossa.
o Ceremon. Eccle. Rom. lib. 1. sect. 5. Dist. 96. ca. Constantinus
p Ibid.
q Platin. de vitis Pontif. in Gregor. septimo.
r Marsil. Patau. defens. pacis. par. 2. cap. 26.
s Ibid. cap. 25.

vociferatur; etiam amiculam suam Hildebrandus, si placet, * *Sancti Petri filiam* salutat: legatos suos † *S Petri vicarios* appellat: Ecclesiam, Ecclesiam sanctam in rem malam, Romanam Ecclesiam vsque ad fastidium increpitat, vt inhonestis artibus & consilijs suis pietatis & iustitiæ colorem obducat. Ita illum refert Mathæus Parisiensis cum Frederico bellum gerentem legatum in Angliam misisse, qui clerum induceret vt quintam partem bonorum ei soluerent, [t] *varias pressuras patefaciens quas pro iustitia Ecclesiæ sustinuit Dominus Papa ferendo insultus Frederici.* Vix risum tenuerit opinor (quanquam quis non detestetur vafri nebulonis impudentiam?) qui epistolas illas legerit [u] Stephani secundi asinino stylo cõscriptas ad Pipinum regem, factum iam mancipium Ecclesiæ Romanæ, propter regnum Franciæ nefariè sibi paulò antè à Pontifice collatum, quibus opem eius contra Longobardos [x] *ad iustitiam scilicet beato Petro faciendam, & bonum exitum in causa beati Petri ponendum* Crocodili lachrymis flebilitèr implorat. Ac nequid desit ad cumulum fraudis & impudentiæ, tanquam in Petri persona scribit Epistolam, & illum pro se loquentem introducit; [y] *Petrus vocatus Apostolus à Iesu Christo, Pipino, Carolo &c. Ego Petrus Apostolus dum à Christo Dei viui filio vocatus sum supernæ clementiæ arbitrio, illuminator ab eius potentia totius mundi sum præordinatus, &c. Ideoq; ego Apostolus Dei Petrus, qui vos adoptiuos habeo filios ad defendendum de manibus aduersariorum hanc Romanam ciuitatem & populum mihi à Deo commissum, seu & domum vbi secundùm carnem requiesco de contaminatione gentium eruendam vestram omnium prouocans dilectionem adhortor, &c. sed & Domina nostra Dei genitrix semper virgo Maria nobiscum vos magnis obligationibus adiurans protestatur atque monet & iubet, simul etiam & throni & dominationes, vel cunctus cælestis militiæ exercitus, necnon & martyres atque confessores Christi, & omnes omninò Deo placentes, & hi nobiscum adhortantes & coniurantes protestantur, quatenus doleat vobis pro ciuitate ista Romana mihi à Dominò commissa, & ouibus dominicis in ea commorantibus, necnon pro sancta Dei Ecclesia mihi à Domino commendata: defendite atque liberate eam sub nimia festinatione de manibus persequentium Longobardorum, ne (quod absit) corpus meum quod pro Domino Iesu Christo tormenta perpessum est, & domus mea vbi per Dei præceptionem requiescit, ab eis contaminentur, & populus meus peculiaris lanietur amplius, &c. Præstate populo meo præsidia*

* Paleus de act. Rom. Pontif. l. b. 5. in Greg. 7.
† Idem in Honorio. 2.
t Math. Parisien Henr. 3.
u Centur. Magdeburg. 8. cap. 10.
x Epist. 3.
y Epist. 2.

totis viribus vestris, vt ego Petrus vocatus Dei Apostolus in hac vita, & in die futuri examinis vobis alterna impendens patrocinia, in regno Dei lucidissima ac præclara præparem tabernacula, &c. Currite per Deum viuum & verum vos adhortor & protestor, &c. Non separemini à populo meo Romano: sic enim sitis alieni aut separati à regno Dei & vita æterna. Quicquid enim poscetis à me, subueniam vobis videlicet, & patrocinium impendam, &c. firmissimè tenete quòd ego seruus Dei vocatus Apostolus, in omnibus vestris necessitatibus, dummodo precati estis, auxiliatus sum, & victoriam per Dei virtutem vobis de inimicis vestris tribui: & ni ante attribuam, nihilominus credite si ad liberandum hanc meam Romanam ciuitatem nimis celeritèr accurretis, &c sin autem (quod non credimus) & aliquam posueritis moram aut adinuentionem, minimè velocitèr hanc nostrâm implendam adhortationem, ad liberandam hanc meam ciuitatem Romanam, &c. Sciatis vos ex authoritate sanctæ & vnicæ Trinitatis per gratiam Apostolatus quæ data est mihi à Christo Domino, vos alienari pro transgressione nostra adhortationis à regno Dei & vita æterna, &c. En brutum animal, insulsum blateronem, quouis fungo stupidiorem & stultiorem, cui nec est sensus nec cerebrum, qui blasphemiam cum scelere coniungens, Petro tribuit quod Christi est, vt per illum in die futuri examinis salui simus. Eiusdem farinæ est quod expostulandi causa scripsit Adrianus quartus imperatori Frederico: [z] *Super prudentia tua non mediocritèr admiramur, quòd beato Petro, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non quantam deberes reuerentiam exhibere videris. In literis enim ad nos missis, nomen tuum nostro præponis, in quo insolentiæ, non dicam arrogantiæ, notam incurris. Quid dicam de fidelitate beato Petro & nobis à te promissa & iurata, quomodo eam obserues, cùm ab his qui dij sunt & filij excelsi omnes, Episcopis videlicet homagium requiris, fidelitatem exigis? &c.* Ita nempe Petri & sanctorum nominibus ludunt, & orbi terrarum illudunt, & interim taciti apud se stultorum hominum amentiam subrident, qui præstigijs istis fucum sibi fieri miserrima negligentiæ supinitate patiuntur. Quanta tum homines vecordia, quantus stupor inuaserat, vt tam crassa ludibria non sentirent, non conspuerent improbos carnifices Petri nomen & locum tam apertè mentientes? Ecquid Petrum audierant de prioritate nominũ cum principibus litigantem? ecquid illum nouerant gloriolas illas & principatus, & magnificentiam, & seculares illecebras, & vitæ delicatam mollitiem tam auidè,

z Naucler. lib. 2. gener. 39. Baleus de act. Rom. Pontif lib 5. in Gregorio. 7.

tam importunè ambientem? Memorabile est quod habetur apud Erasmum de Roberto quodam Liciensi Franciscano, qui [a] *dicturus aliquando apud Pontificem & Cardinales, cùm videret eos strepitu plusquam regio ingredi, denique & Pontificem gestari hexaphoro & ab omnibus adorari, vbi tandem consedissent, iamq; expectaretur vox hominis, is nihil aliud prolocutus, Phy sanctum Petrum; Phy sanctum Paulum, subinde cum execrationis voce expuens, nunc in dextrum nunc in sinistrum, nec aliud addens è medio proripuit sese, relinquens omnes attonitos, alijs eum in furorem, alijs in hæresin vel Paganismum versum suspicantibus, &c. Rogatus quomodo in tam horrendas blasphemias incidisset, respondit, longè aliud argumentum sibi fuisse præparatum, cuius summam illis exposuit. Cæterùm vbi spectarem vos,* inquit, *tanto strepitu tantisq; in delicijs viuere, simulq; reputarem quàm humilem, laboriosam & inamœnam vitam egerint Apostoli quorum vices geritis, colligebam aut illos fuisse dementes qui tam spinoso itinere contenderint in cælum, aut vos rectà ad inferos proficisci: sed de vobis qui tenetis claues regni cælorum nihil malæ suspicionis in animum inducere potui: supererat vt illorum stultitiam detestarer, qui quum licuisset ad hunc modum splendidè suauiterq; viuere, maluerint per omnem vitam ieiunijs, vigilijs, laboribusq; discruciari.* Pupugit hypocrisin illorū lepidus concionator ingenioso quidem, quanquam rudi & Cynico sarcasmo, & salsè perstrinxit Papalem illum splendorem & pompam, qua totus iam Christo & Petro dissimilis locum dedit admirationis voci quæ apud Ioannem legitur, [b] *Quis similis bestiæ?* Et tamen iste est scilicet honor Ecclesiæ: ita se putant beati Petri existimationem tueri debere.

7 Quid ego hìc commemorem quas ille artes conquirendarum pecuniarum, & [c] *argumentosas extortiones*, vt quidam appellat, sub nomine pietatis excogitarit? [d] *sub nomine oblationum*, vt de Montano loquitur Eusebius, *munerum captationem artificiosè commentus est*. Iubilæus annus indulgentiarum liberalissimus à Bonifacio octauo quorsum institutus est, nisi vt lucro seruiret, cautione semper subintellecta, [e] *nequis coram Domino vacuus compareat.* [f] *Accedentibus ad basilicas Petri & Pauli centesimo quoque anno, non solum plenam & largiorem, sed plenissimam concedemus & concedimus veniam peccatorum.* Vbi glossator. *Dico Papam interpretatum fuisse in consistorio, me præsente, hanc indulgentiam adeò plenam, prout clauium potestas se extendit.* Quid? & num par est tantos illum thesauros gratis expromere? Immò haud

ille

a Erasm. Eccle-siast. lib. 3.

b Apoc. 13. 4.

c Matth. Paris. in Henr 3.

d Euseb. hist. lib. 5. cap. 16.

e De consecr. dist. 1. Omnis Christianus.

f Extrau. de pœnitent. & remiss. cap. Antiquorum.

ille gratis beneficium confert vbi nihil expectet, sed gratis à quibus mercedem ferat. Eodem animo & arte [g] Clemens sextus quum in rem suam futurum intelligeret, vt suo tempore Iubilæum haberet, ad annum reduxit quinquagesimum: & post illum [h] Paulus secundus & Sextus quartus ad vicesimum quintum, pro more scilicet Romanorum Pontificum, qui [i] *soliti sunt liberalitatem*, quia cum fœnore redituram sperant, *in nouitatibus suis exercere.* Vide verò quibus verborum delicijs ista condiuntur. [k] *Nos qui iuxta officij nostri debitum salutem appetimus & procuramus libentius singulorum, vt beatissimi Petrus & Paulus Apostoli eò amplius honorentur, quò ipsorum basilicæ de vrbe deuotiùs fuerint à fidelibus frequentatæ, & fideles ipsi spiritualium largitione munerum ex huiusmodi frequentatione magis senserint se refertos, de omnipotentis Dei misericordia & eorundem Apostolorum eius meritis & authoritate confisi, omnibus ad basilicas ipsas accedentibus centesimo quoque anno, plenissimam concedimus veniam peccatorum, &c.* & alter: [l] *Vnigenitus Dei filius, &c non in corruptibilibus auro & argento, sed suipsius agni incontaminati & immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad verbum pro redemptione totius hmani generis suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluuium noscitur effudisse, ita vt à planta pedis vsque ad verticem capitis nulla sanitas inueniretur in ipso. Quantum ergò exinde vt nec superuacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur thesaurum militanti Ecclesiæ acquisiuit volens suis thesaurizare filijs pius pater, vt sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditũ, sed per beatum Petrum cœli clauigerum eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubritèr dispensandum, &c. Ad cuius quidem thesauri cumulum, beatæ Dei genitricis, & omnium electorum à primo vsq; ad vltimum merita adminiculum præstare noscuntur, de cuius consumptione vel minutione non est aliquatenus formidandum, &c. Quod Bonifacius octauus prædecessor noster piè, sicut indubiè credimus, considerans, inconsumptibilem thesaurum huiusmodi pro excitanda & remuneranda deuotione fidelium voluit aperire, decernens anno quolibet centesimo plenissimam veniam peccatorum. Nos autem attendentes, quòd annus quinquagesimus in lege Mosaica Iubilæus remißionis censebatur, & clamorem peculiaris populi nostri Romani, videlicet hoc humiliter supplicantis,*

g Ibid. cap. Vnigenitus.

h Ibid. ca. Quemadmodum.

i Ibid de præbend. & dignitat. ca. Ex supernæ.

k Cap. Antiquorum.

l Cap. Vnigenitus.

plicantis, ac nos ad instar Mosi & Aaron per proprios & solennes nuncios ad hoc destinatos specialitèr orantis pro toto Christiano populo & dicentis, Domine, aperi illis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ; desiderantes benigniùs exaudire, non quidem vt sicut illius Israelitici populi indurati cesset murmuratio, sed vt istius prædilecti populi & cunctorum fidelium augeatur deuotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementiùs incalescat, volentesque quamplurimos huiusmodi indulgentiæ fore participes, cum pauci multorum respectu propter vitæ hominum breuitatem valeant ad annum centesimum peruenire; de fratrum nostrorum consilio, prædictam concessionem indulgentiæ ex suprascriptis & alijs iustis causis ad annum quinquagesimum duximus reducendam. Iterum quoque Sixtus quartus.[m] *Quemadmodum operosi vigilisque pastoris solertia oues suæ custodiæ deputatas curat à ferarum præseruare incursibus, & ad statum prosperum fætu multiplicato producere; ita quoque & nos, & supremis desideramus affectibus, & studijs nitimur indefessis, cunctos Christi fideles, quos à iustitiæ semita hostis humani generis diabolica fraude auertit, deposita peccatorum sarcina, suo reconciliare authori, vt æternæ fælicitatis præmijs nostri redemptoris inæstimabili charitate media potiantur, fiatque nostræ operationis ministerio, vtilitate publica suadente, etiam per gratiarum susceptionem quod eorum saluti conueniat, atque nostra & prædecessorum nostrorum ordinationes salubres debitis effectibus mancipentur, &c.* Ecquis ferat sceleratos hypocritas aucupijs istis & illecebris insidias Ecclesiæ struentes, & ex impostura populi Christiani rem suam facientes? qui cùm noua quædam & inaudita confingunt, & tanquam Christo & Apostolis & vniuersa tot seculorum Ecclesia sapientiores, animarum hactenus ignota remedia de cerebro suo depromunt, & quidem vtilitate tantùm omnia, non pietate metiuntur, vt fraudes istis occultent, salutem ouium Christi prætendunt, & curam animarum, & miseratione͂ Christianæ plebis, & dispensationem ipsis à Christo pro Ecclesiæ bono commissam? Quid autem? An ad Bonifacij vsque tempora hic Ecclesię thesaurus conclusus & ignotus permansit, quem ille post tot ætatum decursus clementissimus pater[n] *aurum vndique conquisitum plùs quàm dici potest sitiens*, primus aperiret? Itanè vt per tot secula tantum populi Christiani beneficium lateret? vt nemo esset omnium qui cogitaret superuacuam, & inanem, & superfluam fore meritorum Christi redundantiam, nisi Iubilæos haberet Ecclesia ex illo thesauro plenissimis

m Cap. Quemadmodum.

n Platin. de vitis Pontificum in Bonifac. 8.

ſimis indulgentijs locupletandos? At meritò hîc ad cauſam noſtram Hieronymi ſententiam aliquantulùm demuto: [o] *Cur poſt* tot annorum centurias *docere nos niteris, quod antè neſciuimus? cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt?* Vſque ad mille annos & ampliùs ſine *iſta doctrina*, ſine Iubilæis & indulgentijs *mundus Chriſtianus* fuit. Poſtquàm verò Iubilæus annus à Bonifacio * tot & tantis cauſis à gloſſatore commemoratis nonniſi centeſimus quiſque inſtitutus eſt; an ſimul cum authore rationes illæ omnes euanuerunt, vt poſtea quinquageſimo, & iterum poſtea viceſimo quinto quoque anno Iubilæum Pontifices repetendum iudicarent? ſed nimirum quod quæſtui erat, rarum eſſe non debuit: & ô illorum temporum amentiam & cæcitatem, quibus impunè licuit latronibus iſtis graſſari in Eccleſiam, & illam pro libidine ſua veteratorijs iſtis artibus expilare.

o Hieron. ad Pammach. & Ocean. de error. Origen.

*Extrau. de pœniten. & remiſſ. ca. Antiquorum in gloſſa.

8 Neque hîc tamen deſitum eſt. *Annatas*, id eſt, vacantium Epiſcopatuum & Prælaturarũ reditus vnius anni ſibi reddi poſtulauit, [p] *titulo ſpecioſo & populari, vt in bellum contra Saracenos & Turcas ſemper theſaurus paratus eſſet.* Quo colore non aliud quàm illudi ſibi ſenſerunt Eccleſiæ, & theſauros à ſe ſuppeditatos nonniſi ad luxum & libidinem Pontificis eſſe conuerſos, eáque cauſa de fraude ſibi à Pontificibus facta in concilio Baſilienſi grauiſſimè conqueſtę ſunt. Atque vnus quidem ille prætextus expugnandi Saracenos, & recuperandi terram ſanctam, incredibile eſt quantos ei nummorum aceruos, quantas opes importarit: Qua vna re præ cæteris diabolus ſe ad Eccleſiæ Chriſtianæ perniciem ingenioſiſſimum oſtendit. Neque enim ſine gemitu dici poteſt, quas ille hoc ſtratagemate Chriſtianorem ſtrages ediderit: quot hominum myriades, cadentibus vnica expeditione [q] quingentis millibus, orco demiſerit, & impiiſſimarũ ſuperſtitionum vinculis ligatos æterna morte trucidarit. Atque huius quidem negotij procuratorem habuit Romanum Pontificem, qui ſe natum intelligi voluit, non animarum tantummodo, ſed etiam corporum parricidam. Ille verò quos hîc ludos facit, & dum terram ſanctam vociferatur, ſubſidium terræ ſanctæ, ſepulchrum Domini à Saracenis occupatum: ſine fine, ſine modo emulget Eccleſiam, neque quicquam illi ſatis eſt vt inſatiabilem auaritiæ ſuæ ſitim reſtinguat. Legatos deſtinat qui [r] *multifariam exigant pecuniam, prædicando, ſupplicando, præcipiendo, comminando, excommunicando, procurationes exigendo, quaſi ad ſuccurſum terræ ſanctæ;* *verba*

p Sleidan. comment. lib 4.

q Matth. Pariſ. in Hen. 1.

r Math. Pariſ. in Henr. 3.

verba scribens elegantissima quæ corda hominum lapidea viderentur penetrare, nisi facta humilitati ac iustitiæ luce clariùs aduersantia sequerentur. Emittit qui populum ad votum crucis prædicando inducant, & voto obstrictos post biduum absoluant, ea conditione, *vt quantum suppetebat facultas pecuniæ suæ portionem in subsidium terræ sanctæ conferrent largiorem,* aut certè *quanta vnicuiq; ad viaticum vltramarinum sufficere videbatur.* Per illos *crucesignat valetudinarios, & senes & mulierculas,* & inhabiles quoslibet ad pugnandum, & postea vota sua nummis redimere compellit. Et quidem tanta impudentia res acta est, vt *absurdum videretur,* ait Mathæus, *etiam simplicibus, quàm diuersis muscipulis simplicem Dei populum substantia sua priuare moliebatur Romana curia, nihil petens nisi aurum & argentum:* & Henricus ipse rex legatum admoneret, *toties illos à Romana curia deceptos, vt fides iam* negotiatoribus illis haberi desijsset. Interim tamen dum instar apri syluestris vineam dominicã & agrum Ecclesię depopulatur; de testamento Christi omnia defendit, se illum esse cui cœlesti priuilegio datum est errare non posse: sibi dictum esse secundùm Petrum, [s] *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; Tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcunque ligaueris in terra, ligatum erit & in cœlo, &c.* se constitutum esse *super gentes & regna, vt euellat & destruat, & disperdat & dissipet, & ædificet & plantet: se esse spiritualem illum hominem qui iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Denique nequid desit ad Petri authoritatem, [t] Apostolatum quoque sibi vendicat, vt verba eius tanquam Apostolorum sanctissima dictata veneremur, cùm tamẽ illum esse constet onus orbis, pestem Ecclesiæ, bonorum hostem, malorum patronum, ipsissimum Antichristum.

[s] Extrauag. de maiori. & obedient. cap. Vnam sanctam. sext. de sent. & re iudicata ca. Ad Apostolicæ.

[t] Dist. 63. Porro. Extrau. g. Ioan. 22. Ad Apostolatus.

9 Iam verò de capite oleum hoc ad membra defluxit, quo vniuersa perfusa Pontificẽ olent, & de imposturis illius reliquam omnem perfidiam & apostasiam astutè dissimulant. Ac de sceleratissimis quidem moribus quos passim exercent, qui voto & habitu sanctitatem maximè promittunt, postea dicendi locus erit: hîc ea tantùm attingimus, quibus corruptæ à se doctrinæ fidei velamen obducunt. Quanquam enim certissimum sit, quod pòst videbimus, eos ab antiqua fide longissimè discessisse, & superstitionum spinis atque vrticis grauissimam conscientijs carnificinam intulisse: mirum est tamen, quibus rationum præstigijs, quàm blandis distinctionum atque exceptionum ludibrijs

integra

integra sibi adhuc omnia esse persuadent. Scilicet egregiè se rem agere putant, & quasi palmam quandam adepti sibi videntur, si quicquam vel in speciem dicere possint, quod conuictæ iam & deploratissimæ causæ mentito colore momentum afferat. Atqui verò num vlla vnquam fuisse credimus hæreticorum tanta deliria, vt nullos prætextus haberent, nullos argumentorum vmbras, quibus imperitorum oculos fallere possent, & vel somnijs suis opinionem addere, vel aduersariæ sententiæ fidem conuellere videri? Quod si in cæteris omnibus vsuuenisse compertum sit; quid mirum si Pontificijs & Antichristo, qui instar est hæreticorum omnium, & omnes omnium insinuatorias artes complexus est, sua quædam sint popularia, & prima facie venusta sophismata quibus hominum sensus permulceat, & siue parùm oculatos, siue parùm attentos in fraudem inducat. Neque enim ita Satan est ab vsu rerũ alienus, quin probè sciat mox reijci causam quæ vanitatẽ suam profitetur, & nihil habet quod pro se obtendat, ac proinde vbi maximè animarum interitum sibi proponit, ibi maximè agit vt perfidiæ venenum mellita dulcedine temperatum auidè hauriatur, neque sentiatur, donec intus conceptum virus, & passim effusum, mortiferam tabem & stupefactæ animæ soporem operetur.

10 Id ergò agit in Papismo spiritus erroris, & quæ Spiritus Sanctus dæmonum inuenta esse confirmat, ita tamen excusat, vt nihil sacris Scripturis aduersum proferre videri velit. [u] *Interdictio ciborum & nuptiarum*, teste Apostolo, *doctrina dæmoniorum est.* Quid hîc Papista? Execratur scilicet Marcionis & Manichæi blasphemiam, qui nuptiarum & ciborum institutionem condemnant, & de gente tenebrarum & malo principio fuisse prædicant. Hæresin eorum hoc loco reuinci proclamat, & strenuè causam Catholicam agit contra Marcionistas & Manichæos: sed eadem arte qua fur prehendere furem inclamat, vt omnem à se furti suspicionem amoliatur. Quid enim? An tibi, inquam, libertas non videtur interdicenda ciborum & nuptiarum? Maximè, inquit: certis enim diebus & temporibus carnibus per conscientiam vesci non licet, & certis hominibus coniugatis esse non licet. Quid ergo? annon te quoque Apostoli sententia refellit, cui religio est pro ieiunio ciborum delectus? cui scelus inexpiabile est in sacris ordinibus constituto nuptias contrahere? Minimè gentium, inquit. Neque enim cum Manichæis immun-

u 1.Tim 4.1,3.

da esse statuo, quibus tamen certa lege tempero, sed hac abstinentia satisfactionem peccatorum meditor, sanctitatem ordinis obseruo, ad meritum sublimius aspiro. Ita dum hæresin vehementer insectatur alienam, callidè introducit suam. Notantur enim ab Apostolo qui mendacia ista loquuntur, non in aperta blasphemia vt Marcion & Manichæus, sed [x] *in hypocrisi* vt Montanus, qui non institutionem creaturæ reprehendit, sed vsum intercipit; non fidei regulam palam euertens, sed exercitationem tantummodo & disciplinā sanctitatis informans, [y] *non ex fastidio* iubens, *sed ex officio* abstinere ad *reconciliandum & promerendum Deum*. Tibi ergo, mi homo, communia sunt hęc omnia cum hæretico Montano, qui tuo more reiecta in Marcionē & Tatianū Apostoli sententia, immunis ipse videri voluit. Neq; certè quicquam habes quo defensionē tuam ab hæresi iam olim damnata vindicare queas, aut hypocrisin tuam tegere, qua te constat de spiritu erroris & Antichristi mentitā istam sanctitatē profiteri.

x Ver. 2.

y Tertull. de Ieiunio.

11 Porrò hæreses perniciosas cum abnegatione Christi coniunctas Antichristus quæstui seruiens non professa impietate venditabit, sed quasi per cuniculos agendo [z] *fictis sermonibus subintroducet*. Et nunquid aliud agitur in nundinis illis Pontificijs, vbi venalem se exponere profitetur remissionem peccatorum? Non est ausus Christum verbo tollere, reipsa sustulit, qui in tabulatis, & imagunculis, & rosis, & medallis, & nescia quibus nugis ac nænijs redemptionem & salutem animæ collocauit. Verùm ita, ne palam impius videatur, vt benedictione Papali, virtutem hauriant & impertiantur sanguinis Christi. At hypocrita, quid commercij rebus istis cum sanguine Christi? aut vnde Pontifici potestas hæc, vt scorijs & stipulis salutarem Christi virtutem affingat? Quòd si tantum benedicendo possit, cur non eodem iure Solem & Lunam benedictione sanctificat, vt radijs suis influentiam nobis apportent sanguinis Christi? Etiam cibos, & soccos, & soleas; etiam agros, & equos, & asinos, & anseres, & omnia sanctitate ista perfundat, vt in eorum esu & vsu per Christi virtutem in illis inclusam remissionem peccatorum consequamur. Aut, si placet, in segmenta sua & stercora demurmuret benedictiones illas, & sacris istis reliquijs beare se dicat idiotas & filios suos, quos videt puppis suis & incantationum ludibrijs tantopere delectari. Habebit Iesuitas nobiles sycophantas, qui sputum eius execrabile dilambent, & interpo-

z 2. Pet. 2. 1, 3.

sitis animabus strenuè iurabunt vim expiatoriam & salutiferam haustam à Christi sanguine, quibuscunque ille voluerit quisquilijs & putaminibus, benedictionis omnipotentia communicari.

12 Atque hoc illis multæ fraudis operculum. Vbi diuis & deabus suis Christi honorem deferunt, & eorum meritis & intercessione dari sibi precantur remissionem peccatorum, gratiam, salutem corporis & animæ, & vitam æternam, optimè se in Christum functos officio putant, quòd ita se preces concludere aiunt, [a] *Per Christum Dominum nostrum.* In quo etsi apertè mentiuntur, quemadmodum in Litanijs & multis hinc inde precibus manifestum est, vbi meras sanctorum mediationes pro misericordia impetranda interponunt sine vlla Christi mentione: quid illos tamen iuuat, quòd vbi sanctos rerum suarum procuratores constituerint, tunc Christi nomen quasi postliminio pro forma introducunt, & otiosum illum faciunt iniuriæ suæ spectatorem? Ita quoque vbi philosophorum more meritis sibi viam ad cœlum muniendam disputant, ne tamen quicquam ad Christi iniuriam asserere videantur, meritum scilicet intelligunt [b] *tinctum sanguine Christi.* Vbi intollerabili & inaudita blasphemia satisfactionem peccatorum & redemptionem in sanctorum & martyrum passionibus & sanguine constituunt, grauissimo vulneri quo impiè Christum infodiunt mederi se censent, quòd se aiunt non aliundè quàm [c] à Christi sanguine deriuare potestatem illam quam sanguini martyrum affirmant attribuendam. Ita Christũ nefarij homines, quantum in ipsis est, quasi lenonem conducunt, & in foribus constituunt, qui Babylonicis istis fornicationibus, quibus ipse abnegatur, & procurãdis seruiat & protegendis. Quid verò potest tam impium, tam Christo aduersum excogitari, quod tamen hoc prætextu defendi nõ poterit, quòd quicquid esse dicitur, à Christo est, & ab illo vim omnem, quamcunq; habet mutuatur? Neq; verò quicquam vnquam à Satana solertius ad fraudem inuentũ est, quàm vt Christi virtutem commendare videatur vbi maximè labefactat, & perinde facit vt cyphras Arithmeticorum, quæ reliquis elementis numerum addunt, nihil ipsæ per se valent. Sic enim per illos Christus ipse nihil est: in istis verò supplementis vim suam omnem & potestatem explicat. Quòd si Christi redemptio per se valet, quorsum ista? *frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora.* Sin istis ad expiationem opus sit, impotens per se Christus & infirmus est.

a Bellarmin. de sanct. beatitudine lib. 1. cap. 17. Anglorhem. annot. in Ioan. 16. 23. margin.

b Campian. Rat. 9.

c Anglorhem. annot. in Coloss. 1 24. Bellarm. de indulgent. lib. 2. cap. 3.

Atqui hypocritas agnoſcimus de Chriſti nomine fucum facientes; quibus percommodè aptari poteſt illud Auguſtini de Donatiſtis; [d] *Verba iſta ſunt extollentium gloriam hominum ſub nomine Chriſti, vt gloria minuatur ipſius Chriſti.*

d Augu. cont. liter. Petilian. li. 2. cap. 84.

13 Sciſcitare porrò quî factum ſit, vt Papales diſpenſationes & indulgentiæ, ſiquidem à Chriſto conſtitutæ ſint, exemplo careant apud antiquos, & per tam multa poſt Chriſtum ſecula inauditæ manſerint; quid reſpondent? Nempe [e] olim homines pænitentias iniunctas ſtrenuè peregiſſe, vt indulgentijs non admodum opus fuerit: iam verò cùm ſubterfugiant plerique pænitentiam, & potiùs deſperatè perire quàm eam ſubire velint, magna pietate matrem Eccleſiam indulgentias liberiùs publicando ſaluti filiorum ſuorum prouidere. Vide verò quàm ſplendido fuco manifeſtam fraudem occultent, & inuidiam introductæ nouitatis, cuius ne veſtigium quidem apud antiquos videre eſt, mero cerebri ſui figmento ſubterfugiant. Quære ab illis, cur ſiccam Euchariſtiam populo Chriſtiano porrigant? cur illis in cæna myſtica calice dominico interdicant? Scilicet * reuerentiæ cauſa faciunt, & propter honorem ſacramenti, quia periculum eſt ne in prolixis barbis Chriſti ſanguis inhæreat, nequo caſu dum circumfertur in terram fundatur, ne vaſa ſacra populi contactu ſordidentur, ne alij alijs bibentibus faſtidium calicis concipiant, &c. At ô inſipientem Chriſtum, ô fatuos Apoſtolos & Patres ſexcentorum & ſuprà ſeculorum, quibus rationes illæ grauiſſimę & doctiſſimæ nunquam in animum venerunt, vt tantorum ſcandalorum pericula vitarent, & reuerentiam atque honorem ſacramenti & ſanguinis Chriſti populo calicem prohibendo procurarent. Iterum interroga, qua ratione condimentorum omnium & vinorum delicias, & maximas ciborum moleſtias & difficultates, contra veteris Eccleſiæ morem ieiunijs indulſerint, vt [f] *abſtinentiæ famam in delicijs quærere,* & non tam ieiunare quàm ad prouocandam gulam viciſſitudines quaſdam epularum affectare videantur? Piè ſcilicet hac quoque in parte à matre Eccleſia factum eſt, quæ [g] *vt mater pientiſſima ieiunia moderatur ex cuiuſq; viribus & valetudine*, eáque ratione debilitati ſuorum, fatiſcente iam corporum antiquo vigore, relaxatione ſeuerioris ieiunij conſulendum putauit. Quomodo apud Gratianum legimus *neminem hodiè deponi* apud illos *pro fornicatione,* [h] *quia* ſcilicet *fragiliora ſunt hominum corpora quàm olim.*

e Angl. thema. annot. in 2. Cor. 2. 11.

* Ioan. Gerſon. tract. de comun. laicorum.

f Hieron. epiſt. ad Nepotian.

g Coſter. Enchirid. cap. 16. de ieiunio.

h Diſt. 81. Maximianus & 82. Presbyter. in gloſſa.

olim. En hypocritas, qui cùm omnia pietatis & disciplinæ vincula perruperint, & Christianismum in Chimæram quandam transformarint, ratione se tamen omnia facere persuadent, & meram impietatem, ne verò vultu & natiuo appareat, obducunt pallio pietatis.

14 Superest de habitu Antichristi [i] *abhominatio desolationis:* nam & illam patres communi voce consueuerunt ad Antichristi statum accommodare. Neque id existimo temerè factum aut sine ratione, sed ex optimis principijs esse deductum, & maximi momenti esse ad veram Antichristi rationem explicandam. Quanquam enim non dubito [k] *abhominationem desolationis* apud Danielem & Euangelistam propriam de Hierosolymorum excidio interpretationem habere; quia tamen in templo & ciuitate Hierosolymitana figura Ecclesiæ præiuit, non sine probabili ratione sentio existimari potuisse, simile quiddam hac in parte Hierosolymis & Ecclesiæ contingere debuisse, ac proinde Ecclesiam suam quoque abhominationem desolationis sub Antichristo habituram. Quam vt intelligamus, attendere oportet *abhominationis* vocabulum passim in scripturis ad idolum quodcunq; & idololatriam significandam adhiberi, quo modo dicitur, [l] *Chemosh abhominatio Moabitarum, & Molec abhominatio Ammonitarum,* quam vulgatus interpres *idolum* appellat. Interdum tamen per Metonymiam homines ipsos notat idololatria contaminatos, & eo nomine abhominandos. Qua ratione *abhominationem desolationis* scriptura Romanorum copias appellat: *abhominationem*, quia erant idololatrijs & profanis ritibus abhominabiles, & propter illata in templum abhominationum suarum insignia, maxima à Iudæis detestatione habebantur: *desolationis*, quia templo & vrbi desolationem illam & extremam vastitatem attulerunt. Vno verbo, *abhominatio desolationis* perinde est acsi abhominationem dicas desolationis effectricem, siue quæ vnà secum apportat desolationem. Proinde Antichristo *abhominatio desolationis* ascribitur propter abhominabiles idololatrias quas in templum Dei, hoc est, Ecclesiam introducturus, & quibus illam contaminaturus esset, ex quibus horrenda Ecclesiæ vastitas & desolatio quædam spiritualis consecutura esset. Quod autem ab antiquis quibusdam asseritur, Antichristum prorsus idola profligaturum, vt omnem sibi cultũ arripiat, leuissima coniectura est, & fundamentum nullum habet. Quod inde

[i] Mat. 24. 15.

[k] Dan 9. 27. Mat. 24. 15.

[l] 1. Reg 11. 7.

m 2.Thess.2.4. inde quidem existimatum est, quòd de illo scriptum sit, [m] *exaltaturum se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Atqui exaltat se super omnem Deum, qui nullius Dei legibus astringi se sinit, & religionem omnem arbitrio suo moderatur & fingit; qui diuinos honores siue sibi siue idolis à se constitutis vsurpat, & ipse in idolis adoratur, quæ nonnisi illius præscripto & imperio adorantur. Denique qui [n] *hæreticas peruersasq́; doctrinas* contra Dei doctrinam asserit, *probatamq́; omnem & veram religionem suo calcat pede*, ille authore Hieronymo, extollere se dicitur super id omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Quare idolorum cultum iubere poterit Antichristus, vt nihil tamen impediat quominus dicatur *exaltare se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Atque hac ratione *abhominatio desolationis* dictus est, quòd se tanquam idolum in Ecclesia suscitabit, & adorari iubebit, & vtrunque gentium idola repudiarit, quæ sola à patribus intellecta sunt, sua tamen quædam noua confinget, & in Christianorum templis diuinis honoribus ritu à se præscripto colenda constituet.

n Hieron ad Algas.quæst.4. & 11.

15 Atque hoc quidem maximè, vt quicquam aliud, Romanum Pontificem Antichristum esse conuincit, cuius idololatriæ cum summis veterum Romanorum abhominationibus meritò comparari possunt. Qui se primò in Ecclesia tanquam idolum honorabili sublimitate collocauit, quem venerentur homines & colant geniculando, adorando, supplicando, & quem honorem vetuit Petrus sibi fieri [n] *quòd homo esset*, hunc impudentèr ille tanquam sibi debitum assumit, quòd [o] *hac in parte non sit homo*, scilicet, *sed vicarius Dei.* Qui & suam creandi numina potestatem ostendat, tanquam [p] Nabuchodonosor quidam, non aureum quidem sed triticeum deum fabricauit, & crustulo in missa diuinos cultus decreuit, vt illud omnes Dominum ac Deum suum opinentur & credant, eoque nomine procidant supplices, & omnem ei religionem exhibeant, publicata lege vt qui Deo à se facto signo dato non prostrauerit se, non camino quidem, sed rogo, hæreseos nomine ardeat, & in cineres redigatur. Porrò qua impietate superstitio gentilis heroas suos, eadem ille sanctos & martyres, quos ipsi visum est, diuos indigites, & numina consecrauit, & ritu Ethnico templis, & supplicationibus, & votis, & suffimentis, & donarijs, & omni cultu diuino non ipsos modò, sed statuas quoque & imagines illorum nomine

n Act.10.26.
o Sext. de elect. & electi potest. cap.fundamenta in glossa.
p Dan.3.1.4.

mine dedicatas honorari præcepit. Vbi quæ ab illis excipuntur de discrimine religionis & officij quo aliter Deum, aliter diuos venerantur, etsi friuola illa & otiosa sunt, nec vllo modo idololatriæ maculam abstergunt; quæcunque tamen sunt, in scholis tantummodo pro forma disputata, in templis & apud plebem prorsus ignorata & neglecta sunt. Neque verò in Italia ipsa discrimen illud seruatum est, vbi [q] *ardentiore voto, certè maiore metu colitur à plerisque diuus Antonius quàm Deus immortalis*. Et certè passim [r] *diuos diuasque non aliter venerantur quàm Deum, nec videre est in multis quod sit discrimen inter opinionem eorum de sanctis & id quod gentiles putabant de suis dijs*. Quin & quod Augustinus Deo proprium esse defendit, vt ei [s] templum nuncupetur, ita vt inde spiritum sanctum Deum esse confirmet, quòd *corpora* nostra *templum spiritus sancti* dicantur, [t] *hoc nunc fit* apud illos *quibuslibet diuis*, & templa non in honorem Dei tantummodo, sed etiam beatæ genitricis, & omnium sanctorum vbique dedicantur. Nec illis templa solummodo, sed aras quoque construunt, quæ, authore eodem Augustino, [u] pro numinibus haberi testantur eos quibus erectæ sunt. Qui verò confictis à se numinibus peculiarem veri Dei cultum transcribunt, quin nefarias idololatrias admittant, & abominationem manifestam in Ecclesiam inuehant, dubitari non potest.

q Bodin. method. hist. cap. 5.

r Ludou. Viues quuot. in August. de ciuit. Dei. li. 8. cap. 27.

s August. cont. sermon. Arianor. cap. 29. & contra. Maximin. lib. 1. art. 11.

t Erasm. apud August. cont. Maximin. art. 11. in margine.

u August. de verb. dom. secundum Matth. ser. 6.

16 Quod in imaginum causa luculentiùs adhuc & clariùs apparet, vbi non negant idem ab ipsis fieri quod ab Ethnicis factum est, cùm imaginibus cultus ab illis & veneratio defertur, sed [x] *quod à sacrilegis idololatris impiè factum est, à nobis*, inquit Andradius, *per summam pietatem & religionem fit*. Vbi accipimus quod agnoscunt, idem ipsum ab illis fieri quod ab Ethnicis factum est: ipsi viderint quàm piè faciant quod Scriptura testatur præterquam impiè fieri non posse. Neque enim ea tantùm causa idololatræ damnantur, quòd falsorum numinum simulachra & sculptilia, sed quòd simulachra & sculptilia venerantur, quòd [y] *opus manuum suarum adorent, quod fecerunt digiti eorum: quòd ante* [z] *sculptile curuantur, ante truncum ligni procidunt: quòd* [a] *ligno dicunt, Pater meus es tu*. Quæ omnia cùm in Ecclesia Romana fieri iubeantur, clarissimum est fieri apud illos quæ sacris Scripturis idolatriæ nomine seuerissimè prohibentur. Statuis vbique procumbunt; peregrinationes illis & munera vouent; in amplexus earum & oscula ruunt; lucernas illis accendunt & offerunt,

x Andrad. Orthod. explicat. lib. 9.

y Esa 2. 8.

z Ibid. 44. 15. 19

a Ierem. 2. 27.

runt, *quibus* Ethnicorum insana superstitione [b] *diem infringunt*; denique preces illis effundunt, & ab illis pro causarum suarum ratione subleuari petunt. Atque vt id faciant, inuitantur publicè, certa stipulatione remissionis peccatorum & indulgentię ad centena & millia annorum, si quis orationes has & illas ad certas quasdam imagines demurmurauerit. Ita nempe habetur in *Horis beatæ Mariæ*: [c] *Quicunque in statu gratiæ existens dixerit deuotè septem orationes sequentes, cum septem Pater noster, & septem Aue Maria ante imaginem pietatis, merebitur quinquaginta & septem millia annorum indulgentias, quæ à tribus summis Pontificibus datæ fuerunt, &c.* Sixtus Pontifex orationem confecit ad virginem Mariam, quam qui deuotè diceret [d] *coram imagine beatæ Mariæ virginis in sole, vndecim millia annorum indulgentias habiturus esset.* Quòd si [e] *idolum sit*, vt Tertulliano placet, *omnis forma vel formula, & idololatria omnis circa omne idolum famulatus & seruitus*, certè purgare se de idololatria Romana Ecclesia non potest, quæ tot vbique formis & formulis suis toto illo quem dicimus deuotionis apparatu famulatur & seruit. Cæterùm ne de illorum idololatria dubitetur, non negant se [f] crucis idolo siue formulæ latriæ cultum præstare, hoc est, eundem ipsum & totum qui debetur Deo & Iesu Christo. Denique quicquid Ethnici idolis suis attribuerunt, hoc Papistæ vendicarunt imaginibus suis, & iisdem rationibus abhominandos ritus vtrinque defendunt. Nam & Ethnici confessi sunt simulachra non esse numina sed [g] *signa numinum*; & se in illis non ligna & lapides coluisse, sed eos quorum nomine sacra facta sunt: quippe esse illa [h] *elementa literarum ad Dei notitiam condiscendam*, quæ etsi ligna essent & lapides, assistentes tamē haberent *potestates* inuisibiles, quas inuocationibus & cultu religionis elici oportebat. Qua ratione Papistæ dicunt se imagines non diuos ipsos putare, sed tesseras & symbola diuorum, [i] *idiotarum libros*, quibus quantumuis ipsæ de lignis & metallis conficiantur, tamen præstò adsint cœlestes virtutes quas eliciunt & aduocant, qui peregrinando visitant illas, & earum opem reuerentèr implorant. Atque vt Ethnici olim sacerdotes, ita quoque Pontificij simulachris suis gestus quosdam & motus indiderunt, vt in illis cœleste quiddam & diuinum inesse crederetur. Qua in re, quàm crassissimo errore, quanta Sacerdotum impostura peccatum sit, narret nobis Polydorus Virgilius, non hostis imaginum, sed in Ecclesia Romana

b Tertul. Apologet. cap. 35.

c Horæ beatæ Mariæ secund. vsum sarum.

d Chemnic. in exam. Concil. Trident. de inuocat. sanct.

e Tertul. de idololatria.

f Andrad. Orth. explicat. lib. 9.

g Athanas. cont Idola. August. in Psal. 85.

h Ibid. Athanas.

i Campian. Rat. 5

mana idololatriam in cultu imaginum palàm agnoscens. [k] *Eò, inquit, insaniæ deuentum est, vt hæc pietatis pars pariùm differat ab impietate: sunt enim benè multi rudiores stupidioresq́ue, qui saxeas vel ligneas, marmoreas, æneas, seu in parietibus pictas varijsq́ue coloribus litas imagines colant, non vt figuras, sed perinde quasi ipsæ sensum habeant aliquem, & ijs magis fidant quàm Christo vel alijs diuis quibus dicatæ sunt. Quo fit, vt stultitiam stultitiæ cumulantes, illis offerunt aurum, argentum, annulos gemmatos, omnifariasq́ue gemmas ibidem senio perituras. Et vt ad id faciendum plures inescentur, illi qui talem segetem metunt nummos perforent, filoq́ue pendentes in collo aut manibus ipsarum imaginum suspendant, donaria in locis conspicuis egregiè collocent, titulosq́ue opponant, quò nomina offerentium & dijs & hominibus notiora fiant. Sic bona pars hominum per hæc magis delirare inducitur, ac insuper longa aliquoties itinera conficere vt vnam imagunculam adeat, ibiq́ue donaria sua relinquat, prætermisso cuncto alio aut pietatis aut charitatis officio, rata se omninò sat largitionis fecisse, sat pœnituisse, si inter itionem lautiùs victitando aurum obtulisset in cuiusuis thecam nummariam indè iturum.* Enimuerò minimè ambiguum esse debet, quin horrendum quiddam & gentilismo simile in Ecclesia inualuerit, quod hanc illi tam ingenuam confessionem contra populares suos extorsit, & tantam apud illos superstitionis insaniam agnoscere coegit. Qui tamen malè mulctatus à suis, tacere cogitur quod locutus est, [l] tota illa sententia interpolata & expuncta, ne tam abhominādæ idololatriæ testimonium ferat. Cuius tamen rei mentionem frustra delent de libris, quamdiu in templis & angiportis idola publicè prostant, quibus hæc religionis officia fieri præcipiunt, quæ qui vel aspexerit, sacrilegij reus habeatur, nisi vt vulgus olim, [m] *simulachro serapidis denotato, manum ori admouens osculum labijs premat*, & officiosa salutatione crediti in illis numinis alicuius signum ostendat.

17 Atque hanc abhominationem à Deo Turcarum manu vindicandam Ioannes non obscurè prę monuit, qui solutionem quatuor angelorum vinctorū ad flumen Euphratis, hoc est, Mahometicarum familiarum egressum describens, & grauissimam calamitatem quam ab illis orbis terrarum accepturus esset, qua hominum pars tertia peritura esset, de indurata orbis malitia subiungit. [n] *Et reliqui homines qui non sunt occisi ex his plagis, non resipuerunt ab operibus manuum suarum, vt non adorarent dæmonia,*

k Polyd. Virg. de inuent. rerum. lib. 6. cap. 13.

l Index expurg. in castigat. Poly. Virg.

m Arnob. aduer. gent. lib. 8.

n Apoc. 9. 20.

b Tertul. Apolog. cap. 35.

c Horæ beatæ Mariæ secund. vsum Sarum.

d Chemnic. in exam. Concil. Trident. de inuocat. sanct.

e Tertul. de idololatria.

f Andrad. Orth. explicat. lib. 9.

g Athanas. cont. Idola. August. in Psal. 85.

h Ibid. Athanas.

i Campian. Rat. 5

runt, *quibus* Ethnicorum insana superstitione [b] *diem infringunt*; denique preces illis effundunt, & ab illis pro causarum suarum ratione subleuari petunt. Atque vt id faciant, inuitantur publicè, certa stipulatione remissionis peccatorum & indulgentię ad centena & millia annorum, siquis orationes has & illas ad certas quasdam imagines demurmurauerit. Ita nempe habetur in *Horis beatæ Mariæ*: [c] *Quicunque in statu gratiæ existens dixerit deuotè, septem orationes sequentes, cum septem Pater noster, & septem Aue Maria ante imaginem pietatis, merebitur quinquaginta & septem millia annorum indulgentias, quæ à tribus summis Pontificibus datæ fuerunt, &c.* Sixtus Pontifex orationem confecit ad virginem Mariam, quam qui deuotè diceret [d] *coram imagine beatæ Mariæ virginis in sole, vndecim millia annorum indulgentias habiturus esset.* Quòd si [e] *idolum sit*, vt Tertulliano placet, *omnis forma vel formula, & idololatria omnis circa omne idolum famulatus & seruitus*, certè purgare se de idololatria Romana Ecclesia non potest, quæ tot vbique formis & formulis suis toto illo quem dicimus deuotionis apparatu famulatur & seruit. Cæterùm ne de illorum idololatria dubitetur, non negant se [f] crucis idolo siue formulæ latriæ cultum præstare, hoc est, eundem ipsum & totum qui debetur Deo & Iesu Christo. Denique quicquid Ethnici idolis suis attribuerunt, hoc Papistæ vendicarunt imaginibus suis, & ijsdem rationibus abhominandos ritus vtrinque defendunt. Nam & Ethnici confessi sunt simulachra non esse numina sed [g] *signa numinum*; & se in illis non ligna & lapides coluisse, sed eos quorum nomine sacra facta sunt: quippe esse illa [h] *elementa literarum ad Dei notitiam condiscendam*, quæ etsi ligna essent & lapides, assistentes tamē haberent *potestates* inuisibiles, quas inuocationibus & cultu religionis elici oportebat. Qua ratione Papistæ dicunt se imagines non diuos ipsos putare, sed tesseras & symbola diuorum, [i] *idiotarum libros*, quibus quantumuis ipsæ de lignis & metallis conficiantur, tamen præstò adsint cœlestes virtutes quas eliciunt & aduocant, qui peregrinando visitant illas, & earum opem reuerentèr implorant. Atque vt Ethnici olim sacerdotes, ita quoque Pontificij simulachris suis gestus quosdam & motus indiderunt, vt in illis cœleste quiddam & diuinum inesse crederetur. Qua in re, quàm crassissimo errore, quanta Sacerdotum impostura peccatum sit, narret nobis Polydorus Virgilius, non hostis imaginum, sed in Ecclesia Romana

mana idololatriam in cultu imaginum palàm agnoſcens. [k] *Eò, inquit, inſaniæ deuentum eſt, vt hæc pietatis pars parùm differat ab impietate: ſunt enim benè multi rudiores ſtupidioreſq́, qui ſaxeas vel ligneas, marmoreas, æneas, ſeu in parietibus pictas varijſq́ coloribus litas imagines colant, non vt figuras, ſed perinde quaſi ipſæ ſenſum habeant aliquem, & ijs magis fidant quàm Chriſto vel alijs diuis quibus dicatæ ſunt. Quo fit, vt ſtultitiam ſtultitiæ cumulantes, illis offerant aurum, argentum, annulos gemmatos, omnifariaſq́ gemmas ibidem ſenio perituras. Et vt ad id faciendum plures ineſcentur, illi qui talem ſegetem metunt nummos perforent, filoq́ pendentes in collo aut manibus ipſarum imaginum ſuſpendant, donaria in locis conſpicuis egregiè collocent, tituloſq́ opponant, quò nomina offerentium & dijs & hominibus notiora fiant. Sic bona pars hominum per hæc magis delirare inducitur, ac inſuper longa aliquoties itinera conficere vt vnam imagunculam adeat, ibiq́ donaria ſua relinquat, prætermiſſo cuncto alio aut pietatis aut charitatis officio, rata ſe omninò ſat largitionis feciſſe, ſat pœnituiſſe; ſi inter itionem lautiùs victitando aurum obtuliſſet in cuiuſuis thecam nummariam indè iturum.* Enimuerò minimè ambiguum eſſe debet, quin horrendum quiddam & gentiliſmo ſimile in Eccleſia inualuerit, quod hanc illi tam ingenuam confeſſionem contra populares ſuos extorſit, & tantam apud illos ſuperſtitionis inſaniam agnoſcere coegit. Qui tamen malè mulctatus à ſuis, tacere cogitur quod locutus eſt, [l] tota illa ſententia interpolata & expuncta, ne tam abhominãdæ idololatriæ teſtimonium ferat. Cuius tamen rei mentionem fruſtra delent de libris, quamdiu in templis & angiportis idola publicè proſtant, quibus hæc religionis officia fieri præcipiunt, quæ qui vel aſpexerit, ſacrilegij reus habeatur, niſi vt vulgus olim, [m] *ſimulachro ſerapidis denotato, manum ori admouens oſculum labijs premat,* & officioſa ſalutatione crediti in illis numinis alicuius ſignum oſtendat.

17 Atque hanc abhominationem à Deo Turcarum manu vindicandam Ioannes non obſcurè prɇmonuit, qui ſolutionem quatuor angelorum vinctorũ ad flumen Euphratis, hoc eſt, Mahometicarum familiarum egreſſum deſcribens, & grauiſſimam calamitatem quam ab illis orbis terrarum accepturus eſſet, qua hominum pars tertia peritura eſſet, de indurata orbis malitia ſubiungit. [n] *Et reliqui homines qui non ſunt occiſi ex his plagis, non reſipuerunt ab operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia,*

k Polyd. Virg. de inuent. rerum. lib.6.cap.13.

l Index expurg. in caſtigat. Poly. Virg.

m Arnob. aduer. gent. lib.8.

n Apoc.9.20.

& simulachra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare. Vbi apertè causa significatur, qua commotus est Deus vt Scythicos illos canes, angelos iræ suæ, ligatos hactenus ad flumen Euphratis solutos dimitteret, & tantum brutæ gentis insano furori concedendum iudicaret. Quæ prophetia quia præterquam sub Ecclesia Romana nusquam habet de quo intelligatur, simulachris alioqui de toto orbe profligatis, ibi tantùm in honore habitis, illius obstinatam idololatriæ pertinaciam manifestè coarguit, quæ tanto iudicij diuini experimento non didicit, abiectis idolis, syncerum Dei cultum & veræ religionis puritatem instaurare. Atque hîc excusent se quoad possunt, & concinnatis rationibus imagines suas à gentium idolis distinguant; certè non habent quò prophetiam istam aliò detorqueant, aut alibi ostendant præterquā apud se, ad quos accusatio ista pertineat, quod *adorent dæmonia, & simulachra aurea, & argentea, & ærea, & lignea, & lapidea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare.* Quòd enim excipiunt non se dæmonia in imaginibus colere, sed Christum & sanctos, haud illos apud Deum excusare poterit, plusquam Israelitas & Ethnicos, qui Scripturæ voce dicuntur [o] *dæmonia coluisse*, quum simulachra coluerunt quæ sunt inuenta dæmonum, vtcunq; animus illis erat, quem isti suum esse dicunt, nonnisi deo vero, aut ijs saltem quos diuos putabant, religionem præstare. [p] *Ex desiderio mortuorum constitutæ sunt imagines*, ait Augustinus, *vnde simulachrorum vsus exortus est: & maiore adulatione diuini honores deferebantur tanquam in cælum receptis, pro quibus se in terris dæmonia colenda supposuerunt, & sibi sacrificari à deceptis & perditis flagitarunt.* Eodem errore Papistæ dæmonia colunt, dum colunt simulachra in quibus se pro sanctis dæmonia substituunt, & diuinos honores nomine sanctorum sibi factos cupidissimè arreptant. Nempe [q] *sic omnino errare meruerunt, qui Christum & Apostolos non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt.*

o Deut.32.17.

p August. cont. Faust. Manich. lib.22.c.17.

q August. de consensu Euangelist. lib.1, c.10.

18 Huic autum idololatriç constituendç quem quęso principem & ducem inuenimus nisi Romanum Pontificem, qui susceptam in se imaginum causam, eousque defendit, vt hoc nomine imperatorem Dominum suum, gliscentem iam idololatriam comprimere volentem, palam iam & apertè se Antichristum ostendens, auersari cæperit, & in eum semet extollere, ac

r primò

r primò nomen eius tanquam hæretici procudi vetuerit, deinde ab illo totum Italiæ regnum abiudicarit. Ergo authore Pontifice abhominatio in Ecclesiam introducta est, renitentibus frustra duodecim successiuè imperatoribus Constantinopolitanis, & reclamante Caroli Magni concilio * Francofordiensi, quanquam Carolo ipso nimium modestè dissentiente, qui Pontificis hac in re conatus impios non compescuit, nec adhibuit eam quam obtinuerat potestatem, ad idololatriam, quam improbasse reperitur, extirpandam. Sed debebatur hoc Ecclesiæ fato, quam oportuit iusto Dei iudicio tyrannidem Antichristi preferre, & suo malo discere quid sit oblatam veritatis lucem summo ingratitudinis scelere repudiare. Ex quo verò idololatria firmata est, incredibile dictu est quanta pestis & desolatio successerit; quàm omnia pessum ire cæperint, altera corruptela subinde alteram inferente, donec nihil sanum, nihil integrum in Ecclesia relictum est. Certè mihi faciem temporum illorum intuenti deforme quiddam apparet, monstrum aliquod præ se ferens, nihil ferè nisi barbarum spirans: nec vlla maior Babylonis confusio, nullæ densiores Ægypti tenebræ, quàm quibus Ecclesia tandem oppressa est, luce paucissimis tantùm superstite, quos Dominus ex ruinis illis conseruare decreuerat, vt olim in Israele *f reliquias*, ne genua sua Baali illi Romano incuruarent.

r Abbas Vrsperg. in Chronico. in Platin. de vitis Pontif. in Gregor. 3.

* Carol. Magni lib. cont. synodum de imaginibus.

f Rom. 11. 4. 5.

19 Ac cùm cultus omnis humanitatis & conseruatio religionis de bonarum literarum cultura dependeat, hîc inprimis suscepta plaga grauissimum Ecclesiæ vulnus inflixit. Meritò quidem Caroli magni nomen hac in causa posteritati omni honorificum esse debet, qui iacentia suo tempore studia suscitauit, & Academijs maximorum virorum concilio & operâ constitutis pro studijs promouendis & acuenda industria, præter cætera præmia, titulos honorum & graduum, vt loquuntur, nomina decreuit, proficientibus in rerum bonarum cognitione pro cuiusque merito conferenda. Verùm ignis ille breui sopitus est, & socordia principum atque ignauia relabi omnia cæperunt, & iterum frigere studia quæ inuitari desierant. Itaque creuit mirum in modum prodigiosa rerum omnium inscientia, & ea quę remansit vmbra studiorum corrupit omnia, & sordidum nescio quid pro germana & solida eruditione venditauit. Squalidæ artes & incultæ iacuerunt, nec verus liberalium disciplinarum vsus innotuit: quas cùm nemo esset qui rectè traderet, nemo rectè

 percepit,

percepit, aut finem & fructum operæ suæ preter otiosum scientiæ nomen intellexit. Et quanquam manserunt in Academijs graduum & honorum nomina, manserunt tamen indicia temporum magis quàm insignia doctorum, nec meritis, sed annorum spatijs & pretio cesserunt. Quare nemini negata sunt qui soluendo esset, modo statum terminum impleslet, & præscriptas quasdam formulas perfunctoriè præstitisset. *Inde* [t] *tot per Galliam, Germaniam, Italiam, Romæ quoque credones, sartores, coqui, rhedarij, nautæ, fabri, & peiores ijs grassatores latronesq́. artium vel magistri vel batallarij*, vt grauissimè Ludouic. Viues & iustissimè conquestus est. Inde in *magistris nostris* sunt habiti, quos constat fuisse bardos & stultos, & non modò artium, sed ne linguæ quidem Latinæ vel rudimenta calluisse. Qui tamen obtentis graduum honoribus superciliosè se iactitare consueuerant, & cothurnati per omnia incedere, &, qua erant imperitia & impudentia coniuncta, rerum non intellectarum definitiones audacissimè pronunciare. Ex quo factum est, vt [u] *deformosissima portenta sint illata in ius ciuile, in Theologiam, in poetas, in oratores, sublatis eo tẽpore linguis; clausa cognitione vetustatis, extincta luce omni qua declarandi essent authores, obscuratis artibus, remotis à sensu communi, conuersis ad ludicra quædam spinosa & inamœna sine vllo penitus emolumento & fructu ad vitam.*

t Ludou. Viues de caus. corrupt. artium.

u Ibid.

20 Atque inter has sordes schola nata est, laudanda illa quidem aliquantulũ ob diligentiam, sed multò magis vituperanda, quòd Harpyarum more vbicunque manus iniecerit omnia fœdarit, rixis & contentionum clamoribus omnia turbarit; nihil in rebus certum, nihil exploratum esse permiserit. Quæ dum id solùm spectat, vt susceptam à se sententiam gladiatoriè tueatur & defendat, nec attendit quid verè dicat, sed quos habeat subterfugiorum recessus, vt aduersariam sententiam vtcunque verissimam eludat, quibus argutiarum spinis ingenia studiosorum vexat magis quàm erudit? quibus subtilitatum ineptijs ludit? quas distinctionum chimæras excogitat, [x] *tormenta*, vt ille loquitur, *cruciandæ simplicitatis & suspendendæ veritatis?* Hîc videre est [y] *theologos ascriptitios, qui vniuersas quæstiones theologicas friuolis argumentis absoluerint: qui vanis inualidisq́. ratiunculis magnum pondus rebus grauissimis detrahentes ediderunt in theologiam cõmentaria vix digna lucubratione anicularum: qui sophismatum fæces in scholam inferentes, & ad risum viros doctos incitant, & delicatiores ad*

x Tertull. de Anima. cap. 8.

y Melch. Canus loc. commun. lib. 8. cap. 1.

ad contemptum: homines ad discordiam natos, pertinaces, omniaq; scalpentes theologos, qui tum optimè se disseruisse putant, cum contra doctores dixerint, vt non tam verum inuenisse velle videantur, quàm aduersarios conuincere, concertationibus & rixis totas chartas implere: quorum tota de re theologica disputatio partium studium est, contentio atque dissidium. Per istos theologia susq; deque est habita, nec illius ferè quicquam præter nudum nomen superfuit: fides illorum arbitrio vltrò citroque fabricata est; nulla superstitio cui operculum inuenire non possent: nullus ritus tam prophanus, tam ineptus, quem non inter mysteria consecrarent: nihil tam absurdum in dogmate, cuius vinculum mira se lubricitate non putarent euadere posse. Interim verò quæ quæstionum monstra confingunt, quas idæas speculantur, quæ rimantur arcana, quos nectunt perplexitatum nodos & labyrinthos, quibus ingenia citra finem torquent, conscientiam haud magis ædificant, quàm si de asini vmbra disputarent? Itaque inter ista certamina friget pietas, neque aliud est ferè tota schola quàm sophisma religionis, rerum diuinarum tractationem magnificè promittens, & nullo modo cor in Deum promouens. Neque verò aliter fieri potuit, postquam deserta luce diuina, in lacunis hominum acquiescere cæperunt, & veritatem quam ex sacris scripturis haurire oportuit, de Aristotele magis, & Magistro sententiarum, & Gratiani decreto petendam iudicarunt. Hoc enim ad scholæ contumeliam maximè accedit, quòd abiectis diuinorum oraculorum monumentis, de scriptis Ethnicorum, & putidis quibusdam suorum commentariolis sapere maluerit. Erat enim rarissimus qui scripturas attingeret, aut quicquam ex illis calleret præter truncas quasdam & mutilatas sententias, quas siue in missalibus siue in commentarijs quos euolueret, interspersas reperiret. Exulabant Christus & Paulus, & pro illis magister sententiarum, aut certè Angelicus Doctor, aut subtilis, aut Seraphicus, aut Irrefragabilis auditus est. Quantum erat probrum temporum illorum quod commemorat Rob. Stephanus, Theologos quosdam è Sorbona ab ipso interrogatos quo loco noui Testamenti hoc aut illud scriptum esset, respondisse, [z] *se illud apud Hieronymum aut in decretis legisse, quid vero nouum Testamentum esset ignorare?* E quo collegio alter quidam cum è nostris iuniores quosdam audisset nouum Testamentum commemorantes; [a] *Miror, inquit, quòd isti iuuenes allegant nobis nouum Testamen-*

[z] Rob. Stephan. præfat. respons. ad censur. theolog. Paris.

[a] Ibidem.

Testamentum; per diem, ego habebam quinquaginta annos quòd nesciebam quid eßet nouum Testamentum. O prodigium! Quantas fuisse necesse est Ecclesiæ tenebras, quando qui se magistros profitebantur orbis terræ,& maximæ religionis columnæ videri volebant,tanta inscitia tenebantur,vt quid esset nouum Testamentum non intelligerent? Sed ita sub Antichristo fieri oportuit,vt luce omni sub modio sepulta,liberiùs ille & sine suspicione fraudem faceret. Haud dubium verò quin qui in sacris literis ita prorsus hospites fuerunt, egregios populo commentarios ediderint siquando vsus postularet; qualem ille apud Erasmum [b] magni nominis theologus, quem, inquit, honoris causa non nomino, qui verba Prophetæ Abacuc, *Turbabuntur pelles terræ Madian,* de cute Bartholomæi excoriati interpretatus est. Sic enim solebant ad Legendas suas & fabulas detorquere omnia, & lutosis pedibus purissimos scripturarum fontes, siquando ad illos accederent, pessimè turbare. Ex quo videre est apud illos allegationes tam ineptas, tam prauas, tam detortas, tam disiunctas à rebus propositis, vt aut insanos aut impios dixeris, qui sacros codices, oracula ipsa diuina, tam improbè tractarint. Quarum qui egregium specimen habere voluerit, consulat ille [c] decretales Pontificum epistolas, & miretur indoctos nebulones sacram hanc mensam fœdissimo vomitu conspuere ausos, & inquinatissimis pedibus diuinas voces tam proiecta impudentia proculcare.

[b] Erasm. in epist. Hieron. ad Heliodor.

[c] Dist. 11. Non decet. Decretal. de maior. & obedient. ca solitæ sext. de elect. & elect. potest. c. fundamenta. Extrauag. de maior. & obedient. [illegible]m sanctam. & passim.

21 Qui verò scripturas tam indignè tractarunt, nihil mirum si patres irreuerentèr habuerint, quorum illi se custodes fuisse gloriantur, sed ita vt talium custodum meritò patres pertæsum esset, qui quos conseruasse se aiunt, tam malè mulctatos nobis tradiderunt, mutilatos, depravatos, à tineis & blattis exesos, vt vix sua relegere patres, si reuiuiscerent, vix cognoscere possent. Qua de re iustissima est Erasmi querimonia ad Waramum nostrum Archiepiscopum Cantuariensem: [d] *Ex tot,* inquit, *eximijs verèq́; sacrosanctis authoribus quos nobis vel erudita dedit Græcia, vel huius æmula prodidit Italia, vel olim studijs florentißima produxit Gallia, vel ingeniosa peperit Aphrica, vel laboris patiens edidit Hispania, rara quadam eruditione suspiciendos, eloquentia claros, vitæ sanctimonia venerandos, quæso te, quàm pauci supersunt, casu seruati magis quàm beneficio nostro? atque hi rursum ipsi quàm fœdè mutili, quàm contaminati, quàm prodigiosis mendis vndique scatentes,*

[d] Erasm. epist. ad Waram. Archiepisc. Cantuar. apud Hieronym.

tes, vt non magni referat sic superesse? Calceos sanctorum & sudariola mucco sordentia exosculamur, & eorundem libros, sanctissimas & efficacissimas diuorum reliquias, neglectos iacere patimur. Tuniculam aut indusiolum sanctorum aureis gemmatisq́; thecis reponimus, & libros ab illis elaboratos, in quibus id quod illorum fuit optimum nobis adhuc viuit spiratque, cimicibus, tineis ac blattis impunè rodendos relinquimus. Neque verò, inquit, *difficile sit huiusce rei causam coniecturis assequi. Postquam enim principum mores planè iam in barbaricam quandam tyrannidem degenerassent, tum episcopi prophanam ditionem magis cœpissent amplecti quàm ab Apostolis traditum docendi munus, mox vniuersa docendi prouincia in istos quosdam est relegata, qui charitatis & religionis cognomen hodie ceu peculiare sibi vendicant: iam negligi cœptæ bonæ literæ, fastidita græcanici sermonis peritia, multoq́; magis Hebraici, spretum eloquentiæ studium, quin & ipsa lingua Latina sic conspurcata est subinde noua barbarie, vt iam nihil minus esset quàm Latina, nec historiæ, nec geographiæ, nec antiquitatis vlla cura: tantùm ad sophisticas quasdam argutias contracta res literaria, & eruditionis summa penes summularios quosdam collectores & excerptores esse cœpit, hoc nimirum impudentiores quò minus habebant eruditionis. Proinde veteres illos scriptores vel antiquari passi sunt, vel quod vero propius est, ipsi abolendos curárunt, vt quos iam frustra legerent, nimirũ his rebus distituti sine quibus illi non queant intelligi. Sub horum diutina tyrannide tanta fuit bonarum literarũ & bonorum authorum πανώλεθρία, vt è doctorũ ordine pelleretur qui vel paululum literaturæ melioris attigisset. His rebus factũ est, vt tot orbis lumina quorũ titulos duntaxat, nec id sine lachrymis, legimus, funditùs interierint, & siquos contigit suis superesse fatis, hi sic modis omnibus deprauati sunt, adeò truncati contemeratique, vt fœlices videri possint qui perierunt.* O optimos illos bibliothecarios, quibus tanti erat vt tam opulentos pietatis & sapientiæ thesauros non iacere modò apud se incultos, sed maximo rei Christianæ dispendio interire paterentur! Sed ad rem illorum intererat scilicet, vt antiquitatum Ecclesiasticarum monumentis penitùs è medio sublatis, quidlibet illis pro libito suo ementiri liceret. Atque hîc execranda erant nonnullorum cùm audacia, tum impudentia, qui cùm vix essent cum sutoribus & opilionibus coæquandi, se tamen in illis tenebris pro Augustinis, & Hieronymis, & Ambrosijs obtruserunt, & chartarum suarum meris sordibus tantorum virorum nomina præfigere non formidarunt. Cuiusmodi laruas

laruas innumeras in monumenta patrum irrepsisse videmus, & scripta illorum præ cæteris contaminasse, quos maximi nominis & authoritatis esse senserunt. Quod haud magnum erat vt facerent in illa temporum inscitia & inertia: vt autem nunc eodem numero habeantur, & alba linea sint omnes in albo saxo planè impium fuerit, & immanem in nobiles illos Ecclesiæ herias ingratitudinem prodet. Quod tamen Pontificiorum genus inprimis cupit, & excrementis illis antiquorum patrum facies & nomina conspurcat, vt vbi destrui sua vident veris authoribus, habeant tamen vnde astruant supposititijs. Quamquam illis haud magni momenti res est quid à patribus vltróue dicatur, quorum res omnis non à scripturis, non à testimonio antiquitatis, sed ab ore Pontificis & Ecclesiæ suæ decreto dependet. Vno namque ictu Bellarminus totius antiquitatis, & conciliorum omnium authoritatem elidit. [e] *Omnium*, inquit, *conciliorum veterum & omnium dogmatum firmitas ab authoritate præsentis Ecclesiæ dependet. Non enim habemus testimonium infallibile quòd concilia illa fuerint & legitima fuerint, & hoc aut illud definierint, nisi quia Ecclesia quæ nunc est & errare non potest, ita sentit & docet. Quod enim historici quidam meminerint illorum conciliorum, non potest parere fidem, nisi humanam, cui potest subesse falsum.* Qua vna ratione, patrum omnium, & antiquorum scriptorum fidem & authoritatem omnino subuertit. Quod si eò diceret, vt Deo in sacris Scripturis loquenti fidei honor omnis & authoritas habeatur, haberet ille quo se defenderet: iam verò qui eò spectat, vt magis Pontifici, homini scelerato & sacrilego, & improbæ rabularum turbæ, quàm concilijs & historicis & antiquitati omni credatur, næ ille, vt est insanus, flagris ad se reducendus esset, & monendus, stylum deinceps à conuicio tantorum hominum, & hac scribendi petulantia temperare. Cæterùm quo numero patres apud illos habiti sint, inde manifestum est, quòd [f] *de moribus, de probitate, de religione locuturi, tam graues authores gentiles esse rati sint quàm Christianos. Paria erant quæ Cicero, & quæ Hieronymus, vel Chrysostomus dixit*, & vnus Aristoteles mille doctorum instar esse putabatur: de tripode oraculum erat quicquid de scriptis illius authoritatem habebat. Ita postquam scripturarum iugum superbè abiecerant, nihil illis deinceps sanctum, nihil intemeratum esse poterat, & parem calamitatem omnia pietatis & religionis adminicula experta sunt.

e Bellar. de Sacram. lib. 2. c. 25.

f Ludou. Viues de caus. corrupt. artium.

22 Iam verò è schola hunc in modum corrupta, quæ quasi seminarium Ecclesiæ esse debebat, quos Ecclesiastas prodire necesse fuit, nisi tumidos, contentiosos, indoctos, excordes, nullo pietatis sensu præditos, nomine tantùm insignes, ad Christianæ plebis institutionem prorsus ineptos? Et hoc quidem Satan in Ecclesiam pessimè consuluit, vt veris doctoribus & spiritualis ministerij necessario præsidio destituta, superstitionibus immersa iaceret, & veram salutis rationem nunquam attingeret. Vidit enim pro se facere, vt multitudinem cæcam & inermem præeuntes cæci duces in foueas & præcipitia solicitarent. Quare modis omnibus perfecit, vt submissi pro veris pastoribus mercenarij & lupi, gregem depascerent, & ventri tantummodò seruientes, oues dominicas Satanæ mactandas propinarent. Ingemuit ad hanc Ecclesiæ calamitatem Bernardus, & lamentabili oratione descripsit: [g] *Qui animas regere susceperunt, quod sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa flagella, clauos, lanceam, crucem & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflant & profligant in acquisitionem turpis quæstus, & precium vniuersitatis suis marsupijs includere festinant, hoc solo sanè à Iuda Scariothis differentes, quòd ille horum omnē emolumentum denariorum numero compensauit: isti voraciori ingluuie lucrorum infinitas exigunt pecunias. His insatiabili desiderio inhiant: animarum nec reputatur casus nec salus.* [h] *Sponsa Christi pauper & inops & nuda relinquitur facie miseranda, inculta, hispida, exangui: non est hoc tempore ornare sponsam sed spoliare; non est custodire sed perdere: non est defendere sed exponere: non est instituere sed prostituere: non est pascere gregem sed mactare & deuorare. Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus inuigilet subditorum marsupijs vacuandis, quàm vitijs extirpandis? O vtinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram? non sinerent de se dici, Amici mei & proximi mei aduersùm me appropinquauerunt & steterunt. Iusta omnino querimonia, nec ad vllam iustius quàm ad nostram referenda ætatem. Parum est vigilibus nostris, quòd non seruant nos, nisi & perdant. Alto quippe dimersi obliuionis somno, ad nullum dominicæ comminationis tonitrum expergiscuntur, vt vel suum ipsorum periculum expauescant. Inde est vt non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter & pereuntes.* [i] *Cadit asina & est qui subleuet eam: perit anima & nemo est qui reputet.* Neque verò quisquam ferè erat illorum temporum, cui reliquum erat quicquam pietatis

g Bernard in Cant. Serm. 10.

h Serm. 77.

i de Consider. ad Eugen. lib. 4.

tatis & conſcientiæ, qui de animarum cura vniuerſi.n & ad prodigium vſque neglecta, tanquam hiſtoriam quandam non explicarit cum luctu & lachrymis, & epiſcopos paſſim ac paſtores aucupijs, & venationibus, & comeſſationibus, & ſecularibus ſtudijs & artibus quoque illicitis & Necromanticis deditos, iacente interim Eccleſia, non perſtrinxerit. Inde epiſtola conficta circiter annum Domini 1072 à mortuo quodam, vt ferebatur, populari ſuo tradita, [k] in qua *Satanas & omne contubernium infernorum omni Eccleſiaſtico cœtui gratias emiſit, quòd cum in nullo voluptatibus ſuis deeſſent, tantum numerum ſubditarum ſibi animarum ſuæ prædicationis incuria paterentur ad inferna deſcendere, quantum ſecula nunquam retroacta viderunt.*

k Math. Pariſ. in Williel. Conq.

23 Quod quidem non erat negligentiæ tantummodo deputandum, quia ſublecti ſunt in miniſterium Eccleſiæ homines deſpectiſſima ignorantia, muti canes, non valentes latrare, qui cùm ſibi nihil ſcirent, alijs magiſtri ſcientiæ eſſe non poſſent. Quemadmodum enim [l] Ieroboam, vt idololatriam quam ſuaſerat Iſraeli commodiùs tueretur, ex infima & abiectiſſima plebecula Sacerdotes ſibi legit, quorum neque animi neque opis eſſet populum ad veram religionis culturam reuocare: ita Pontifex Romanus, & reliqui hierarchiæ Antichriſtianæ proceres nihil ſibi tutius fore iudicarunt ad ſuperſtitiones & idololatrias quas ad rem ſuam inuexerant propugnandas, quàm vt in Eccleſiarum excubijs collocarent cæcos qui nihil videre poſſent, & abiectiſſimos homunculos in cathedram eueherent, quos metu facillimè in obſequio continerent. Neque enim à præfectis Eccleſiarum quicquam amplius expectatum eſt, quàm vt miſſales formulas quomodocumq; præſtare poſſent, & ieiuna liturgiæ non intellectæ ceremonia defungi. Neque id verò ſemper expectatum eſt, quando etiam puerulis & impubibus Eccleſiæ commiſſæ ſunt, quibus per ætatem ne oſtiarijs quidem Eccleſiarum eſſe liceret. Quæ quanquam erant indigna, tamen indignitatem Pontifex auxit in immenſum, [m] *debacchantibus vbique legatis eius ac ſi ad flagellandam Eccleſiam Satam egreſſus eſſet à facie domini*; neque quicquam reliquum facientibus quominus illam in infernum præcipitem darent. Quantus hîc campus patet orationis, vt dicam quot Epiſcopatus, præbendas, dignitates, beneficia, quàm infinitos Eccleſiarum reditus per Angliam, Germaniam, Galliam, &c. diſpenſationibus, prouiſionibus, reſeruationibus,

l 1. Reg. 13. 33.

m Ioan. Sariſburienſ. in Polycrat. citat Baleus ſcrip. Britan. cent. 2.

tionibus, commendis, vel sibi ceperit, vel suis indulserit, nepotibus, Cardinalibus, Romanis, alienis, greges quibus præesse dicebantur nunquam inspecturis. [n] Trecentis simul Romanis totidem beneficia in Anglia primò vacantia prouideri iubet, & hoc in mandato dat Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopis Lincolniensi & Sarisburiensi, & eos à beneficiorum collatione suspendit, donec mandatum eius implerent. *Vnde stupor magnus*, ait Mathæus, *corda hæc audientium occupauit, timebaturq́; quòd in abyssum desperationis talia audens mergeretur.* Grauissimè habuit Robertum Grosthead Lincolniensem Episcopum hæc Pontificiarum prouisionum inaudita vsurpatio, & literis Pontificijs responsum mittit plenum grauitatis & Christianæ pietatis, sed malè acceptus experimento didicit quod & moriturus expressit, [o] Romanum Pontificem esse ipsum verissimè Antichristum. Interim verò dum enormitatibus istis locus præbetur, sedent ad clauum Ecclesiæ pro pastoribus idola pastorum, mancipia & lixæ, qui vix digni sint qui stercoribus hominum annumerētur. Hanc quoque pestem monasteria propagarunt, quæ opimos quosque reditus Ecclesiarum *appropriationum* vocabulo, diplomate Pontificio, prouentibus suis addendos curarunt, relicta interim Curato portiuncula, quæ vix sæpe opiloni aut baiulo curandis ouibus aut ferendis oneribus sufficere posset. Et illam mercedem qualemcunque vilem & sordidam, si in vicino locus esset plerumque ex ipsorum armento bardus quispiam percepit, vt pro forma parochi munus obiret, cùm ne ad pueros quidem catechismo imbuendos eruditus esset.

n Math. Paris. in Henr. 3.

o Math. Paris. ibid.

24 Et certè monasteria quoque *abhominanda desolatio* peruaserat, neque quicquam ibi relictum est ad ruentem iam fidem & Ecclesiam fulciendam. Quanquam enim videntur in secessu illo atque otio semoti à turbis secularibus, maximam studiorum & omnimodæ sanctitatis opportunitatem habuisse: tamen in affluentia rerum omnium crapulæ tantùm & libidini seruientes, in extremam inscitiæ infamiam, & vitiorum omnium immanem gurgitem tanquam impetu quodam prolapsi sunt, ita vt per illorum mores dæmonum stabula facta sint, quæ studiosorum ἀσκητήρια & domicilia sanctorum esse debebant. Monasticæ vitæ institutū cum singulari primò sanctitatis opinione coniunctum, etsi ab ipsis ferè initijs, postquam exoleta Ethnicorum principum tyrannide sponte coli cæpit, mirā superstitionis vertiginem

& insaniam apertè prodidit; incredibile est, postquam regulis astrictum est, quantam hypocrisin, quantos hypocritarum exercitus pepererit, quantas importarit in Ecclesiam religionum confusiones, quæ monstra errorum & blasphemiarum, quàm ingentes superstitionum aceruos, quibus subuersa Christi fides, & vera pietas tanquam in exilium pulsa est.

25 Ac de hypocrisi tota Monachismi ratio conflata est, vt illum haud incommodè quis splendidissimam, & solenni voto dedicatam hypocrisin definire posse videatur. Quæ quasi parum quiddam esset in illa pietate, quam communem omnibus sacræ Scripturæ præcipiunt, nolens in vulgari & despecto vitæ officio subsidere, sublimius quiddam & eminentius in regulis suis sibi promittit, cuius opinione mirum in modum turgescit, & cum fastu arrogantissimo depellit alios: [p] *Recede à me, ne appropinques mihi; quia sanctior sum te.* Enimuerò in monachali habitu totius sanctitatis & iustitiæ summa conclusa esse putatur, & dementissima superstitio [q] *passim & seriò quicquid de mundo, hoc est, de mundana vita dictum est, id detorquet ad communum Christianorum vitam; quod de sequendo Christum, id trahit ad monachorum vitam:* huic religionis cognomen ceu proprium affingit: reliquum genus hominum ferè profanum putat de suorum meritorum redundantia subleuandum. Quasi nempe expeditiorem ad cœlum viam tradiderint in regulis suis Franciscus & Dominicus, quàm in Epistolis suis Petrus & Paulus: quasi fœliciores illi quòd patres fuerint Monachorum, quàm isti quòd Christianorum: quasi minùs perfecti fuerint fideles & sancti fratres exemplo Patriarcharum, & Apostolico instituto in coniugio & rerum ciuilium commercio vitam agentes, quàm Circumcelliones illi mendicantes & otiosi, quòd cœlibes agant, & ex instituto suo vesano quotidiana certorum rituum pensa persoluant: quasi de voluntarijs & superfluis operibus perfectionem acquirant, quibus tam longè abest vt necessario germanæ pietatis officio satisfacere possint. Cæterùm apprimè ad illos spectat illud Christi, nec minùs quàm ad Pharisæos, [r] *Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Esaias, Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me. Frustra autem me colunt, docentes doctrinas præcepta hominum.*

26 Quanquam non eò solùm hypocritæ, quòd sanctitatem maiorem in regulis suis quàm in diuinis præceptis arbitrantur, sed

[p] Esa.65,5.

[q] Erasm. in epist. Hieron. ad Heliodorum.

[r] Mat.15.7,8.

ſed etiam quòd diſcedunt prorſus à regulis ſuis, & longè aliud opere ſint, quam voto & inſtituto videri volunt. Intueamur monachos, & illas ex ſanctimonialibus moniales: proh Deus, quæ illi ſtupra, quos inceſtus & adulteria, quæ infanticidia & parricidia ſub habitu religionis & prætextu cœlibatus occultarunt? Sub nomine paupertatis quas ſibi opes, quæ territoria, quantam palatiorum magnificentiam, quantum ſplendorem argenti atque auri, quantas rerũ omnium amænitates occuparunt? Quantæ res illorum, quanta potentia, quando monaſteriorũ * quindena millia numerata ſunt ſolis mendicantibus intra trecentos annos conſtituta; ante quos † Benedicti cœnobia fuerant mille quingenta Abbates habentia præter præpoſituras, prioratus, & cœnobia monialium tanto numero, vt vnus ille tertiam ferè partem orbis Chriſtiani tenere videretur? Neq; mirum, quando vna || Ieſuitarum recentiſſima ſecta, intra ſexaginta annos, ducenta quinquaginta ſex collegia ſibi conſtruenda, & ampliſſimis prouentibus per ſcelus & fraudem dotanda procurauit. Quorum omnium, quando delicijs fruuntur huius mundi, nec vlla re deficiant quæ vitam reddat ſuauiſſimam & gratiſſimam, profeſſio vna eſt, Quòd mundo valedixerint, & pro Chriſto carnem crucifigant, vt ille qui ventre ita diſtento epulis, vt ilia propemodum rumperentur, Ecce nos, inquit, quanta patimur pro Chriſto? Porrò ſub humilitatis & obedientiæ profeſſione quos faſtus, quantos tumores, quantam ſuperbiam, rebellionem, moroſitatem aluerunt? & dum charitatem mentiuntur, tigridum more, ſicubi ſtomachantur, ferociſſimè pugnant. Vide illorum inter ſe concertationes & prælia; Lapithas dixeris & Centauros in mutuam cædem furentèr armatos, neq; vſquam repereris qui lites ſuas maiori virulentia & acerbitate proſequuntur. Et iſti tamen ſanctuli ſcilicet, & religioſuli merito tantopere valent, vt alijs quoque *participium bonorum operum ſuorum* impertiri non vereantur.

* Hoſpinian. de orig. Monachat. lib. 6. cap. 72.

† Idem lib. 4. ca. 5

|| Idem lib. 6. cap. 66.

27 Cum hypocriſi confuſio coniuncta eſt, quæ tanta erat, vt ſatis illa verbis explicari non poſſit. Quemadmodum enim collapſa olim apud Iudæos veræ religionis conſcientia, fuerunt qui varias de cerebro ſuo confictas religiones vſurparent, & pietas quę vna erat ex lege diuina, in diuerſas plurium ſectarum familias & diſciplinas diſtracta eſt: ita in hac Eccleſiæ vaſtitate, poſtquam labefactata Chriſti fide hypocriſis illa in animos & opinionem

opinionem hominum per fraudem irrepſerat, & monachiſmus per ſimplicem turbæ credulitatem & ſuperſtitionem, non honori ſolùm, ſed etiam quęſtui eſſe, & otioſis quibuſq; atque ignauis abdomen alere cœpiſſet, [f] *quotidiè fuerunt, qui vt ignauiæ ſuæ potiùs quàm religioni conſulerent (viles animæ quiduis pati malentes quàm ſe in arte aliqua exercere) nouas niertiæ ſectas inducere conati ſunt.* Itaque factum eſt, vt religiones in infinitum multiplicatæ ſint, & quæ initio vnius ferè Benedicti nomine conſecratæ habebantur, in tot claſſes & familias abierint, vt vix earum numerus iniri poſſit. Dominico non ſatisfacit Benedicti regula; alteram ipſe ſuam meditatur: neque Franciſco Dominicus placet, ſed excelſius ille quiddam ſibi promittit. Alteri Franciſco Minorum ordo non ſufficit; proinde nouam Minimorum ſectam excogitat. In reliquis Celeſtinus Pontifex quiddam deſiderat, & Celeſtinorum ordinem de nomine ſuo confirmat. Quid commemorem Carthuſianos, Ciſtercienſes, Præmonſtratenſes, Carmelitas, Crucigeros, Brigidenſes, Flagellantes, Ieſuatos, Ieſuitas, Clauigeros, Forficenſes, & reliquam ſectarum ſingularum innumerabilem turbam, ſingulos authores habentium, qui pro vno Chriſto vero Eccleſię capite ſucciſo plura tanquam hydræ capita ſerpentina ſuccreuerunt? Qui Chriſtum inter ſe partiti, ſinguli à ſe oſtentant, & viam ſalutis quam ipſe in ſe vno calcandam præbuit, in ſingulis regularum ſuarum ſterquilinijs expeditam promittunt. Quare cùm omnes ſatisfactionem peccatorum & eminentiam pietatis & perfectionis apud ſe præſumunt, innumera redemptionum & perfectionum pluſquam anilia figmenta prodiderunt; pietatem Chriſtianam, quæ vnica & ſimplex eſt, infinitam fecerunt & nullo limite concluſam, quia penes aſinum & ganeonem quemque eſt, Pontifice annuente, vt nouas Eccleſię pietatis normas & leges indicat; denique Eccleſiam quæ vna & ſolius Chriſti eſſe debuit, quaſi deam quandam Syriam de diuerſis numinibus compactam multiformem finxerunt, & partem Franciſco dederunt, Dominico partem, partem Benedicto, & cæteris ſuam cuique partem, deum omnes vario ritu promerentes; quaſi cum [t] Themiſtio ſentientes deum iſta diſparitate religionum oblectari, nec ad ſe vno tantùm modo perueniri velle. Itaque in illud incurrerunt de quo Corinthios Apoſtolus grauiſſimè reprehendit, dicentes, [u] *Ego quidem ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ,* &

[f] Pol. d. Virgil. de inuent. rerum. li. 7. cap. 2. & 5.

[t] Socrat. hiſt. lib. 4. cap. 27.

[u] 1. Cor. 1. 12.

& hac ratione se tanquã in diuersa collegia dispertientes. Quod enim excipit Bellarminus distare causam Corinthiorum & Monachorum; ideò namque Corinthios ita dixisse, [x] *quia baptismi virtutem putabant*, quod Monachi non putant, *à baptizantis probitate pendere*, ac proinde alij se alijs meliùs baptizatos existimabant; vt non ipsam propter se diuisionem Apostolus, sed tantùm opinionem illam improbasse videretur, impudentèr ab illo confictum esse manifestum est, quando Apostolus sub illis nominibus rem proponat in quibus exceptio probitatis esse non posset, & se profiteatur baptismi executionem plerunque refugisse, non quòd dubitaret sibi fortasse sacramenti virtutem imputandam, sed ne videretur * *in nomine suo*, siue *in nomen suum* potius *baptizasse*, hoc est, baptismo ambitiosè administrando discipulos quidem Christo, sed de nomine suo, nuncupandos congregare voluisse. Id quod Monachorum patres inprimis dant operam, non baptizando, sed regulam suam propagando, & gloriæ sibi esse ducunt, vt numerosissimos discipulorum greges in familias suas & nomina seorsim conscribant. Qua de re audiant expressam Hieronymi sententiam, eamque sibi habeant: [y] *sicubi audieris eos qui dicuntur Christi non à domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vtputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses siue Campates, scito non Ecclesiam Christi sed Antichristi esse synagogam.* Quod autem adiungit; *Gloriabantur Corinthij se filios esse spirituales excellentium virorum*, ita monachos attingit, vt mirum sit à *Bellarmino* monacho studiosissimè celatum non fuisse.

x Bellarm. de mem. Eccles. qui est de Monachis. lib. 2. cap. 6.

* 1. Cor. 1. 15.

y Hieron. aduer. Luciferianos, sub finem.

28 Operæpretium est enim animaduertere sectarij isti quibus tabulis singuli conditores suos, & hi quoque seipsos commendant; vt miserrimum fuisse statum Ecclesię non dubitemus, vbi de tam fœdis imposturis iudicium ferri non posset. Quemadmodum enim Ethnicorum sacerdotes, vt abhominandis mysterijs authoritatem acquirerent, ea se à dijs accepisse finxerunt; ita nebulones isti, vt suum quisque ritum in vulgus probatum reddat, instinctu & admonitu cœlesti se omnis tentasse præ se ferunt. Itaque Præmonstratenses, qui ijdem quoque Augustinenses dicti sunt, [z] Augustinum apparuisse mentiuntur & regulam suam comprobasse. [a] *Ieiunantes* cælitùs sibi reuelatum finxerunt, *ieiunium in pane & aqua omnibus ferijs sextis* sufficere ad remissionem omnium peccatorum, modò se iuramento ad huiusmodi

z Hospinian. de orig. Monach. lib. 5 cap. 11.

a Ibid, cap. 17.

b Lib.6.cap.3. iusmodi iejunium obstringerent. De approbando [b] Carmelitarum ordine Papa per visionem nocturnam admonetur à virgine Maria, & iubetur eis concedere potestatem liberandi à pœna & culpa. [c] Dominici mater per somnium visa est sibi catulum parere gestantem ore facem ardentem, qua totus mundus accensus est: susceptrix videt in fronte stellam radiantem, & fulgore suo terras illustrantem: Innocentius Papa ad ordinem eius probandam per visionem adducitur, qua illum vidit Lateranensem Ecclesiam ruituram humeris suis fulcientem: ipsi quoque Dominico apparent per visionē [d] Petrus & Paulus, alter baculum, alter librum illi porrigentes, & dicentes, *Vade, prædica, quoniam ad hoc ministerium electus es*. Pro [e] Francisci ordine stabiliendo, quot visiones narratur ipsius & aliorum? [f] Vox Christi audita in aëre dicitur, se velle vt hæc regula ad literam ab omnibus fratribus seruetur, & omnia quæ ibi scripta sunt, à sua procedere voluntate. [g] Illum sæpe visum aiunt à terra leuari, interdum magis, interdum minùs, & sæpe interceptum dum cum Christo sermonem haberet: Christum illi stigmata vulnerum suorum impressisse, quod diaboli authoritate confirmatum, bullis Pontificijs pro certissima veritate credendum peruulgatur, & visionibus quoq; ac miraculis comprobatur. [h] *Fraternitas Rosarij* ab Alano quodam excogitata cōprobatam se ait à virgine Maria, quā impudentissimè nugantur ingressam aliquādo in cellulam eiusdem Alani clausam, concinnasseq; ei ex capillis suis annulum, & monachum hunc sibi desponsasse, osculatam fuisse, dedisse contrectandas & lactandas papillas, ac denique fuisse illi tam familiarem, vt sponsa solet esse sponso, &c. [i] *Flagellantes* literas ab Angelo allatas pro ordine suo prætendunt. [k] Brigidenses regulam suam ab ipso Christi ore dictatam affirmant. Mirum ni de cœlo quoque [l] Paulinorum siue Gastalianorum ordo descenderit, quo concumbunt eodem lecto frater & soror, sed interposita scilicet cruce ad mutuos aditus prohibendos ne coïre vnà possint, qua ratione libidinem cruciant, si placet, & carnem domant proprijs viribus, vt loquuntur, vsquequò titillationes nullas sentiant reliquas. Ita lemures isti omnes de cœlo genus mentiuntur, quos tamen constat ex aluo Satanæ & infimo inferno prodijsse. Quod manifestum erit, si attendamus quibus blasphemijs rem agant, vt authoribus suis existimationem & honorem addere queant. [m] Dominicum insano furore cum Christo comparant,

&

b Lib.6.cap.3.
c Ibid.cap.4.
d Cap.6.
e Cap.8.& 10.
f Cap.11.
g Cap.13.
h Lib.4.cap.26.
i Lib.4.cap.30.
k Cap.39.
l Cap.65.
m Cap.6.

& miracula eius ab Antonino maiora quàm Christi fuisse dicuntur. Christum dixerunt esse Dominum absolutè & authoritatiuè; Dominicum verò possessiuè: ad pedes depicti Apostoli Pauli scribunt; *per istum itur ad Christum*: ad pedes Dominici; *facilius itur per istum*. Quin & illum aiunt ferrea catena cæsum à seipso sanguinem suum fudisse pro peccatoribus terræ, & existentibus in purgatorio. Nec minus ipse de se blasphemat iam moriturus: *Nolite*, inquit, *plorare charissimi, nec vos turbet corporalis mea discessio; in loco ad quem vado, vtilior ero vobis quàm hîc fuerim; & post mortem aduocatum potiorem habebitis quàm in hac vita habere possitis*. En latronem sceleratum, sacrilegum impostorem, qui cùm ad infernum rectà properat, execrabili præsumptione se post mortem Christi loco aduocatum promittit. [n] Franciscum quoque *Iesum typicum* nominarunt, & illum maiorem dixerunt Ioanne Baptista, & Apostolis meliorem. Quendam narrant in somno vidisse processionem cœlestem, & cum Franciscum requireret, vidisse illum è Christi latere cum suis exeuntem. A catulis illius prodijt [o] *Euangelium* illud *æternum* quod ad Christi Euangelium comparatum, tantò plus perfectionis habere dixerunt, quantū habet sol ad lunam comparatus, & ad nucleum testa, ex quo tamen effectum dederant, quòd Christus non sit Deus, quòd sacramentum eius nihil sit, quòd Euangelium eius non sit verum Euangelium, &c. Atque inter istas blasphemias mirum est quantum rituum suorum ineptijs attribuerint, & quæ cum summa perfidia & impietate coniuncta sunt, ea tamen pro salutaribus animarum remedijs venditarint. Postquam enim fines probitatis excesserant, summo scelere & impudentia quiduis ausi sunt, nec destiterunt fraudes suas & figmenta sine modo cumulare. Ecquis non deploratissima fuisse putarit tempora illa, & à Christianismi passibus longissimè digressa, quibus impunè licuit spurijs istis de temulentis institutis suis monstra illa iactare; [p] votum *cælibatus* (commune monachorum omnium) esse maximam satisfactionem peccatorum & meritum vitæ æternæ? [q] cucullam monachalem esse arma fortia ad tegendum peccata, & tutum munimen contra spiritus aëris & ignita tela inimici? [r] ingressum religionis & cucullæ induitionem, parem vim habere & gratiam cum baptismo? monachum per professionem Deo talem exhibere cultum, vt per hanc consequatur perfectam remissionem & indulgentiam omnium

n Cap.13.

o Cap.14.

p Lib.4.ca.18.ex Petro de Aliaco.

q Lib.3.cap.12. ex Breuiario.

r Lib.6.cap.18.

s Cap.30. nium peccatorum à pœna & culpa? & illud flagellantium; [s] *vestem nuptialem* quæ Christo nos dignos efficiat, esse cutem laceratam, & carnem flagellando mortificatam? & Carmelitarum
t Cap. 3. illud, [t] quicunque illos Mariæ fratres diceret, habiturum indulgentias trium annorum & totidem quadragenas? & illud Fran-
u Lib.3.ca.12. ciscanorum, [u] difficultèr parturientibus mulierculis prodesse, vt cucullas eorum, & calceos, & chordas, & braccas deuotè contrectent & exosculentur? & illud quoque sepultos in cuculla & habitu eorum à malignis spiritibus tutissimos fore, & tales rectà in cœlum aduolare?

29 O fœlicem Ecclesiam, quam huiusmodi prædicatoribus Pontifex beauit; dignus ipse execratione omni & odio, quòd tantam orbis & Ecclesiæ pestem vel ad momentum superstitem esse pateretur. Enimuerò postquam Episcopi & Ecclesiarum præpositi per otium & negligentiam docendi labore supersedissent, & desuetudine vix iam ad se munus illud pertinere cogitarent; monachi operam illam Satanæ præstandam iudicarunt, quæ Deo ab ijs quorum per officij rationem intererat præstari desijsset. Itaque docendi prouinciam arripere cæperunt, & seipsos Ecclesijs obtrudere, non sine contumelia Curatorum,
x Lib.6. cap.16. quos [x] *indoctos asinos, asinos togatos, & inertia pecora* vocitarunt, & vbi de confessione percunctati quempiam, responsum ab illo
y Cap. 6. accepissent, se à Sacerdote suo confessum, vt loquuntur; [y] *Et quis*, inquiunt, *est ille idiota? nunquam thelogiam audiuit; nunquam vigilauit in decretis; nunquam vnam quæstionem didicit enodare. Cæci sunt & duces cæcorum. Ad nos accedite qui nouimus lepram à lepra distinguere: quibus ardua, quibus difficilia, quibus Dei secreta patuerunt. Nobis confitemini imperterriti quibus tanta potestas concessa est.* Isti verò tam grandes Theologi, haud dubium quin e-
z Cap. 3. gregias populo conciones adornarint. Nempe [z] indulgentias Franciscani liberalitèr concesserunt præsentibus quotannis ad conciones suas in laudem beatæ virginis. Carmelitæ verò, vt illos superarent, & populum ad se adiungerent, hebdomadatim sibi panegyricas istas orationes apparandas censuerunt, & interesse volentibus largas indulgentias publicarunt. Sed tamen
a Cap.13. [a] Franciscani, nequid in dammum esset, visiones enarrarunt quibus indicatum est miserè tractatos esse in purgatorio, qui hospitium illis & benignitatem negassent. Et hæ quidem illis materiæ concionum, de intercessione & cultu virginis Mariæ,

de vitis sanctorum è Legenda expolitis; de reliquiarum quas circumferebant præstantia & vtilitate; de Purgatorijs flammis, de Romani Pontificis omnipotentia; de indulgentiarum mirabili virtute, de sanctitate ordinis sui & benignitate sibi præstanda: de Christo verò parum; nihil de fiducia in Christum, de gratuita peccatorum remissione, de tranquillandis conscientijs, de propensa Dei benignitate qua protinùs suscipit eos qui illum inuocant in nomine Iesu Christi. Erant enim omnes nonnisi Pontificiarum mercium institores; spectantes quid in rem, non in pietatem esse posset, [b] *piscatores non hominum sed nummorum*; [c] *plùs officiales fisci quàm Christi*, ac proinde suppositititias illas merces incredibili supra modum impudentia venditantes: quomodo [d] *Tecelius* ille Dominicanus, sceleratus ganeo, qui Pontificias indulgentias venales circumferens, vt acceptiores illas faceret, absolutiones & animarum è Purgatorio liberationes strenuè promittit, & inter alia docet tantam se à Pontifice potestatem habere, vt etiamsi quis Virginem matrem vitiasset & grauidam fecisset, ipse tamen pecunia liberalitèr interueniente crimen condonare posset.

b Math Paris. in Henr. 3.
c Hospin. lib. 4. cap. 21. ex Petro de Aliaco.
d Sleidan. Commen. lib. 13.

30 Quæ verò hunc in modum impiè deblaterarunt, ea visionibus, & reuelationibus, & somnijs, & miraculis, & omne genus fabulis & figmentis suffarcinata proposuerunt, nihil sibi expeditius esse sentientes ad populi simplicitatem illudendam, quàm si animos eorum commentis istis & fabulis occupatos & admirabundos tenerent. Quare hoc assiduè operam dederunt, vt mira quædam procuderent quibus aures eorum implerent, & more veterum hæreticorum (nam hæreticos fuisse confirmat [e] Hieronymus, quos [f] alij tamen tanquam orthodoxos temerè laudarunt) [g] *quasi longa ieiunia furtiuis noctium cibis protracta* verbosè commemorant, & [h] dæmonum *contra se & suos pugnantium aliorumq; certaminum portenta confingunt, vt apud imperitos & vulgi homines miraculum sui faciant, & exinde lucra sectentur*; & certè eò impudentiæ peruenerunt, vt nihil tam ineptum esset, tam improbabile, tam incredibile, quod non Ecclesiæ sub illis nominibus obtrudere auderent. Quæ tamen omnia pro sacris habebantur, legebantur in Ecclesijs, de suggesto non sine magno clamore sonabant, & hæreticum esse oportebat qui stercoribus istis nares non libenter admoueret, non horribiles istos fœtores placidè perferret, Quis tum rerum status, cùm pro cœlesti

e Hieron. ad Ctesiphont.
f Vit patrum & Sozom. lib. 6. cap. 28 &c.
g Hieron. ad Eustoch. de cust. virginit.
h Hieron. ad Rustic. de viuendi forma.

lesti pabulo venena ista dabantur, & sitientes animæ obthuratis fontibus salutis de stagnis istis Sodomiticis & cœnosis lacubus bibere cogebantur? Neque verò credibile esset homines ad fraudes & mendacia tam profligatos, ad impudentiam tam proiectos vnquam esse potuisse, nisi publicè rerum istarum monumenta prostarent, & chartæ ipsæ consignatæ de tanta perfidiæ improbitate fidem facerent.

31 Interim illi populum superstitioso metu suspensum tenebant, qui quia siliquis tantùm & bulbis Ægyptijs assueti, pretiosiores epulas ignorarunt, non audebant ista præiudicio damnare. Superstitionem verò auxit Satan quoad posset, non conuenire ratus, vt, cùm tam operosos haberet regni sui procuratores, ipse sibi deesset, & lucro suo manum apponere supersederet. Quare plena tum erant omnia spectris & spiritibus, & mortuorum apparitionibus, & mille dæmonum præstigijs, quæ omnes eò tendebant, vt missarum, & indulgentiarum, & Pontificiarum nundinationum opinionem augerent. Itaque * animarum voces frequentèr auditæ, grauissimè querulantium quòd in purgatorio torquerentur, & subsidia sibi precum & missarum facienda obnixè rogantium. Alter à dæmone correptus, nescio quæ mira & monstra narrat † de purgatorio sibi viso, & horrendis ibi animarum pœnis, quas subire oportet eos, qui nondum expiati de vita decedunt. Alter per eandem ecstasin intelligit hanc aut illam animam, intercessione sancti alicuius aut ecclesiastici officij perfunctione, è purgatorio esse dimissam, & in cœlum susceptam. Quin & callidus dæmon interdum Christi, interdum beatæ Mariæ, interdum Angeli, interdum sancti alicuius speciem & nomen assumit, & stertenti alicui Monacho inferorum mysteria edisserit, & vias exponit quibus animas cateruatim in gehennam propellere valerent. Nullus porrò locus erat nocturnis terroribus immunis, & ad testandam Ecclesiæ desolationem vsuuenit quod Esaias olim de Babylone collapsa vaticinatus est: e *Accubabunt ibi Tsiim, & domus eorum erunt plenæ Ohim; & habitabunt ibi struthiones, & Satyri saltabunt ibi.* Sed hîc tamen perterrefactum se Satan videri voluit, & recedere coactum signo crucis, & exorcismis, & aqua benedicta, & alijs eiusmodi suis imposturis; pessima fraude, vt dum se crederent homines vitreis istis parietibus probè munitos, ipse interim in animas eorum vera fide destitutas ferociùs insultaret. Infinita erant huiusmodi dæmonum

* Sleidan. Comment. lib. 9.

† Math. Paris. in Stephano & Ioanne.

e Esa. 13. 21.

monum

monum ludibria saltitantium vbique, & de animarum calamitate & perditione generis humani, quam tantopere semper exoptant, sibi ludos facientium.

32 Cæterùm istis freti monachi superstitionum suarum adiumentis, strenuè rem suam agunt, & nihil non audent, dum terrorem hominibus & metum iniiciunt, quò eos sibi habeant propensiùs obsequentes. Itaque sub nomine mendicantium huc illùc erronum more vagantur, in omnium domos irrepunt, in mulierculárum familiaritates semet insinuant, testamentis omnium insidiantur, neque vllas non arripiunt ansas & opportunitates commoditatum suarum. Quos optimè Polydorus Vergilius describit, ne mihi multa dicere necesse sit: [f] *Viget*, inquit, *hodie omnis generis fraudulentorum hominum secta, qui simul industriæ, simul laboris fugientes, quò plus sanctitatis præ se ferunt, hoc intrinsecùs dissolutiores, ipsos Deæ Syriæ sacerdotes gnauitèr æmulantur, quippe qui per insidiosam pietatem tanquam diuorum omnium ministratores dolis apprimè instructi, hic pro templi ædificatione, alter pro vestimentis coëmendis, alius pro alendis pauperibus, alius pro redemptione captiuorum, nonnulli pro educandis exposititijs circumeuntes castella, pagos, villas, ab hoc credulo rustico blandulè poscunt & cupidissimè accipiunt ouem, lanam, agnum, hædum; ab illo gallinam & oua; ab alio porcellum vel pernas; ab alio caseum & linum, ab alio superstitiosè attonito tritici sextarium, aut cadum vini, vel olei lecythum. Adhæc aut sanctorum reliquias, vel apostolicas tabellas, seu quorundam antistitum chirographia vetustate assiduoque vsu passim obliterata è pyxide depromunt, illaque magna cum veneratione offerentibus osculanda porrigunt, promittentes pro datis munusculus vitam cunctis cœlestem. Sic eiusmodi rusticanis donis onusti prædam vendunt, in argenti laminam conflant, atque mox domum redeunt, gaudentes quòd simplicia rusticæ plebis corda, ac pias mulierculárum mentes illuserint, ludificarint, fefellerint gnauitèr, &c.* Nempe hoc illis opus, hæc opera [g] *seruire ventri suo,* non *Domino Iesu Christo,* cui vt gratificentur, *per blandos sermones & assentationes seducunt corda simplicium, &* [h] *prætextu longarum orationum domos viduarum exedunt, &* [i] *totas domos subuertunt, docendo quæ non oportet turpis lucri gratia.* Genus hominum iners, otiosum, indoctum, gulæ deditum, insidiatores fæminarum, pudicitiæ expugnatores, voto seculum abdicantes, vita plùs immersi seculo quàm homines seculares. Postquam ergo ad istos rerum summa delata est, nihil

f Polyd Virgil. de inuent. rerum. lib.7.cap.7.

g Rom.16.18.

h Mat.23.14.

i Tit.1.11.

nihil mirum si desolata iacuerit Ecclesia, & quæ mala priùs erant, iam pessimo statu esse cæperint. Et certè [k] per illos profligata est eruditio omnis; linguarum & artium liberalium studia è monasterijs prorsus eiecta, ita vt multi fuerint, qui in lupanaribus illis planè consenuerint, & tamen Latina lingua vix legere potuerint, ita vt ab illorum inscitia & cæcitate prouerbium de illiteratis & stupidis natum sit, *Monacho indoctior.* [l] Ioannes quidam Tyssyngtonus Anglus aduersùs Wiclefi confessionẽ scribens, etsi erat ipse ex armento Franciscanorum, ingenuè tamen agnouit maiorem inter Theologos cæcitatem extitisse citra fratrum mendicantium originem, quàm priùs erat; quod etsi non dissimulauit vltione diuina contigisse, tamen dum veram caussam non attendit, non destitit veram Euangelij doctrinam totis viribus oppugnare. Neque verò possum oratione vlla satis explicare in quantam barbariem, squalorem, fœditatem orbis ab illis adductus est, vt non immeritò videantur à Ioanne [m] *locustarum* nomine præsignati, quia vt locustæ olim in Ægypto vniuersam terræ superficiem operientes [n] *deuorarunt herbam terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat, ita vt nihil omnino virens relictum esset in lignis & in herbis terræ in cuncta Aegypto*: ita per locustas istis in hac Ægypto spirituali vastata sunt omnia, & consumptum est (tantummodo saluo [o] *Israele Dei*) quicquid viride de superiorum plagarum grandine & antecedentibus Ecclesiæ populationibus & ruinis relictum est. Quare non abs re fuisse videtur, quòd in exortu sectarum mendicantium, quibus ista mala maximè imputata sunt, [p] tanta prodigia & calamitates insolitæ contigerint, solis & lunæ formidabiles eclypses, tonitrua, tempestates, terræmotus, ignes, inundationes, & alia eiusmodi ostenta, quæ mundo ominosum aliquod & fatale protendere videri possent.

33 Porrò corrupta in hunc modum fide, disciplina quoque Ecclesiæ collapsa est. Postquam enim Pontifex Romanus perpetuam reip. Christianæ dictaturam inuaserat, & Consistorium suum in eminentissimam rerum omnium potestatem per summã tyrannidem euexerat; nulla ferè iuris aut legum ratio est habita, sed omnia ad meram illius libidinem tractari cœperunt. Neq; enim leges vllæ pro tuendo Ecclesiæ statu, & corrigendis excessibus decretæ sunt, in quibus exceptio non valuit, quam Tridentini patres vel parasiti potiùs canonibus suis adiungunt:

k Hospin. de orig. Monach. li. 6. cap. 8.

l Baleus, scrip. Britan. Cent. 4.

m Apoc. 9. 3.

n Exod. 10, 15.

o Gal. 6, 16.

p Hospin. de orig. Monach. lib. 6. cap. 15.

q *salua semper & in omnibus authoritate sedis Apostolicæ.* Itaque dispensandi potestate Pontifex omnia subuertit: nihil ita ratum est quod clausula *Non obstante,* r *inuisa,* vt ille ait, *adiectio Papalibus literis frequentèr inserta,* non rescindat. Atque hac ratione illicitis omnibus indulgentia & venia concessa est; legitima facta sunt quę sunt legibus interdicta; iura omnia venalia esse cæperunt, neque quicquam erat quod nummis redimi non posset. Pontifex enim insatiabili pecuniæ cupiditate sine fine laborans, nihil integrum esse patitur quod in rem esse possit: simonia, vsura, periurium, sacrilegium, homicidium, quodcunque demùm sit, nihil offendit quod loculis eius quæstum ferat. Peccata omnia s certo pretio taxantur: qui soluendo est, nihil metuat, non est qui ei dicam impingat. t *Manifestè, compertum est,* ait *Math. Parisiensis, Ecclesiam Romanam Dei indignationem incurrisse. Ipsius enim magistratus & rectores non populi deuotionem, sed marsupia plena quærunt denariorum: non animas Deo lucrifacere, sed reditus capere, & pecunias congregare, religiosos opprimere, pæna, vsura, simonia, & alijs diuersis argumentis sibi aliena vsurpare. Non curatur de iustitia & honestate, de simplicium informatione, immò cum quocunq; modo quis beneficio Ecclesiastico inuestitur, de summa pecuniæ quam inde sortiri possunt sciscitantur, &c. Hinc imprecatio in populo suscitatur, & diatim ira Dei meritò prouocatur.* Et passim ille intolerabilem Pontificis & Ecclesiæ Romanæ auaritiam vellicat, omnia in occasionem quæstus & lucri conuertentis. u *Sedes Romana clementissima quæ nulli deesse consueuit, modò albi aliquid aut rubei intercedit:* x *Papa ad omnia scelera pro præmijs datis vel promissis cereus & procliuis.* y *Adeò inualuit Romanæ Ecclesiæ insatiabilis cupiditas confundens fasq; nefasq; quòd deposito rubore velut meretrix vulgaris & effrons, omnibus venalis & exposita vsuram pro paruo, simoniam pro nullo inconuenienti reputauit, ita vt alias prouincias sua contagione macularit. Papa, qui forma & exemplum totius teneretur esse religionis, vsurarius est manifestus, fomes simoniæ, pecuniæ sititor & raptor, ipsiusq; curia forum institorum, immò potiùs meretricale prostibulum: fætor curiæ Papalis vsque ad nubes fumum teterrimum exhalabat.* Neque verò solus ille fuit qui summam hanc curiæ Romanę iniquitatem & impudentiã perstrinxit: nemo ferè erat qui illam non abhorruit, ita vt etiam z Cardinalis Columna Romę agens, legato Pontificio in Anglia degenti per literas gratularetur, quòd tam longè abesset nec videret male gentis suæ, hoc est, curiæ

q Concil. Trid. sess. 7. & 25.
r Math. Paris. in Henr. 3.
s Wolfang. Muscul. loc. com.
t Math. Paris. in Hen. 3.
u in Hen. 2.
x in Ioanne.
y in Henr. 3.
z Idem ibid.

riæ Romanæ. Et variè multi versibus & rhythmis Romanas istas nundinationes & quæstuum artes exagitarunt. [a] *Roma fundata à prædonibus adhuc de primordijs retinet, dicta Roma, quasi rodens manus, unde versus:*

a Sext. de elect. & electi potest, ca. fundamenta in glossa.

Roma manus rodit; quos rodere non valet, odit.
[*] *Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit.*
Curia curarum genitrix, nutrixq́ malorum:
Ignotos notis, inhonestos æquat honestis.

* Catal. test. verit. pag. 399.

Inter varias picturas in veteri quodam libello descriptas, habebatur imago Pontificis in throno maiestatis suæ sedentis, & petentibus varias, vt loquuntur, gratias concedentis, ad quam versus adscripti sunt isti:

[b] *Curia vult marcas, bursas exhaurit & arcas;*
Si bursæ parcas, fuge Papas & Patriarchas.
Si dederis marcas, & eis impleueris arcas,
Culpa soluêris, quacunque ligatus haberis.
Intus quis? tu quis? ego sum. quid quæris? vt intrem.
Fers aliquid? non. esto foris. fero. quid? satis. intra.

b Catal. test. verit. ibid.

Iisdem omnino coloribus Ecclesiam & Curiam Romanam depinxit Bernardus Abbas Cluniacensis:

[c] *Roma dat omnibus omnia dantibus omnia Romæ:*
Cum precio quia iuris ibi via, ius perit omne.
Roma nocens nocet, atque viam docet ipsa nocendi,
Iura relinquere, lucra requirere, pallia vendi.
Si tua nuncia præuenit vncia, surge sequaris.
Expete limina, nulla grauamina tunc verearis.
Quam sapientia non valet, vncia dat tibi pacem:
Vncia fœderat, vncia temperat ore minacem.
Aurea lamina dat tibi lumina cæca Quiritum
Ostia peruia, verbaq́; Tullia, cor stabilitum.
Si datur vncia, stat tibi gratia Pontificalis:
Sin procul hæc valet, hæc tibi lex manet & schola talis.
Scylla vorax, rapis, & cupis, & capis, & trahis ad te;
Roma ruens, rota fœda satis nota cauteriat te.
Gurges es altior, arca voracior, alta lacuna,
Insociabilis, insatiabilis, omnibus vna.
Quò bibis ampliùs, hoc inhiantiùs, Huc date, clamas.
Dic rogo, Sufficit: at mihi Deficit, ipsa reclamas.

c ibid. pag. 397.

Si tibi det sua, non repleat tua guttura Crœsus,
Marca vel aureus amodò, non Deus est tibi Iesus.

Et alter quidem ita cecinit:

[d] *Roma capit singulos & res singulorum;*
Romanorum curia non est nisi forum:
Ibi sunt venalia iura Senatorum,
Et soluit contraria copia nummorum.
In hoc consistorio siquis causam regat
Suam vel alterius, hic inprimis legat,
Nisi det pecuniam Roma totum negat;
Qui plus dat pecuniæ, melius allegat.
Romani capitulum habent in decretis,
Vt petentes audiant manibus repletis.
Dabis aut non dabitur, petunt quando petis.
Qua mensura seminas, eadem tu metis.
Cum ad Papam veneris habe pro constanti,
Non est bonus pauperi, soli fauet danti:
Et si munus præstitum non est aliquanti,
Respondet hic tibi sic, Non est mihi tanti.

d Baleus Cent. 3. in append. c. 61.

Denique [e] *pecunia nihil non parare Romæ est*; vnde *Mant.*

——— [f] *Venalia nobis*
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignes, thura, preces, cœlum est venale Deusq́;.

e Onuphr. in Hadrian. 6.
f Mantuan. Calamit. lib. 3.

34 Iam verò vbi vnius arbitrio cedunt omnia, qui non æquitate sed pretio omnia transigit, quid sanctum, quid integrum esse potest? quid non peruersum & confusum, & cum summo Ecclesiæ malo & calamitate coniunctum? Quid ibi nisi Babylonem illam suspicemur, quæ rerum omnium purturbationem & ruinam introductura esset? Qua de re lusit amarissimo sarcasmo Ludouicus Viues; [g] *Petrus Romam Babylonem appellat, &c. Nunc verò nomen tam odiosum exuit? Nam nihil est in ea confusum & promiscuum, discretis adeo & redactis omnibus in certas leges, vt cum omnia propè illic vendantur & emantur, nihil tamen agas sine lege ac formula, atque etiam sanctissimi iuris.* Quibus verbis Ecclesiam Romanam ita valdè pupugisse visus est, vt ea [h] Belgici Censores, quò Pontifici gratificarentur, ex annotationibus illius expungenda designarint. At exuere deberent vitia sua, non expungere ea quibus corrigenda vitia iustissimè taxantur, nisi quòd

g Lud. Viues in August. de ciuit. Dei. lib. 18. c. 22.
h Index Expurg. in castigat. oper. August.

quòd certum est illis aspidem imitari, quæ aduersus incantatorem aures occludit, & nullo modo fateri quicquam apud se nisi sanum & salubre repertum esse.

35 Atqui verò in aëre tam prauo, tam putrido quæ sanitas esse potuit? in tanta tamque communi pestilentia & lue quid esse potuit non inquinatum & infectum? Itaq; cùm neque doctrina pietatis imbuerentur homines vt fierent boni, neque vinculis vllis continerentur quominus essent mali; mores fuisse corruptissimos necesse est, & ab Euangelij sanctissima præscriptione longissimè differentes. Et fuisse quidem apparet ex Bernardo, ita vt apertè in hæc verba loquatur tanquam ipsi Christo: [i] *Coniurasse contra te videtur vniuersitas Christiani populi à minimo vsque ad maximum: à planta pedis vsque ad verticem capitis non est sanitas vlla.* Neque verò nihil est quod de moribus sui seculi refert Mathæus Parisiensis: [k] *qui his temporibus malus non est, optimus reputatur*; eò scilicet improbitate perducta, vt crimini non daretur non esse bonum, satis esset non apertè malum esse; & prodesse videretur qui non noceret, & virtutibus florere qui vitijs & sceleribus non esset infamis, quia plerunq; omnes pessimi erant. Ac de ijsdem ferè temporibus Abbas Vrspergensis: [l] *Tunc*, inquit, *cæperunt multiplicari mala in terris. Ortæ siquidem sunt in hominibus simultates, doli, perfidiæ, traditiones, vt se inuicem tradant in mortem & interitum. Rapinæ, deprædationes, depopulationes, terrarum vastationes, incendia, seditiones, & bella, & rapinæ siue in stratis siue in latrocinijs iustificatæ sunt, vt omnis homo iam sit periurus, & prædictis facinoribus implicatus, vt vix excusari posset quin sit in his sicut populus sic & sacerdos. Tribulatio magna prohibuit & hoc, vt nec quis de villa sua posset procedere securè, saltem in proximam villam. Claustrales & vitas quascunque religiosas agere se fictè demonstrantes, alienati sunt à vulua sanctæ matris Ecclesiæ: errauerunt ab vtero quo monitis salubribus calefieri debuerunt & nutriri. Vix remansit aliquis episcopatus siue dignitas Ecclesiastica, vel etiam parochialis Ecclesia, quæ non fieret litigiosa & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua.* Deinde Romam compellat peccata ista orbis terræ comedentem, & de regnante passim iniquitate lucrum sibi facentem. *Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, vt ad te confluant riui & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum malorum datur tibi*

i Bernard. in conuers. Pauli, ser. 3.

k Math. Paris. in Henr. 3.

l Abb. Vrsperg. in Chronico.

tibi pretium. Iocundare super adiutrice tua discordia, quia erupit de puteo infernalis abyssi, vt accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod semper sitisti: decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti. Ad te trahit homines non ipsorum deuotio aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio pretio comparata. Et certè Romana ipsa Ecclesia pessimè omnium audiuit, & quasi [m] *fons sulphureus*, vt eam appellat Matth. Parisiensis, teterrimos fumos emisit, quibus probitatis & virtutis lux omnis suffocata & extincta est. [n] *Nusquam minus vel pietatis vel religionis est*, ait Machiauellus, *quam in ijs hominibus qui viciniores Romæ habitant:* apud quos tam longè à Christianismo discessum est, vt nomen ipsum [o] Christiani in probrum conuersum sit, quod illis iam ex vsu *stupidum & fatuum* sonat. A quibus prodijsse opinor quod apud nos prouerbio iactatum est, *abesse longissimè à Deo qui proximè absunt ab Ecclesia.* Et tales quidem illos Bernardus describit. [p] *Ante omnia*, inquit, *sapientes sunt vt faciant mala: bonum autem facere nesciunt. Hi inuisi terræ & cœlo vtrique iniecere manus, impij in Deum, temerarij in sancta, seditiosi in inuicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos, quos neminem amantes amat nemo, & cùm timeri affectant ab omnibus, omnes timeant necesse est. Hi sunt qui subesse non sustinent, præesse non norunt, superioribus infideles, inferioribus importabiles: inuerecundi ad petendum, ad negandum frontosi: importuni vt accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati vbi acceperint. Docuerunt linguam suam loqui grandia, cum operentur exigua: largissimi promissores & parcissimi exhibitores: blandissimi adulatores & mordacissimi detractores.* Enimuerò manifesta impietas Ecclesiæ Romanæ, quando arcem se haberi voluit Christianæ pietatis, Christianismum infidelibus exosum reddidit, & procliues alioqui ad suscipiendam fidem prorsus auertit. Atque hoc argumento Sultani Ægyptij primates aliquando vsi sunt vt eum à baptismo percipiendo dissuaderent: [q] *Quomodo*, inquiunt, *ex vno fonte aqua dulcis & salsa poterit emanare? vbi Christiani fontem iustitiæ haurire tenentur, inueniunt laticem toxicatum.*

m Matth. Paris. in Henr. 3.

n Nich. Machiau. disp. de rep. lib. 1. cap. 12.

o Hospin de orig. Monach. lib. 6. cap. 66.

p Bernard. de consid. ad Eugen. lib. 4.

q Matth. Paris. in Henr. 2.

36 Obiectant quidem nobis aduersarij neque vsquam non inculcant, fidem quam prædicamus esse bonis moribus aduersam, & maximam parere vitæ licentiam & corruptelam, idque vsu venisse persuadet declamator [r] Osorius, postquam Euangelium nostrum publicari cœptum est. Sed non aliter nobiscum agunt

r Osor. cont. Haddonum.

agunt quàm olim Pelagiani cum patribus antiquis, ac proinde responsum illis Augustini reponimus,[f] *Vos estis ruina morum, qui ipsius fidei supra quam mores ædificandi sunt, molimini fundamenta subuertere.* Neque enim absque recta fide boni mores constare possunt, & cum excidio veræ pietatis corruptela vitæ semper coniuncta est. Nos verò quibus illuxit, miserante Deo, vera fidei doctrina, longè quidem abest vt eo quo par esset gratitudinis officio bonitatem illam compensemus, sed tamen haud veremur dicere ferè iusta esse tempora in quibus agimus, si cum seculis anterioribus sub illa Papali tyrannide comparentur. Neque enim ita cæci sumus, vt in historijs non videamus quæ conditio fuerit temporum superiorum, quanta grauissimorum scelerum licentia, quę turpitudo vitæ non perpetrata tantummodo, sed lege quoque & authoritate munita. Et illam certè aluit religio illorum & fides, cuius vis omnis in expiationibus peccatorum & indulgentijs explicata est. Quarum opinione cùm iam orbis quasi fascino quodam excœcatus occupari cæpisset, crescere statim comperta est improbitas omnis & vitæ dissolutio, quia in promptu putabantur esse remedia quibus contracta quæque noxa posset elui, & ignis purgatorius, qui solus tunc formidabilis erat, posset extingui. Quòd siquid omninò residuum erat pietatis & conscientiæ, mansit illud ferè apud simplicem plebeculam, quam iniecto per fraudem metu, vt suprà dictum est, aliquantulum continuerunt, alligantes illis onera grauia & importabilia, quæ ipsi ne vno quidem digito mouere volebant. Sin Pontificem attendamus & Cardinales, si clericorum & monachorum mores examinemus, nihil illis nequius Sol vnquam vidit, nihil vnquam habuit orbis ad omnem scelerum immanitatem efferatius. [t] Ioannes Petrus Carapha Cardinalis Theatinus ad Paulum tertium de emendanda Ecclesia libellum edidit, quo illam confirmauit it collapsam apud se esse, vt iam non Christi sed diaboli Ecclesia sit. Papas dicit ad sua desideria coaceruare sibi magistros auribus prurientes; per Cardinales & Episcopos Christi nomen inter gentes blasphemari; clauium potestate emungi pecunias, improbos ordinari, Simoniacas nundinationes exerceri, ambitione & auaritia æstuare prælatos; in monasterijs horrida fieri flagitia; Romam impudicissimis scortis repleri, & alia multa apud illos flagitiosa committi. Cæterùm de Pontificibus sequitur postea dicendùm; de Cardi-

f August. cont. Iulia. Pelag. lib. 5. cap. 4.

t Baleus de actis Rom. Pontif. ad finem.

nalibus & reliquo clero Pontifex ipse sententiam dicet. [u] Benedictus duodecimus è Clericis & religiosis *paucos vel nullos bonos credebat, & omnes à via mandatorum domini declinasse dicebat:* qui rogatus aliquando vt plures Cardinales crearet, respondet *libentèr se id facturum, si modò nouum mundum creare posset; nam hunc qui iam existat vix præsentibus Cardinalibus sufficere*, insatiabilem eorum auaritiam & infinitam rapacitatem ingeniosè perstringens. Pontifici Benedicto consentit Hugo Cardinalis, qui alicubi scribit in glossa [x] *diabolum olim habuisse duas filias, Auaritiam & Luxuriam: Auaritiam elocasse Iudæis, Luxuriam Ethnicis; cæterum iam clericos vtrisque illorum suas sponsas eripuisse, solosq́ velle sibi proprias vtramque habere, & Auaritiam & Luxuriam.* Istis Platinam adiungimus, qui in historia Pontificum deplorat interdum mores seculi sui, & summam clericorum improbitatem & vitæ licentiam insectatur. [y] *Quid futurum*, inquit, *nostra ætate arbitramur, qua vitia nostra eò creuere, vt vix apud Deum misericordiæ locum nobis reliquerint? Quanta sit auaritia sacerdotū, & eorum maximè qui rerum potiuntur, quanta libido vndique conquisita, quanta ambitio & pompa, quanta superbia & desidia, quanta ignoratio tum suipsius tum doctrinæ Christianæ, quàm parua religio & simulata potius quàm vera, quàm corrupti mores vel in profanis etiam hominibus, quos seculares vocant, detestandi, non attinet dicere, cùm ipsi ita apertè & palam peccent, acsi inde laudem quærerent.* Et alibi, [z] *Nunc adeò refrixit pietas & religio, non dico nudis pedibus, sed caligati & cothurnati vix supplicare dignantur. Non flent inter eundum vel dum sacrificatur, sed rident & quidem impudentèr; de his etiam loquor quos purpura insigni ores facit. Non hymnos canunt, id enim seruile videtur, sed iocos & fabulas ad risum concitandum inter se narrant. Quid plura? quò quis dicacior est & petulantior, eò maiorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Seueros & grauis viros reformidat hic noster clerus, quia in tanta licentia malunt viuere, quàm benè monenti aut cogenti obtemperare, & ob eam rem Christiana religio quotidiè in peius labitur.* Et alibi facta mentione legum Ludouici imperatoris; [a] *Vtinam*, inquit, *nostris temporibus Ludouice viueres: indiget nunc Ecclesia tuis sanctißimis institutis, tua censura, adeò in omnem luxum & libidinem sese effundit Ecclesiasticus ordo. Coccinatos & trabeatos nunc inspiceres, non homines, quod fortasse leue videretur, sed equos & iumenta, precedente dum incedunt magno adolescentum, & altero presbyterorum agmine subsequente,* non

u Catalog. test. verit. pag 447.

x Ibid. pag. 403.

y Platina de vitis Pontif in Marcellino.

z Idem in Stephano. 3.

a In Gregorio 4.

non in asinis sed in equis præferocibus & phaleratis, acsi ex hoste deuicto triumphum ducerent. De argenteis vasis & egregia eorum supellectile, deque cibarijs nihil attinet dicere, cum & Siculæ dapes & Attalica ornamenta & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius pretij dici possint. Quid verò ex hac intemperantia nascatur, prætermittam, ne os, vt ipsi aiunt, in cœlum pònam. Ita namq; scelerata superbia ad omnem improbitatem obduruerant, vt reprehensionem non ferrent, & *os in cœlum ponere* dicerent eum, qui de aperto scelere admoneret. Denique [b] *verte de ad Clerum*, ait alter quidam, *& videbis in eis bestiæ tentorium. Dei seruitium negligunt, terrenis lucris inseruiunt, sacerdotium per immunditiam polluunt, populum per simulationem seducunt, deum per mala opera abnegant, omnes scripturas ad salutem pertinentes abdicant, omnibus modis laqueos ad ruinam populo substernunt, quem cæcum ipsi cæci ad interitum præeunt.* At clericis fortasse solutiora erant omnia; maior in monasterijs religio & pietas. Immo ibi quoque *videbis*, inquit, *bestiæ tabernacula. Per fictam professionem Deum irrident, normam regularem moribus & vita calcant, per habitum seculum fallunt, plerique gulæ & illecebris dediti sunt, quidam in immunditiæ sorde computrescunt.* Quorum singularis improbitas materiam dedit dicterijs illis, rhythmis, querelis quę apud grauissimos authorçs passim occurrūnt de illorum temporum & hominum otio, vanitate, luxuria, vtpote nihil ferè sequentium nisi quod nomen corū ad terrorem, abdomen ad gulam, inguen ad stuprū & infandas libidines turpissimè foueret. De quorum nequitijs [c] *Lachryma Ecclesiæ* duobus libris ab Hermanno quodā è superiori Germania ante trecentos propè annos conscripta est: quos in publicis prælectionibus & concionibus olim insectatus est vehementèr [d] Philippus Noris Oxoniensis, *Antichristos* appellans, *lupos, latrones, fures, traditores, porcos voraces, hæreticos, Mahometi discipulos, pessimos nebulones, & diabolo ipso peiores. Potiùs essent*, inquit, *à fidelium cœtibus profligandi, quàm vel Ariani vel Pelagiani, vel hæreticorum quiuis alij.* [e] Nicolaus Gallicus Carmelitarum septimus magister generalis, ordinis sui summam improbitatem & mores sceleratissimos expertus, & locum suum iam pertæsus, edidit in illos scriptum aculeatum titulo *Igneæ sagittæ*, quo illos describit *reprobos, cauteriatos, errones, fabulatores, garrulos, inutiles consiliarios, malignos discursores, Sodomæ ciues, optimi testamenti contemptores, præsentium & futurorum seductores, draconis caudam tertiam*

b Honorius episc. Augustodunens. Catal. test. verit. pag. 395.

c Baleus script. Britan. Cent. 4. in sertor. Gualensi.

d Ibid in Phil. Noris.

e Baleus de act. Rom. Pontif. in appendice.

stellarum

stellarum partem de cælo trahentem, & in terram mittentem, pædagogum habentes illum qui rugiendo circuit, quærens quen deuoret: apud quos cùm post quinque annos nihil se proficere videret, magistratu se abdicans in eremum secessit. [f] *Tanta erat morum corruptio & peccandi licentia,* ait Wiclefus, *vt monachi præter violatas virorum coniuges & moniales, virgines quasdam occiderent concubitum eis denegantes. Fœminis persuadebant eorum plures, multò leuius peccatum esse cum illis coire, quàm cum laicis. Præter eorum sodomiam quæ omnem mensuram excessit, interim sese iactitantes eas absoluere posse, & pro peccatis earum responsuros esse semper, in maximis sceleribus eas nutriebant. Mulierum complexiones & secreta disquirebant ex libris, docentes cum illis concumbere in absentijs maritorum maximè esse contra varias ægritudines salubre, &c.* Denique versiculi in illos vulgò iactati sunt:

> [g] *Puto verò quòd prodesset*
> *Si in mundo nullus esset*
> *Monachus vel monialis,*
> *Siue secta Beghinalis.*

Et rursum:

> [h] *O Monachi, vestri stomachi sunt amphora Bacchi:*
> *Vos estis, Deus est testis, turpissima pestis.*

Et in Augustinenses habetur distichon illud:

> [i] *Mendici fratris induti vestibus atris*
> *Augustinus ego nomen habere nego.*

Et in Franciscanos illud:

> [k] *Cordula nodosa, pes nudus, capa dolosa,*
> *Hæc tria nudipedes ducunt ad Tartara fratres.*

Laurentius Agricola paucis omnia complexus est:

> [l] *Qui velit immundum in mundo cognoscere mundum,*
> *Exploret rasos, vestales atque cucullos.*

Longum esset narrare omnia quæ Bernardi sermonibus, quæ opere Tripartito, quæ Durandi libro de modo celebrandi concilij generalis, quæ libro Clemangis de corrupto Ecclesiæ statu, quæ concilio delectorum Cardinalium, quæ Hildegardis & Brigittæ reuelationibus, quæ Budæi libro de *Asse*, quæ centum grauaminibus Germaniæ, & alijs eiusmodi scriptis infinitis de horrendis illorum temporum abusibus, de subuersa propemodum Ecclesia, de omnium ordinum corruptela, de pietate proscripta & profligata explicata sunt. Ex quibus intelligimus impudentissimos

---

f Hospinian. de orig. Monach. li. 6. cap. 17. ex Wicleffi libro de hypocrisi.

g Hospin. ibid. cap. 3.

h Car. prouerb.

i Hospin. lib 6, cap. 2.

k Ibid. cap. 12.

l Ibid. cap. 17.

tissimos esse, qui mores nostros cum monstris illis comparant, & nostra primùm doctrina orbem ad scelerum licentiam & vitæ dissolutionem adductum esse quiritantur.

37 Iam verò qui quæ hactenus de statu Ecclesiæ dicta sunt diligentèr & attentè perpenderit, facilè opinor animaduerterit talem Ecclesiam præterquàm sub Antichristo nunquam esse potuisse: facilè perspexerit Ecclesiæ faciem, corrupto natiuo colore, sic esse mutatam, vt dubitari non possit quin pessimè ab illis mulctata sit quibus alenda & excolenda commissa est. Ecquis est enim tam improbus, tam perfrictæ frontis, qui monstra illa quæ narrauimus, Christi propaginem esse persuadeat? aut ab Apostolis progeneratos esse spurios illos & prodigiosos partus, quos tanquam informem vrsorum prolem Pontifex Romanus in speciem suam lambendo perduxit? Qui nihil videt nisi confusum, nisi tenebrosum & horridum, an ille rempub. Christianam eandem esse senserit quæ ab Apostolis constituta est? Et qui interim Romanam Ecclesiam illam esse aiunt [m] *sine macula & ruga*, quasi [n] *maculam non habeat criminis*, vt exponit Augustinus, *Neque rugam falsitatis*; qui [o] *gentem illam sanctam* esse dicunt, *populum electum, &c.* annon ipsi se esse produnt hypocritas & impostores, & linguas suas pretio & lucro exponere venales? Quare cùm habitus Antichristi Romanum Pontificem ita describat, vt internosci alter ab altero nullo modo possit, haud veremur iterum defigere quod proposuimus, prophetiam illam totam in Ecclesia Romana esse completam, & Romanum Pontificem ipsissimũ esse illum quem inquirimus Antichristum.

m Dist. 21. cap. Quamuis. [illegible] Laurent. annot. [illegible] de [illegible]
n August. cont. Iulian. [illegible] lib. 4 cap. 3.
o [illegible] de eccl. & [illegible] cap. fundamenta.

CAP. II.

De vita & actis Antichristi. Refutantur Bellarmini nugæ de charactere. cap. 11. de miraculis cap. 15. de regno & prælijs Antichristi. cap. 16.

ANtichristum proximo loco vitæ ratio, & res ab illo gerendæ describunt. Neque verò dubitari potest, quin hîc quoque proprium aliquid habeat ex quo illum quiuis agnoscat, quem præiudicatus error transuersum non rapit. Nam vt est eximius Christi hostis, ita illum oportet singulari quodam malitiæ

furore

furore atque impetu cum Christo pugnare, vt Satanam quamproximè referat quo plenus est, &, quo inspirante atque instigante, totum hoc cum Christo bellum exercet. Itaque vt colligamus quæ sparsim hac de re sacris scripturis tradita sunt, & simul ostendamus quàm dextrè omnia Romano Pontifici conueniant, inde ordiamur vnde reliqua omnia tanquam à fonte quodam suo proficiscuntur & promanant. Antichristus quippe ab Apostolo dicitur [a] *homo peccati*, seu potiùs *homo ille peccati*, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας. Vbi vim articuli expendimus, quia perinde valet ac si illum dicat, egregiè & præ aliјs insignitèr peccatorem. Quarè Lyranus, [b] *totalitèr peccato deditum* exponit. Theophylactus *hominem peccati* dictum ait, [c] *quòd futurus sit scelerum omnium patrator, & alios quoque ad peccandum seducturus sit*. Atqui miror si alibi vsquam aut vnquam plùs peccati repertum sit, quàm passim & vbiq; apud Romanos Pontifices videre est. Infandum genus hominum, quibus in rerum natura nihil vnquam spurcius, nihil tetrius aut immanius auditum est. Perquiramus historias, consulamus præteritorum temporum memorias: ne viuam si in vllo hominum decursu aut ordine tot monstra reperiamus; homines omni scelerum turpitudine planè ad horrorem vsque prodigiosissimos. Paucula delibemus, & hinc inde carpentes videamus, quos flosculos nobis Romanorum Pontificum historiæ suppeditent.

a 2. Thess. 2. 3.

b Lyra in. 2. Thess. cap. 2.

c Theophyl. ibid.

2 Ac primò quantum scelus mutuis oppressionibus, & cædibus, & veneficijs ad Pontificatum ascendisse? Atqui hoc sacrum illis, ne quisquam plus æquo grauetur annis, neue sicca morte de Pontificatu decedat. Legitur post Ioannem octauum Papam fœminam, [d] Benedictus tertius vnius tantùm anni & sex mensium Pontifex. Tribus interpositis succedunt Martinus secundus, Agapetus & Adrianus, quorum nemo illud spatium assecutus est. Deinde post Stephanum & Formosum habentur intra plus minus quinquennium octo Pontifices. Ex illis, vt cæteros taceam, Leonem Christophorus deponit, postea Christophorum Sergius, & in vincula coniectum arctissimè custodit. Post Sergij annos septem sequitur Anastasius secundus, anno secundo mortuus, & Laudus primus mense septimo, & Ioannes vndecimus non ante annos quidem tredecim, sed ceruicali in os iniecto suffocatus. Deinde Leo sextus mense septimo, & Stephanus septimus mense supra duos annos primo veneno sublati.

d Vide Platin. de vitis Pontif.

sublati. Sed longum esset catalogum istum pertexere: sit instar omnium [e] Hildebrandus, qui Brazuti ope hominis sceleratissimi, sex ordine Pontifices veneno sustulit vt viam sibi ad Pontificatum muniret. Quare haud miremur, quòd non ita dudum post Gregorium decimumtertium, perexiguo temporis spatio tot nobis Pontifices renuntiati sint, quorum, vt fungorum, repentinus ortus & facilis occasus suspicionem factitiæ mortis validissimam præbet.

e Catal. test. verit. ex epist. Bennonis.

3 Porrò vt se Simoni Mago cognatos ostendant, [f] *largitionibus Pontificium munus ambiunt*; qua via Formosus, Martinus secundus, Syluester tertius, Benedictus nonus, Gregorius sextus, Benedictus decimus, & alij quamplurimi ad Pontificale fastigium ascenderunt. [g] *Eò Pontificatus deuenerat*, ait Platina, *vt qui plùs largitione & ambitione, non dico sanctitate & doctrina, is tantummodò dignitatis gradum, bonis oppressis, & reiectis, obtineret. Quem morem vtinam*, inquit, *non aliquando retinuissent nostra tempora: sed hoc parum est; peiora, ni Deus caueat visuri aliquando sumus.* Et tamen pessima iam antè visa sunt. Visus est Sabinianus *homo maleuolus*, qui in *Gregorium* Magnum prædecessorem suum [h] *adeò ira & inuidia exarsit, vt paululum abesset quin libri eius comburerentur.* Visus est Stephanus tanta rabie desæuiens in Formosum Pontificem non ita pridem mortuum, [i] vt *habito concilio corpus Formosi è tumulo tractum, Pontificali habitu spoliatum & indutum seculari, laicorum sepulturæ mandauerit, abscissis dextræ duobus digitis, illis potissimum quibus in consecratione sacerdotes vtuntur.* Secuti Romanus primus, Theodorus secundus, & quidam alij, qui Stephani omnia rescindunt, Formosi restituunt. At [k] Sergius tertius iterum acta Formosi omnia ita improbat, vt ordines ab eo collatos irritos esse decernat; nec eo contentus cadauer eius è sepulchro tractum capitali supplicio acsi viueret afficiat, corpusque ipsum, præsectis alijs tribus digitis, in Tiberim proijciat, quasi quod communi sepulturæ honore minùs dignum iudicaret. [l] *Peperit nobis licentia peccandi hæc portenta*, ait Platina, *à quibus ambitione & largitione Petri sedes occupata est potiùs quàm possessa.* Ait Deum illos [m] *tanquam monstra quædam breui è medio sustulisse.* Et iterum, [n] *hi*, inquit, *largitione & ambitione Pontificatum quærentes & adepti, posthabito diuino cultu, inimicitias non secus ac sæuissimi quidam tyranni inter se exercebant, suas voluptates postea securius expleturi, cum nullibi extarent qui eorum vitia coercerent.*

f Plat. de vitis. Pontif. in Steph. 6. & Serg. 3.

g Platin. in Syluest. 3.

h Idem, in Sabiniano.

i Idem in Stepha. 6.

k Idem in Serg. 3.

l Idem in Benedicto quarto.

m In Christoph. 1

n In Sergio. 3.

rent. En portenta, monstra, [o] *monstra teterrima,* sæuissimos tyrannos: penes te esto vtrum Christi vicarios arbitreris, an potiùs Antichristos. o In Gregor. 6.

4 Atqui sequuntur adhuc peiora. Ioannes decimustertius, [p] *homo ab adolescentia probris omnibus & turpitudine contaminatus; venationibus magis, siquid temporis à libidinibus supererat, quàm orationi deditus; vir omnium qui vnquam ante se in Pontificatu fuere perniciosissimus & sceleratissimus,* in Synodo Romana sub Othone primo publicè conuictus habetur, quòd [q] *ordinationes Episcoporum pretio fecerit, & decem annorum Episcopum ordinarit: quòd homicidij, periurij, sacrilegij & incesti reus esset;* quòd *Ioannem Cardinalem subdiaconum, virilibus amputatis, occidisset, quòd diaboli in amorem vinum bibisset, quòd in ludo aleæ Iouis, veneris, cæterorumq; dæmonum auxilium poposcisset. Sunt,* inquit Platina, *qui scribunt hunc hominem sceleratissimum, vel hoc monstrum potiùs, in adulterio deprehensum & confossum interijsse.* De Bonifacio septimo [r] *malis artibus Pontificatum adepto* Synodo Remensis: [s] *succedit Romæ in Pontificatu horrendum monstrum Malefacius, cunctos mortales nequitia superans, etiam prioris Pontificis sanguine cruentus, qui in Synodo damnatus & relinquere vrbem coactus, pretiosissima quæq; è basilica Petri subtrahens, Constantinopolim confugit, &c.* Ioannes decimussextus ab ipsis clericis odio habitus, quòd [t] *diuina humanaq; omnia cognatis & affinibus suis elargiebatur, posthabito Dei honore & Romanæ sedis dignitate, quem certè,* inquit, *errorem ita posteris tradidit, vt ad nostram quoque ætatem peruenerit. Fame tunc & peste laboratum est, eaq; mala ob superbiam & rapacitatem Pontificis, contemptumq; Dei & hominum accidisse putatum est.* Syluester secundus, [u] *totum se diabolo tradiderat, & Pontificatum adiuuante diabolo consecutus est, hac lege vt post mortem totus illius esset.* Æneum caput domi clàm habuit, per quod diabolus de rebus futuris ab ipso rogatus responsa dabat. *Cui sciscitanti diabolum quamdiu in Pontificatu victurus esset, responsum est ambiguè, si non attigeris Hierusalem, diu viues.* Post annum verò quartum Pontificatus sui missam faciens in *basilica sanctæ crucis quæ Hierusalem* dicta est, breui se moriturum statim cognouit. Benedictus nonus ad Pontificiam dignitatem [x] *arte Magica,* qua insignis habebatur, euectus est; mulieres quascunque appetebat incantationibus suis in turpes amplexus trahere perdoctus: familiari dæmonum colloquio vti consuetus, & ab vno illorũ tandem in sylua suffocatus

p Idem in Ioan. 13.

q Synod. Romana apud Luithprand. lib. 6, ca. 6.

r Platin. in Bonifac 7.

s Synod. Remens. cont. Arnulph. 2, cap. 28.

t Platin. in Ioan. 16.

u Platin. in Syluest. 2. Baleus de act. Rom. Pontif. lib. 5.

x Catalog. test. verit. ex epist. Bennonis.

sublati. Sed longum esset catalogum istum pertexere: sit instar omnium [c] Hildebrandus, qui Brazuti ope hominis sceleratissimi, sex ordine Pontifices veneno sustulit vt viam sibi ad Pontificatum muniret. Quare haud miremur, quòd non ita dudum post Gregorium decimumtertium, perexiguo temporis spatio tot nobis Pontifices renuntiati sint, quorum, vt fungorum, repentinus ortus & facilis occasus suspicionem factitiæ mortis validissimam præbet.

c Catal. test. verit. ex epist. Bennonis.

3 Porrò vt se Simoni Mago cognatos ostendant, [f] *largitionibus Pontificium munus ambiunt*; qua via Formosus, Martinus secundus, Syluester tertius, Benedictus nonus, Gregorius sextus, Benedictus decimus, & alij quamplurimi ad Pontificale fastigium ascenderunt. [g] *Eò Pontificatus deuenerat*, ait Platina, *vt qui plùs largitione & ambitione, non dico sanctitate & doctrina, is tantummodò dignitatis gradum, bonis oppressis, & reiectis, obtineret. Quem morem vtinam*, inquit, *non aliquando retinuissent nostra tempora: sed hoc parum est; peiora, ni Deus caueat visuri aliquando sumus.* Et tamen pessima iam antè visa sunt. Visus est Sabinianus *homo maleuolus*, qui in *Gregorium* Magnum prædecessorem suum [h] *adeò ira & inuidia exarsit, vt paululum abesset quin libri eius comburerentur.* Visus est Stephanus tanta rabie desæuiens in Formosum Pontificem non ita pridem mortuum, [i] *vt habito concilio corpus Formosi è tumulo tractum, Pontificali habitu spoliatum & indutum seculari, laicorum sepulturæ mandauerit, abscissis dextræ duobus digitis, illis potissimum quibus in consecratione sacerdotes vtuntur.* Secuti Romanus primus, Theodorus secundus, & quidam alij, qui Stephani omnia rescindunt, Formosi restituunt. At [k] Sergius tertius iterum acta Formosi omnia ita improbat, vt ordines ab eo collatos irritos esse decernat; nec eo contentus cadauer eius è sepulchro tractum capitali supplicio acsi viueret afficiat, corpusque ipsum, præsectis alijs tribus digitis, in Tiberim proijciat, quasi quod communi sepulturæ honore minùs dignum iudicaret. [l] *Peperit nobis licentia peccandi hæc portenta*, ait Platina, *à quibus ambitione & largitione Petri sedes occupata est potiùs quàm possessa.* Ait Deum illos [m] *tanquam monstra quædam breui è medio sustulisse.* Et iterum, [n] *hi*, inquit, *largitione & ambitione Pontificatum quærentes & adepti, posthabito diuino cultu, inimicitias non secus ac sæuissimi quidam tyranni inter se exercebant, suas voluptates postea securius expleturi, cum nullibi extarent qui eorum vitia coercerent.*

f Plat. de vitis. Pontif. in Steph. 6. & Serg. 3.

g Platin. in Syl. uest. 3.

h Idem. in Sabiniano.

i Idem in Stepha 6.

k Idem in Serg. 3.

l Idem in Benedicto quarto.

m In Christoph. 1

n In Sergio. 3.

rent. En portenta, monstra, [o] *monstra teterrima*, sæuissimos tyrannos: penes te esto vtrum Christi vicarios arbitreris, an potiùs Antichristos.

4 Atqui sequuntur adhuc peiora. Ioannes decimustertius, [p] *homo ab adolescentia probris omnibus & turpitudine contaminatus; venationibus magis, siquid temporis à libidinibus supererat, quàm orationi deditus; vir omnium qui vnquam ante se in Pontificatu fuere perniciosissimus & sceleratissimus*, in Synodo Romana sub Othone primo publicè conuictus habetur, quòd [q] *ordinationes Episcoporum pretio fecerit, & decem annorum Episcopum ordinarit: quòd homicidij, periurij, sacrilegij & incesti reus esset; quòd Ioannem Cardinalem subdiaconum, virilibus amputatis, occidisset, quòd diaboli in amorem vinum bibisset, quòd in ludo aleæ Iouis, veneris, cæterorumq́; dæmonum auxilium poposcisset. Sunt*, inquit Platina, *qui scribunt hunc hominem sceleratissimum, vel hoc monstrum potiùs, in adulterio deprehensum & confossum interijsse*. De Bonifacio septimo [r] *malis artibus Pontificatum adepto* Synodo Remensis: [f] *succedit Romæ in Pontificatu horrendum monstrum Malefacius, cunctos mortales nequitia superans, etiam prioris Pontificis sanguine cruentus, qui in Synodo damnatus & relinquere vrbem coactus, pretiosissima quæq́; è basilica Petri subtrahens, Constantinopolim confugit, &c.* Ioannes decimussextus ab ipsis clericis odio habitus, quòd [t] *diuina humanaq́; omnia cognatis & affinibus suis elargiebatur, posthabito Dei honore & Romanæ sedis dignitate, quem certè*, inquit, *errorem ita posteris tradidit, vt ad nostram quoque ætatem peruenerit. Fame tunc & peste laboratum est, eaq́; mala ob superbiam & rapacitatem Pontificis, contemptumq́; Dei & hominum accidisse putatum est*. Syluester secundus, [u] *totum se diabolo tradiderat, & Pontificatum adiuuante diabolo consecutus est, hac lege vt post mortem totus illius esset*. Æneum caput domi clàm habuit, per quod diabolus de rebus futuris ab ipso rogatus responsa dabat. *Cui sciscitanti diabolum quamdiu in Pontificatu victurus esset, responsum est ambiguè, si non attigeris Hierusalem, diu viues*. Post annum verò quartum Pontificatus sui missam faciens in *basilica sanctæ crucis quæ Hierusalem* dicta est, breui se moriturum statim cognouit. Benedictus nonus ad Pontificiam dignitatem [x] *arte Magica*, qua insignis habebatur, euectus est; mulieres quascunque appetebat incantationibus suis in turpes amplexus trahere perdoctus: familiari dæmonum colloquio vti consuetus, & ab vno illorũ tandem in sylua suffocatus

[o] In Gregor. 6.

[p] Idem in Ioan. 13.

[q] Synod. Romana apud Luithprand. lib. 6. ca. 6.

[r] Platin. in Bonifac 7.

[f] Synod. Remens. cont. Arnulph. 2. cap. 28.

[t] Platin. in Ioan. 16.

[u] Platin. in Syluest. 2. Baleus de act. Rom. Pontif. lib. 5.

[x] Catalog. test. verit. ex epist. Bennonis.

catus est. Eius [y] simulachrum admodum monstrosum post mortem apparuisse dicitur, & interrogatum quid horrida illa imago præ se ferret cùm antea Pontifex fuisset, respondisse, *se in vita sine lege & ratione vixisse, sedem Petri omnibus probris fœdasse; propterea simulachrum eius plus feritatis quàm humanitatis in se habere.* Innocentius tertius, [z] *super omnes mortales ambitiosus & superbus fuisse* dicitur, *pecuniæq́; sititor insatiabilis, & ad omnia scelera pro præmijs datis vel promissis cereus & procliuis.* Bonifacius octauus vt viam sibi faceret ad Pontificatum, subornat quendam qui per canalem multis noctibus Celestinum Pontificem tanquam cælitùs admoneret, vt Pontificatũ dimitteret, [a] *si saluus fieri vellet. Celestine,* inquit, *negotium supra vires est: si Celestinus vult fieri saluus, Pontificium munus omninò deponat.* Quo per metum cedente, ipse Pontifex factus est; de quo assertum est in Parliamento Parisiensi sub Philippo rege, quòd diceret [b] animam non esse immortalem; fornicationem haud magis peccatum esse quàm manuum confricationem; quòd dæmonem familiarem haberet, quòd homicidio, simonia, adulterio, incesto, & infanda Sodomiæ turpitudine reus esset, qui denique ita se gessit, vt de eo dici solitum fuerit, [c] *Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis*: quod quidam versu minùs poëtico expressit:

[d] *Vulpes intrauit, tanquam Leo Pontificauit,*
Exijt vtq́; canis, de diuite factus inanis.

Alexander sextus [e] *nihil quàm mortalium impostorem egit; nihil quàm ad omnem malitiam & fraudem, quò hominum genus falleret, mentem suam exercuit: in asseuerando qui magis fuerit efficax, aut qui speciosiùs iurauit iuramentum, vicissimq́; qui minùs præstiterit nemo vnquam fuit.* [f] *Homo ad Italiæ exitium natus, perfidia plusquam Punica, sæuitia immani, auaritia immensa ac rapacitate, inexhausta parandi filio imperij per fas & nefas libidine:* qui dum opulentis quibusdã senatoribus ad cœnam inuitatis medicato vino struit insidias, ipse pocillatoris errore venenum ebibit, & suo laqueo iustissimè suffocatus est. Ioannes vicesimustertius homo [g] *damnabili vita, nefandis moribus, criminibus hæresis, schismatis, simoniæ, mala administratione, & notoria dilapidatione bonorum & iurium Romanæ Ecclesiæ & aliarum Ecclesiarum, & alijs criminibus grauibus nedum infamatus, sed illis notoriè in scandalum vniuersalis Ecclesiæ irretitus, & in suis actibus & operibus, vita ac moribus notoriè Ecclesiam Dei scandalizantibus incorrigibilis, vas omnium peccatorum, infamiæ speculum, malitiarum omnium profundus adinuentor, vulgariter*

[y] Platin. in Benedicto. 9.
[z] Math. Paris. in Ioanne.
[a] Paraleipom. Abbat. Vrspergens. & Platin. in Bonifac. 8.
[b] Foxi Martyrolog.
[c] Math Westmonaster lib. 2.
[d] Ibid.
[e] Nichol. Michiauel. princeps. cap. 18.
[f] Onuphr. in Alexand. sexto.
[g] Concil. Constanti. sess. 7. & 10. & 11.

riter dictus ob summam nequitiam, *diabolus incarnatus*. Clemens septimus, siue idem octauus sit, *Leonis decimi*, siue nothus siue nepos, * *veneficus*, *homicida*, *leno*, *simoniacus*, *sodomita*, *periurus*, *stuprator*, *raptor*, *geomanticus*, *sacrilegus*, *& omnium scelerum artifex* fuisse memoratur. Vide porrò sanctissimis istis patribus quæ conscientia rerum sacrarum, quanta pietatis obseruatio esse soleat. Ioannes decimustertius [h] diaconum in stabulo creat, sacros ordines nummis venales prostituit, & similis [i] filijs Eli fæminas Apostolorũ limina orandi gratia visentes, coniugatas, virgines, viduas per vim opprimens, fecit vt præ metu ab illo qualicunque deuotionis officio abstinerent. Bonifacius octauus, cùm [k] Prochetus Archiepiscopus Genuensis ad pedes eius die Cinerum prodiret, solennem diei ceremoniam cineribus in caput acceptis præstiturus, cineres nõ in caput sed in oculos eius conijciens, pro eo quod à sacerdote dici solebat, *Memẽto homo quia cinis es, & in cinerẽ reuertêris*, mutatis verbis ait, *Memento homo quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerẽ reuertêris*. Hildebrandus, qui & Gregorius sept. intelligens [l] Henric. quartum imperatorem frequentèr ire orandi gratiâ ad Ecclesiam S. Mariæ in monte Auentino, promissâ pecunia quendam induxit, vt supra trabes Ecclesiæ occultè lapides magnos collocaret, & ita aptaret, vt de alto super orantis Imperatoris caput demitteret, & ipsum contereret. Quod cùm tentaret, lapis magnus quem in eum finem aptauerat pondere suo illum traxit, & cadentem in pauimentum iusto Dei iudicio oppressit atq; contriuit. Idem Hildebrandus [m] sacramentum corporis Domini, quòd sibi oracula contra imperatorem requirenti nihil respondisset, in ignem iniecit, contradicentibus Cardinalibus qui assistebant; cuius rei testis affertur Ioannes Portuensis Episcopus, qui eidẽ Hildebrando à secretis fuisse memoratur. Cælestinus tertius [n] Constantiam regis Rogerij filiam occultè è monasterio eduxit, eamq;, licèt Deo dicatam virginem, Henrico sexto, vt regno Siciliæ sibi recuperando seruiret, dispensatione sua in matrimonium collocauit: nec ita multò pòst Gregorius nonus [o] *donis & promissis impreciabilibus* adductus est, vt Alienoræ sorori regis Henrici Angli, virgini consecratæ matrimonium contra canones permitteret: *sed aliquid fortè subtiliùs*, ait Mathæus, *quàm nobis datum sit intelligi, Romana curia speculabatur*. Iulius secundus, quem sui quidam agnoscunt *Marti quàm Christo deditiorem fuisse*, proficiscens in bellum

* Baleus de act. Rom. Pontif. lib. 7. in Clement. 8.

h Catalog. test. ver. ex Luithprando.

i 1. Sam. 2. 22.

k Platin. in Bonif. 8.

l Abbas Vrsperg. in Chron. ex epist. Bennonis.

m Ibid.

n Platin. in Cælestin. tertio.

o Math. Parisiens. in Henr. 3.

bellum contra Gallos, Petri claues in Tyberim proiecit, & districto gladio minabundus, [p] *Quando*, inquit, *Petri claues nos contra hostes non iuuant, experiamur an Pauli gladio quicquam proficere possimus.* Ioannes vicesimustertius [q] *si aliquoties celebrauit, hoc fuit currentèr & more venatorum & armigerorum, & plus, ne culparetur totaliter de hæresi & expelleretur de papatu, quàm deuotionis & charitatis causa.* Atat quantus hîc fœtor, quanta teterrimi halitus offensio, dum camerinam istam Acheronticam moueo? An est vllum genus hominum magis profanum, impium, sacrilegum? Ecquis qui magis dicendus sit *homo ille peccati* quàm Pontifex Romanus? Innumera verò sunt quæ cogor breuitatis causa prætermittere, quibus historiæ passim denigratæ sunt, dum Pontificum vitas & acta describunt.

p Balæus de act. Pontif. in Iulio, 2. lib. 7.

q Constantiens. concil. sess. 11.

5 Quanquam non eò tantùm Antichristus *homo peccati est*, quia ipse peccat, sed etiam quia alienorum peccatorum procurator & patronus est. Tantundem Rom. Pontifex. Neque enim sceleratorum hominum parens vnquam fœcundior inuentus est, qui partim legibus suis malos esse compellit, partim suopte ingenio malitiosos potestate sua tuetur & iuuat vt impunè mali sint. Nam legibus suis fœdifragos in Deũ facit, apostatas, idololatras, sacrilegos, superstitiosos, dum peregrinos & prophanos cultus in Ecclesiam introducit. Potestatis falso prætextu adulteros facit & incestos, vbi prostibulis & illicitis nuptijs, & repudijs iniustis licentiam concedit: periuros & proditores, vbi iusiurandum interpretatur excommunicato non esse seruandum, & subditos à iuramento fidelitatis absoluit, & in principes suos arma ferre non permittit solùm, sed mandat & iubet: simoniacos, vbi Ecclesias precio & nummis venales offert, & sibi tamen negat, quod agit, esse simoniam. Et quid nisi omnem omnium peccatorum audaciam parit, qui nummis apud se esse suadet remissionem peccatorum? Et hic erat indulgentiarum Papalium fructus vnicus, non animarum salus, non afflictarum conscientiarum refocillatio, sed impœnitentium obduratio potiùs, & in omnem scelerum licentiam & libidinem pręcipitatio, vt meritò Marsilius Patauinus Pontificiam [r] *veniæ promissionem perniciosam & insanam doctrinam, & seductionem animarum* esse dixerit, *à Christianis omnibus contemnendam & cauendam:* qua [s] *profligatam apud se Christi pietatem, & extinctam* Germani conquesti sunt: *quando quilibet pro modo precij quod in merces illas* indulgentiarum *expende-*

r Marsil. Patavi. defens. pacis, par. 2. cap. 26.

s Centum grauam. German. art. 3.

expenderat, peccandi impunitatem sibi pollicebatur. Hinc stupra, inquiunt, *incestus, adulteria, periuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna semel originem traxerunt. Quod enim malorum amplius iam horrebunt mortales, quando sibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, sed & post obitum ære licèt immodico comparari posse persuasum habent?* Quò altera quoque accessit peccandi haud minor illecebra, quando in monasterijs & religiosis, vt ferebantur, ædibus construendis & dotandis grande meritum & certissimam peccatorum remissionẽ esse persuasit. Postquam enim in chartulas donationum sacrarum clausulæ illæ irrepserant, *pro salute animæ meæ, pro redemptione, pro remissione peccatorum meorum*; incredibile est inde quoque quanta prauitas & flagitiorum omnium immanis & scelerata præsumptio consecuta est: nihil non audentibus illis quibus sat rei erat vt pigris ventribus bolum opimum in os ingererent, & mercenarias illorum intercessiones obtinerent. [t] *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua:* [u] *primogenitum suum pro scelere suo; fructum ventris sui pro peccato animæ suæ.* Quare non pepererunt hæredibus suis, & charissimos filios patrimonio & re mulctare non dubitarunt, qui conscientia scelerum obstricti, hanc sibi viam expiandi animi suas, & peccata sua redimendi tam facilem & expositam esse senserunt. Atque iniquitatem ignorantia cumulauit, quæ indolentiam peperit, & conscientiæ scrupulum omnem exemit, vt cæco impetu & sine metu inflammata libido iret in præceps, & nescia periculi sui nulla se turpitudine non contaminaret. Enimuerò qui tenebras inducit, quî fieri potest vt simul non inducat *opera tenebrarum?* [x] *Hinc innumera mala nascuntur,* ait Chrysostomos, *quòd Scripturæ ignorantur; hinc hæresis; hinc vita dissoluta; hinc inutiles labores.* Quando ergo Pontifex Romanus ventos illos cohibuit, ne placido & salutari spiramine cœlum perflarent; quando Scripturas exulare fecit ex Ecclesia, & crassissimis ignorantiæ tenebris omnia inuoluit, supererat vt fractus pietatis humor vitalis in putredinem elanguesceret, & orbis totus horrendo vitiorum diluuio inundaret. Denique haud obscurum est quantam peccandi licentiam inuexerit Pont. Romanus exemptione Clericorum à iugo potestatis secularis, qui sublato metu gladij temporalis, omnia ferè pro suo arbitrio ausi sunt, parum illos metuentes quos habebant plerumque scelerum suorum participes, quos semper, in honorem

scilicet

[t] Iob. 2.4.
[u] Mich. 6.7.
[x] Chrysostom. procem. in epist. ad Rom.

ſcilicet ordinis ſui, benignè ſecum acturos ſperabant. Et apud illos quanta cautio, nequid in agniculos ſuos duriùs ſtatuerent, cum de horrendis ſceleribus, quorum ne in morte quidem ipſa ſatis digna expiatio eſſe poſſet, ridiculas pœnarum vmbras decernerent, & eas quoque nonniſi in ſpeciem, cùm tot ſeculis in tanta ſcelerum importunitate pauciſſimi reperti ſint qui animaduerſiones illas quaſcunque non ſubterfugerint, & impunitate deteriores facti ſint. [y] *Tanta eſt omiſſio in prælatis circa correctiones,* ait ille quiſquis author eſt opuſculi Tripartiti, *quòd rarò ſit aliquis qui corrigat, etiam de illis qui boni eſſe reputantur: ex quo mala proueniunt innumerabilia, &c.* Quod planiùs & pleniùs à Germanis expreſſum eſt, [z] *Quicunque Eccleſiaſticos recipit ordines maiores ſeu minores, per hoc omnium pœnarum magiſtratuum ſecularium, vtcunque magna perpetret maleficia, immunis eſſe contendit: & ita ordinati ab Eccleſiaſticis ſummæ conditionis ſtatibus in hac peccandi licentia manutenentur. Pudicitiam matronarum & virginum attentant, & noctu interdiuq́; ſolicitant. Vxores ac filias maritis patribuſq́; detinent & remorantur, minantes interim gladio, aqua, igniue vlturos repetitas vxores. Mirum quid latrociniis, homicidiis, innocentum delatione, igni, rapina, furto, falſa cudendo numiſmata, ac mille ſcelerum formis interim contra diuina humanaq́; iura omnia, non ſine magno etiam aliorum offendiculo, liberrimè ac impunè quotidie committant. Et vt in peccatis maleficiiſq́; perpetrandis magis adhuc foueantur, præter omnem æquitatem, aliquatenus interdictum eſt Archiepiſcopis & Epiſcopis, ne malefactores hos publicè criminali iudicio reos agere poßint, niſi priùs degradatos: id quod tantis ſumptibus, tantaq́; pompa celebrari oportet, vt propterea perquam rariſsimè vncti illi malefactores merita plectantur pœna.* Quòd ſiquis paulò auſterior erat, & ſeueriori diſciplina ſuos compeſcere laboraret, in promptu ratio erat expediendi rem omnem, & conatus eius eludendi, appellatione ad Pontificem & curiam Romanam, vbi redemptio facilis & gratia certiſſima, ſiquis cauſam ſuam argenteo ſale conditam afferret. Cuius rei abuſus intolerabilis quantùm vexarit Eccleſiam, quanto murmure compleuerit, quantum ſceleratiſſimis quibuſq; hominibus perfugium & patrocinium præbuerit, teſtis eſt Bernardus, qui appellationum *confuſionem & abuſionem* ad Eugenium Pontificem exponens; [a] *Præter ius & fas,* inquit, *præter modum & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non cauſa diſcernitur aut perſona. Præſumuntur leuiter paßim,*

plerumque

[y] Catal. teſt. ver. ex op. Tripartito.

[z] Centum grauam. German. art. 31.

[a] Bernard. de conſiderat. lib. 3.

plerumque & nequitèr. Appellant quò interim liceat quod nunquam licet. Nonnullis etiam quod vixerunt licuisse appellationis suffragio nefaria scimus, verbi gratia, incestum, adulterium. Volentes malignari nonnè his potissimum terreri solebant? Nunc terrori ipsi ex his magis fiunt, atque in bonis. Appellantur boni à malis, vt non faciant bona; & supersedent, à voce tonitrui tui formidantes. Appellantur Episcopi ne illicita audeant matrimonia soluere vel prohibere. Appellantur ne rapinas, ne furta, ne sacrilegia, & quæ eiusmodi sunt punire vllatenus vel cohibere præsumant. Appellantur ne indignas & infames personas à sacris officijs beneficijsue repellere seu amouere queant. Qua in causa memorabile est exemplum [b] Roberti Grosthed Lincolniensis Episcopi, qui cùm suorum insolentias & irregularitates reprimere tentaret, appellatus ab illis & Romam ire coactus est, vbi à Pontifice castigatus verbis & malè mulctatus, domum rediJt fatigatus, & grauissimo dolore penè confectus. Itaque Pontifice authore atque adiutore nihil ferè videre erat apud Clerum præter effrænem audaciam & improbam peccandi libidinem, cuius exemplo perniciosissimo propagata est ad plebem iniquitas, & facies totius Ecclesiæ fœdissimè sordidata. Quare cùm Romano Pontifice nemo esse sceleratior, nemo sceleratos & peccatores vel generare fœcundiùs, vel fauere libentiùs, vel fortiùs propugnare possit; sequitur Romanum Pontificem esse *hominem illum peccati* quem describit Apostolus, & eodem elogio esse cognoscimus Antichristum.

b Math. Paris. in Henr. 3.

6 Sed de Antichristi peccato adhuc aliquid scriptura distinctiùs notat. [c] *Verba loquetur*, inquit Daniel, *contra excelsum:* & postea, [d] *Mirabilia loquetur contra Deum deorum.* Quæ quanquam ad Antiochum propriè spectant, vt & alia plura quæ sequuntur; quia tamen haud frustra in illo antiqui typum Antichristi præminuisse iudicarunt, eadem in Antichristo requirimus, & quia in Romanum Pontificem cadunt omnia, idcircò incunctantèr illum Antichristum esse concludimus. Verba enim ille loquitur, & mirabilia quidem contra excelsum, quia verbis Dei superbè obloquitur, & illum blasphemijs suis ore sacrilego lacessit & prouocat. Dei veritatē, spectante sole, traducit & insimulat falsi; quam Deus religionem, ille hæresin appellitat; quod Deo sacrum est, ille prophanum esse decernit; illicitum facit quod per Deum licet; & licitum quod vult Deus non licere, neque quicquam est in verbis Dei tam sanctum, quod illius au-

c Dan. 7 25.
d Cap. 11. 5 36.

dacia non impugnat, quod non cassum & irritum esse iubet, si cum decretis illius & voluntate pugnare videatur. Quarum rerum exempla passim occurrunt in sequentibus, quia communia hæc sunt & in alias quoq; Antichristi circumstantias incidunt: sed est aliquid huic loco peculiare, quo illum constat furiosiùs adhuc cum Deo bellum gessisse, & Celtarum more cælum lapidibus tentasse, & horrendis blasphemijs Atheismum & impium numinis despectum apertè prodidisse. Iulius tertius quodam die carnes porcinas, quarum erat appetentissimus, in mensa requirens, cum responsum esset de medici consilio retentas esse, quòd de podagra laboranti essent infestæ, [e] *At affer*, inquit, *mihi porcinam meam etiam despectu Dei*. Idem cùm de pauone subrepto, quem sibi ad cœnam reseruari mandauerat, vehementèr excandesceret, & eum è Cardinalibus quidam rogaret, ne tam parua causa tantùm commotus esset; *Quin*, inquit, [f] *si vnius pomi esu Deus tantopere offensus est, vt propterea primos parentes nostros è Paradiso eiecerit, annon mihi vicario Dei subrepti pauonis iniuria meritò displicebit, cùm inter pomum & pauonem tantum intersit?* Clemens septimus moriturus fatetur se per totam vitam dubitasse de tribus, de quibus illum mors certiorem faceret: *An sit Deus; an anima sit immortalis, an sit vita altera post hanc vitam*. Ante illum verò Ioannes vicesimustertius [g] *sæpè & sæpiùs coram diuersis prælatis & alijs honestis & probis viris pertinacitèr dixit, asseruit, dogmatizauit & adstruxit, vitam æternam non esse, neque aliam post hanc, & animam hominis cum corpore humano mori & extingui ad instar animalium brutorum, & semel mortuum minimè esse in die nouissimo resurrecturum*. Leo decimus Cardinali Bembo, quem habebat ab epistolis, familiariùs mentem suam aperiens, [h] *Quantum*, inquit, *lucri apportauit nobis & curiæ nostræ fabula ista de Iesu Christo?* & cum illum iam moribundus audiret de Christo verba facientem, *Apage*, inquit, *istas nugas de Christo*. En quos nobis Christi vicarios narrent, Satana plenos, & nihil aliud quàm infernum spirantes. Nam ex istis intelligi potest quid reliqui quoque loquantur in cordibus, & in angulis suis demurmurent, cùm manifestum sit omnes ex eodem semine procreatos, ex eodem Luciferi aluo profectos esse.

7 Porrò [i] *confidit Antichristus mutare se posse tempora & leges*. Et se Pontifex: nam de mutatione temporum aperta res est, cùm eum videamus pro libito suo de inferijs festa, & de communibus

e Baleus de actis Rom. Pontif. in Iulio 3. lib. 7.

f Ibid.

g Concil. Constantiense sess. 11.

h Baleus in Leone de act. Rom. Pontif. lib. 7.

i Dan. 7. 25.

munibus diebus sacros & solennes instituere. Qua mutatione tantum diebus illis accedere putatur, vt eos Bellarminus [k] *alijs sanctiores & sacratiores, & partem quandam diuini cultus* esse pronunciet. Ita quod nemo vnquam assumpsit, penes se habere vt diebus & temporibus sanctitatem conferre possit, id Pontifex per superbiam ausus est, & festorum multiplicatione Christianam Ecclesiam ad seruitutem dierum plusquam Iudaicam obstrinxit. Quorum multitudo ita homines in cultum sanctorum abduxit, [l] *vt dei eiusque cultus obliuiscerentur:* agricolis ita tempus intercepit, [m] vt *vix suppeteret quo fructus terræ non raro periclitantes in horrea conferre possent:* operarijs in grauamen cessit, nihil habentibus vnde se & suos sustentarent nisi de labore suo: denique occasionem præbuit otij atque desidiæ, atque inde multorum scelerum ac peccatorum, quæ [n] *plura fiebant innumerabiliter in festis quàm in alijs diebus*, ita vt meretrices & scorta iactarent *se plus lucrari consueuisse in vno festo de peccato suo, quàm per totam septimanam vel quindenam ferialem.* Atque hac in re non eò solùm peccauit quòd festiuitates mortuis sanctis dedicauerit, quę diuinis tantùm honoribus seruire debuissent; verumetiam quia falsa quædam & fabulosa festorum honore consecrarit. Festum enim Conceptionis beatæ virginis, quo illam absque peccato conceptam insinuant, qua de re inter Franciscanos & Dominicanos tanta olim contentio & rixa suborta est, quiddam habet, vt [o] Bernardus firmissimis argumentis ostendit, à scripturæ fide prorsus alienum. Festum quoque Assumptionis Mariæ singularem illorum hominum impudentiam coarguit. Nam cùm in Missæ lectione per ipsos constet, de assumptione ista [p] *nihil in Ecclesia certum* haberi, & nonnisi *Apocryphum* & suspectæ fidei esse scriptum illud, quo corpus virginis post mortem assumptum narratur, quod & sermo [q] *Fulberti* apud Augustinum abundè confirmat; impudentissimos esse necessę est, qui festi diei celebritate fabulam illam tanquam indubitatum fidei articulum credendam obtrudunt. Verùm in istis vt & in cæteris potestatem suam Romanus Pontifex agnosci vult, qua eum sui dicunt [r] *posse rerum naturam immutare, substantialia vnius rei applicando alteri, & de nullo aliquid facere posse,* ac proinde, ne Antichristum esse dubites, de silice aquam, & de monachorum somnijs dierum sanctitatem posse producere.

8 Eandem Pontifici circa leges potestatem attribuunt, quem

k Bellarm. de. Eccles. triumpha. lib. 3. cap. 10.

l Nic. Clemang. de nouis festis.

m Centum grauam. German. art. 57.

n Opus. Tripart. par. 3. cap. 1.

o Bernard. epist. 174.

p Lect. in festo Assumptionis.

q Fulbert. apud August. de sanctis serm. 35.

r Decretal. Gregor. de transla. epis. cap. Quanto in glossa.

quem aiunt [f] *posse de iniustitia facere iustitiam corrigendo iura & mutando*; qui [t] *se ait iura omnia conclusa habere in scrinio pectoris sui*; qui per tyrannidem iura omnia, quatenus visum est, & leges omnes oppressit, vt solis legibus suis authoritatem vindicaret. De Antichristo Lactantius: [u] *Hic insustentabili dominatione vexabit orbem: diuina & humana miscebit; infanda dictu & execrabilia molietur: noua consilia in pectore suo volutabit, vt proprium sibi constituat imperium, leges commutabit; suas sanciet; contaminabit, diripiet, spoliabit, occidet.* Et de Romano Pontifice, vt alterum in altero agnoscas, synodus olim Reginoburgensis: [x] *Insustentabili dominatione populum Christi sanctosque Dei vexat, diuina, humana miscet: infanda, execrabilia molitur: confunditur ius omne, & leges pereunt; noua consilia sub pectore volutat, vt proprium sibi constituat imperium; leges commutat; suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit perditus homo ille quem Antichristum vocare solent, in cuius fronte contumeliæ nomen scriptum est, Deus sum, errare non possum.* Quas ille turbas principibus dedit, quantis tumultibus omnia compleuit, vt omnia sibi raperet, neq; legibus vllis contra illius decretales & decreta locus esset. Pro conseruanda principum in causis ciuilibus authoritate, cautum est æquissima lege, vt *actor forum rei sequatur.* [y] *At in plerisque partibus aliter ex consuetudine habetur*, ait Alexander tertius. [z] *Talis consuetudo*, ait glossa, *contra omnia iura prædicta est: sed introducta est propter negligentiam laicorum in exhibenda clericis iustitia: sed Papa siue sint negligentes siue non, quotidie concedit literas clericis contra laicos super quacunq; quæstione, & ita assumit sibi iurisdictionem aliorum.* Nempe mera tyrannide causas omnes & controuersias ad leges suas & subsellia pertraxit, nec aliud erant leges principum quàm telæ aranearũ, quarum sententiã non curaret qui ad Pontificiarum legum præsidia conuolaret. Immò ne suis aut suorum legibus pepercit, sed ex arbitrio & pro re nata omnia peruulsit. [a] *Post Formosum*, ait Platina, *ferè semper hæc consuetudo seruata est, vt acta priorum Pontificum sequentes aut infringerent aut omninò tollerent.* Quin & id se posse defendit Innocentius quartus, quia [b] pari se potestate esse sentit ad abrogandum, qua prædecessores eius erant ad constituendum, & ab eo quem nonnisi parem habeat, quia [c] *par in parem non habet imperium*, ligari non queat. Ita Paulus secundus: [d] *Pontifex sum*, inquit, *mihique licet pro arbitrio animi aliorum acta vel rescindere vel approbare.* Et hoc illis subinde

f Ibid.
t Plat. in Paulo 2.
u Lactant. institut. lib. 7. cap. 16.
x Auentin. annal. lib. 7.
y Decretal. de foro competenti. cap. si clericus
z Ibid. in glossa.
a Platin. in Steph. 6.
b Math. Paris. in Henr. 3.
c Decretal. Gregor. prooem. in glossa. text. de consuetudine cap. 1. in glossa.
d Platin. in Paulo 2.

subinde facere consuetum est per clausulam, *Non obstante*, quo tanquam ariete muros legum omnium & propugnacula subuertunt, vt per libidinem Pontificis nihil in rebus humanis certum, nihil ratum esse possit. Quod tamen haud mirum est in legibus humanis ausum esse, qui Christi quoque mandatum, *Bibite ex hoc omnes*, sacrilego stylo rescindit, & [e] *hoc non obstante* decernit populum dominici calicis in sacramento participem non fore. Quod ipsum audet & agit, qui penes se esse ait dispensare, vt postea videbimus, non modò de omnibus Ecclesiæ præceptis, parum est; sed contra ius naturæ, contra Apostolum, contra canones Apostolorum, contra vetus testamentum: quod qui assumit, alter ille certè ab Antichristo esse non potest.

e Concil. Constantien. sess. 13.

9 *Pro* [f] *voluntate sua faciet* Antichristus. Et facit Pontifex. Nam [g] *in his quæ vult ei est pro ratione voluntas. Non est qui ei dicat, Cur ita facis? Satyricum illud inculcat, Sic* [h] *volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Qui absolutissima potestate tantum præpollet omnibus, vt [i] *licèt suæ & fraternæ salutis negligens innumerabiles secum populos caternatim ducat cum primo gehennæ mancipio in æternum vapulaturos, illius tamen culpas isthic redarguere præsumat mortalium nullus, quòd cunctos ipse iudicaturus à nemine sit iudicandus.* Cui eousque licet quod libet, vt [k] *sacrilegium sit de facto Papæ disputare:* qui vtcunque sit nequissimus, *semper præsumitur esse bonus: cuius facta* vtcunque sint pessima, & diabolicam contineant impietatem, tamen *excusantur vt homicidia Samsonis, & furta Hebræorum, &c.* cui Episcopi omnes iuramento sic obstricti sunt, vt [l] *contra illum, etiamsi vera dicat Episcopus quispiam, faciat nihilominus, contra iuramentum suum.* Ecquid mentis aut conscientiæ sycophantis istis relictũ fuisse putemus, quos non puduit de homine scelerato talia proferre? Sed tamen ita decuit, vt hinc constaret in Antichristi descriptione nihil esse quod non in Romano Pontifice manifestè compertum sit. [m] *Persuaserunt Papæ*, ait Franciscus Zabarella, *quòd omnia posset, quòd liceret ei quicquid liberet; etiam illicita alioqui: sicq; eum supra Deum extulerunt.* Quòd autem excipiunt quidam illorum, non se probare quæcunque à Canonistis & glossatoribus illis scripta sunt, parum illos iuuat, quia hoc ipso aisse debent, non se probare quæ à Pontificibus hac in parte dicta & facta sunt. Nam meminisse debent Canonistas non ex otiosa scholarum contemplatione, sed ex vsu rerum & fori Pontificij consuetudine omnia locutos

f Dan. 11. 36.
g Decretal. Greg. de translat. epis. ca. Quantò in glossa.
h Catal. test. verit. ex Gerocho. pag. 205.
i Dist. 40. si Papa
k Dist. 40 Non nos in glossa.
l Catal. test. verit. ex epist. Æn. Syluij ad capit. Moguntin.
m Catal. test. verit. ex fran. Zabarella de schis. & concilio.

cutos esse, ac proinde non qualis Pontifex per scholam esse debuerit, sed qualis fuerit, quid egerit, quantum sibi arripuerit, quod fuit illis familiare & in quo Antichristi causa maximè consistit, commodissimè omnium exposuisse. Qui quod Pontificem agere viderunt, illum iure posse agere senserunt, quia ipse de se credi præceperat quòd errare non posset.

10 *In* [n] *concupiscentijs fœminarum* siue *erit* Antichristus siue *non erit*. Verba enim Hieronymo ambiguè posita videntur, & [o] *intelligitur*, inquit, *habere eum concupiscentiam fœminarum, & non habere*. Habebit reipsa, sed tamen non habere præ se feret, quia *simulabit Antichristus castitatem, vt plurimos decipiat*. Atque hoc aliquam fortasse causam præbuit, cur Antichristus vocabulo [p] *meretricis* insigniatur; quippe quæ, vt habetur apud Solomonem, [q] *comedit & tergens os suum dicit, Non sum operata malum*. Hoc verò Pontificem & Clerum Romanum ita describit vt nihil magis; qui vsqueadeo se per hypocrisin sanctos esse volunt, vt nihil illis cum coniugio rei sit, nequod ex carne contagium adhærescat: quia [r] *qui in carne sunt*, vt Siricio visum est de nuptijs ore blaphemo pronunciare, *Deo placere non possunt*. [s] *si enim in veteri lege carnis immunditia pollutis non licebat vel edere panes propositionis, vel manibus contrectare res sacras, vel templum ipsum intrare; multò minùs*, inquit Costerus Iesuita, *conuenit his sacrorum nostrorum administratio, qui vxoribus suis liberisq; procreandis vacant*. Itaque solenni voto cœlibatum & continentiam promittunt, sed ita scilicet, [t] *quantum infirmitas humana permittit*. Iam verò tanta est apud illos infirmitas humana, vt continentiæ loco passim libido dominetur, & stupris atque adulterijs plena sint omnia, canibusq; ac porcis inquinatiores sint, qui cœlibatu angelicam puritatem pro exequendo scilicet missæ sacrificio se referre prętendunt. Atque ipsos præ cæteris Pontifices nobiles adulteros & scortatores agnoscas. Sergius tertius [u] Maroziam Guidonis cuiusdam primarij viri coniugem familiarem habet, & in æternam rei memoriam progignit ex illa Ioannem postea Pontificem, nominis sui duodecimum. Ioannes vndecimus parem habet gratiam cum [y] Theodora meretrice, & per illam ad Pontificatum euehitur. Ioannes decimustertius [z] Raineram & Annam, Hildebrandus [a] Machtyldem comitissam, Alexander sextus [b] *mulieribus maximè addictus, Vannociam colit*, & [c] Iuliā Farnesiam, cuius gratiā Paulū tertium fratrem eius in Cardinalium numerum

n Dan. 11.37.
o Hieronym. in Dan. 11.
p Apoc. 17.1.
q Prou. 30.20.
r Siric. epist. 1. cap. 7. tom. 1. Concilior.
s Coster. Enchirid. cap de cælibat. sacerdotum.
t Hospinian. de orig. Monachat. lib. 6. cap. 73.
u Baleus in Serg. 3. ex Luithpran.
y Baleus in Ioan. 11. de act. Rom. pont lib. 4.
z Synod. Rom. apud Luithpran. lib. 6.
a Baleus in Gregor. 7.
b Onuphr. in Alex. 6.
c Sleidan. Comment. lib. 21.

numerum allegit, quòd minaretur se alioqui copiam sui non ampliùs illi facturam. Immò neque ab incesto temperarunt. Ioannes decimustertius [d] Stephanam concubinam patris sui, & duas sorores vitiauit. Bonifacius octauus [e] duas neptes suas constuprauit, & ab vtrisque prolem fœcundus pater suscepit. Alexander sextus filiam suam [f] Lucretiam pro scorto habuit: vnde epitaphium de illa conscriptum est:

[g] *Hoc iacet in tumulo Lucretia nomine, sed re*
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Eadem consuetudine Paulus tertius cum [h] Laura Farnesia nepte sua, & Iulia sorore, & Constantia filia vsus est. Sed quid singulos narro, cum cōstet Cathedram Pontificalem à Ioanne octauo paposœmina nobili scorto sic infectam esse, vt vniuersos morbus iste peruaserit, & sine dubio plerunque meretricem oleat, quicunque sedem illam pestilentiæ conscendit.

11 Ac de hac turpitudine totus clerus Romanus infamis esse consueuit. De coniugijs presbyterorum quanta cautio? quanta inquirendi diligentia? quanta puniendi seueritas? At scorta publicè habentur: de concubinis ex professo dispensatur, vt meretricem alere liceat ei cui vxorem non licet: Qua de re mulcta quoque indicta est, quam qui appenderet Episcopo, extra discrimen se futurum confideret. Quin & de more temporum illorum lepidè quidam narrat [i] collectam hoc nomine ab Episcopo in totum clerum impositam; fiscalem ei percipiendæ deputatum in quendam incidisse *pluralem in beneficijs*, & ab illo censum istum postulasse. *Da*, inquit, *Episcopo collectam*. Sacerdos verò, *Quare?* inquit. Fiscalis, *propter concubinam*. Iterum sacerdos, *Nullam habeo neque vnquam habui*. Tum fiscalis, *Si non habes, dispone tibi vnam, quoniam Episcopus vult habere pecuniam, & ego partem meam; cum tot habeas beneficia, posses vel nobilem educare.* Quod ab illo confictum non est, quia erat hæc vna ex [k] enormitatibus illis quibus se Germania grauatam querebatur, & fatetur Campegius Cardinalis [l] *scire se hunc esse morem Episcoporum Germaniæ, vt accepta pecunia scortationem suis permittant.* Quid ipsos fecisse credibile est, qui penes se esse putarunt suis scortandi licentiam dare? Et hi sunt tamen Ecclesiæ lumina, patres & senatores orbis terræ, tantæ sanctitatis, vt eorum impertita [m] benedictio remissionem scilicet peccatorum elargiatur. Ecce verò quam sancti, [n] Ioannes Cremensis Cardinalis Pontificis in Angliam

d Synod. Rom. apud Luithprand. lib. 6 cap. 6.
e Nauncler. generat. 44.
f Baleus in Alexand. 6. de act. Rom. Pont. li 6.
g Chemnic. in exam. concil. Trident. de cœlib. sacerd.
h Sleidan. Comment. lib. 21.
i Epist. obscur. viro. append. de fide concubinar.
k Centum grau. German. art. 91.
l Sleidan. Comment. lib. 4.
m Sext. procem. in glossa.
n Math. Paris in Hen. 1.

gliam legatus ſub Henrico primo, conuocata Londini ſynodo, in ſacerdotum vxores & concubinas vehementèr inuehitur, & ſummum ſcelus eſſe denunciat, *de latere ſurgere meretricis ad corpus Chriſti conſiciendum.* Mox verò ipſe, cùm eodem die conſecraſſet, cum meretrice interceptus eſt. *Res notiſſima,* ait Mathæus, *negari non potuit.* In concilio Tridentino [o] *ſchola* videlicet *optima,* ferunt [p] epiſcopos aliquot in adulterio deprehenſos, occiſos, & de feneſtris ſuſpenſos, meritiſſimas ſanctitatis ſuę pœnas dediſſe; vtique oſtendentes quales iam antè apud ſuos eſſe cõſüeuerant. Sed quid eo longiùs? ipſum Pontificis comitatum attendere placeat. Poſtquam Lugduni Pontifex aliquandiu manſiſſet circiter annum domini 1250. abiturus tandem *Hugoni* cuidam Cardinali demandat, vt ciuibus ipſius nomine cum gratijs valedicat. Ille verò poſt multa: [q] *Amici*, inquit, *magnam fecimus poſtquam in hanc vrbem venimus vtilitatem & eleemoſynam. Quando enim primo huc venimus, tria vel quatuor proſtibula inuenimus, ſed nunc recedentes vnum ſolum relinquimus: verùm ipſum durat continuatum ab orientali porta ciuitatis vſque ad portam occidentalem.* Hæc eſt ſcilicet pietas, hæc ſanctitas Romanæ curiæ; vt nihil mirum ſit Romæ ſub ipſis oculis Pontificis lupanaribus & proſtibulis, [r] *neceſſario malo,* vt viſum eſt Hardingo noſtro, licentiam dari, & * ſtatum inde vectigal percipi: quę tamen Anaſtaſius imperator laudatiſſimo exemplo ſuſtulit olim, & [ſ] *tributum illud impium & ſceleratum, Deo inuiſum, & ne ipſis quidem barbaris, nedum Chriſtianiſſimo Romanorum imperio* (multo minus Pontifice) *dignum prorſus aboleuit, & ſchedas omnes quæ rationem exactionum complectebantur,* igni cremandas adiudicauit. Sed illa Pontifex ferenda ſibi iudicat, minimè ille ſolicitus rei ſuæ de peccato alieno, ſed honeſta ratione ne matronarum, ſi dijs placet, pudicitia tentetur, parùm attendens quòd [t] *quæſtus inde perceptus, non alitèr atque lex quædam, eos qui tam turpis flagitij cupiditate flagrant veluti voce emiſſa ad idem impellat,* ac proinde plures ipſe perdat animas lupanaria permittendo, quàm periclitentur matronę lupanaria prohibendo.

12 Neque tamen mirum videri debet aliâs lupanaria eſſe permiſſa, quando ipſæ quoque ædes ſacræ pro lupanaribus habebantur; quando clauſtra *virginum* [u] *viſcaria & aucupia ſatanæ* facta ſunt; *non ſanctuaria Dei,* [x] *ſed Veneris &* [y] *mulierum dæmonialium execranda proſtibula, laſciuorum & impudicorum iuuenum ad explendas*

o Campian. rat. 4.
p Lauren. Humphre. ad Camp. rat. 4.
q Math. Paril. in Henr. 3.
r Harding. confut. apolog. eccl. Ang.
* Baleus de act. Rom. Pontif. in Paulo 3.
ſ Euagr. hiſt. lib. 3. cap. 39.
t Euag. ibid.
u Catal. teſt. veri. ex Ebert. p. 393.
x Clemang. de corrup. eccl. ſtatu.
y Centur. Magdeburg. 11. ca. 6. ex Iuone.

explendas libidines receptacula, ita vt *idem esset* apud illos *puellam velare, quod & publicè ad scortandum exponere.* Neque certè vsquam aut vnquam audita est turpitudo maior quàm inter votarios illos; quod probè viderunt qui in monasteriorum erectione [z] *quotidianam scortationem in sanctum statum canonizatam* fuisse tradiderunt. Quod apud nos in monasteriorum euersione probè compertum est, quando ex visitatione Henrici octaui libidinum in illis tam prodigiosa fœditas detecta est, vt planè agnoscamus, nisi refractarij esse velimus, iustissimo Dei iudicio expuisse ædes illas habitatores suos, & meritò ad extremam ruinam & vastitatem esse perductas. Neque verò sine causa cecinit ille quicunque fuit.

z Hospinian. de orig. Monachat. lib. 4. ca. 16.

* *Non malè sunt monachis grata indita nomina patrum,*
Cùm numerent natos hîc & vbique suos.

* Ibid. lib. 6. ca. 3.

Gregorius quidam monachus è monasterio quodam Sueuico de suis refert, * si pauperculus aliquis eò veniret, iussum frusto dato mox discedere: sin meretrix, per triduum saltem à monachis familiaritèr exceptam esse: tanta illis cura ne discederet priusquam liberalem ab illis eleemosynam accepisset. Quem animum reliquis eundem fuisse declarant abhominandæ luxuriæ & scortationes, quas apud * Minoritas regnasse testatur suo tempore Cornelius Agrippa; quas apud omnes ordines inualuisset scriptores illorum temporum passim ostendunt. Incredibile porrò est illorum exemplo quàm latè turpitudo ista propagata sit, vt pariter atque apud gentes scortatio vix in crimen sit habita, nec quenquam puduerit de hac labe, dum * *vitiosus cōscientias vitiosorum non refugit, & qui omnes sordent, vnius fœtor minimè sentitur.* Sub illis temporibus Deus, vt insignis medicus obseruat, luem illam teterrimam *morbum Gallicum* siue Neapolitanum immisit, quo se inuicem vir & mulier dira peste contaminant, de quo priora secula nihil vnquam audierant, vt nouo & formidabili iudicio palam ostenderet diluuium illud fœdissimarum libidinum quàm sibi maximè displiceret. Atque vtinam in vsu fœminarum substitissent, & concubitus tantummodo naturales, quanquam illicitos, tentassent: illi verò postquam licitam coniugij sanctitatem & castas nuptias per hypocrisin repudiassent, præcipites, vrgente Satana, in infandas libidines & masculas veneres fœdissimè prolapsi sunt, & de se verum esse comprobarunt, quod de prophanis olim gentibus denunciat

* Ibid. li. 5. ca. 15.

* Ibid. lib. 6. cap. 14. ex Cornelij Agrippæ.

* Bernard. de Consideral. lib. 1.

Apoſtolus Paulus;[a] *Quia Deum cognoſcentes, non ſicut Deum glorificauerunt, propterea tradidit illos Deus fœdis affectibus, vt fœdarent corpora ſua inter ſe. Maſculi quippe, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt libidine ſua alius in alium, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes.* Nempe dum cutem vnicè curant, & regijs epulis aſſiduè ventrem inferciunt, vſuuenire oportuit quod in illos à magnatibus quibuſdam noſtris in parliamento quodam Weſtmonaſterienſi animaduerſum eſt olim; [b] *delicata cibaria virorum Eccleſiaſticorum quærere naturalem purgationem vel peiorem.* Neque verò inferiorem tantummodo [c] clerum, teſte Bernardo, Sodomitica illa turpitudo commaculauit, ſed ad celſiores quoque gradus aſcendit, & ſummos ipſos Pontifices inquinauit. Nicolaus quidam de Bibrach Erphordienſis, non obſcurè innuit [d] ſe à Martino ſecundo veluti Ganymedem, quo verbo facile eſt diuinare quid velit, ad turpiora quædam expetitum. Iulius ſecundus [e] diabolico libidinis æſtu & furore percitus, nobilem quendam adoleſcentulum è Germania in Italiam doctrinæ cauſa profectum, per vim compreſſit, vnde diſtichon:

Venit in Italiam ſpectabilis indole rara
Germanus: rediyt de puero mulier.

Eadem portentoſæ luxuriæ infamia deteſtabiles erant Bonifacius octauus, Sixtus quartus, qui Romæ pro templo * lupanar extruxit, & vtrique Veneri ſanctiſſimus pater aſſignauit, Clemens octauus, Paulus tertius, & alij ex illis quamplurimi; vt [f] Iulium tertium non omittam qui habita priùs cum Innocentio quodam ſtupri conſuetudine, eundem Pontifex factus honoraria mercede Cardinalem creauit, & denuò ad ſe recepit, vnde Romæ fama erat, & libellis quoque perſcriptum fuit, *à Ioue Ganymedem foueri, licèt deformem*; nec ipſe rem diſſimulauit, commemorans aliquando per iocum quàm fuiſſet Innocentius ille laſciuus & importunus adoleſcens, & vt oſtenderet quantum faueret peccato ſuo, Ioannem Caſam prouexit archiepiſcopatum Beneuentanum, & legatum fecit à latere, & decanum cubiculi ſui; ſceleratiſſimum hominem & ſuprà quàm dici poteſt impudentiſſimum, qui [g] Sodomiticam impuritatem rhythmo Italico laudare non erubuit, & apertè fateri non alium ſibi concubitum in vſu extitiſſe. Nempe veriſſimum eſt quod Vulteius de Roma ſcripſit:

[a] Rom. 1. 21. 24. &c.

[b] Chemnic. in exam. concil. Tridentini de cœlib. ſacerd. ex Baleo.

[c] Bernard. de Conuer. ad cleric. cap. 29.

[d] Catalog. teſt. veri. pag. 503.

[e] Baleus in Iulio. 2. de act. Rom. Ponti. lib. 7.

* Henr. Agrippa. in declamat. ad Louanienſes.

[f] Baleus in Iulio. 3. de act. Rom. Pontif. lib. 7.

[g] Ibid.

Roma

Roma quid est? quod te docuit præposterus ordo.
Quid docuit? Iungas versa elementa, scies.
Roma amor est. Amor est? qualis? præposterus, vnde hoc?
Roma mares. Noli dicere plura; scio.

En tibi quæso in hoc speculo Pontificiæ continentiæ sanctitatem. En verò potiùs Antichristum, qui concupiscentiam fœminarum vbi maximè habet, habere dissimulat, & virentibus folijs promissi cœlibatus mortiferos libidinis & luxuriæ fructus tegit.

3 *Extollet*[h] *se Antichristus supra id omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Et Pontifex se. Ac primùm quidem Imperatores & Reges *dicuntur* dij. [i] *Ego dixi*, inquit, *dij estis*, quia vt olim Eleutherio visum est, [k] *Vicarij Dei sunt in regnis suis*, & immediatè locum eius obeunt in terris. Quare de Imperatore vetus Ecclesia: [l] *Colimus imperatorem vt hominem à Deo secundum, solo Deo minorem.* Atqui Pontifex [m] *superioritatem ad imperium* sibi vendicat, & imperatore se maiorem facit. Quid dico maiorem? Audi illum literis ad Constantinum imperatorem Constantinopolitanum magnitudinem suam mathematicè definientem: [n] *Ad firmamentum cœli, hoc est, vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas, & Regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est, spiritualibus, maior est; quæ verò carnalibus, minor: vt quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.* Differentiam illam glossa quanquam parum Geometricè subducit: [o] *Igitur cùm terra sit septies maior luna, sol autem octies maior terra, restat ergo vt Pontificalis dignitas quadragesies septies sit maior regali dignitate.* Parum est Pontifex: Imperatore quadragesies septies maior est. De cæteris ergò nihil mirum: Imperatorem Pontificis equum manu ducere, strepam illi tenere; pedibus osculum figere, aquam loturienti profundere, ferculum primum apponere, & siquid aliud sit quo se sedis Apostolicę mancipium ostendat. Quæ quidem officia tanta religione sibi deberi sentit, vt [p] Frederico Imperatori vehementèr succenseat Adrianus, quòd sinistram ei strepam teneat cùm debeat dextram, ac proinde difficilè admodum consecrationem illi Cæsaream & benedictionem impertiatur. Denique [q] *aurum*, inquit, *non tam pretiosius est plumbo, quàm regia potestate altior est ordo sacerdotum*: [r] *quos nemo dubitat regum & principum patres & magistros censeri; ac miserabilis*

h 2. Thess. 2. 4.
i Psal. 82. 6.
k Eleuther. epist. ad Lucium regem Britan.
l Tertul. ad Scapulam.
m Clement. de appellat. cap. Pastoralis.
n Decret. Greg. de maior. & obedient. ca. Solitæ.
o Ibid. in glossa.
p Centur. Magdeb. 12. ex Helmol lo ca. 81. Baleus de act. Rom. Pont. in Adria. 4.
q Dist. 95. Duo sunt.
r Ibid. cap. Quis dubitet.

ſerabilis inſaniæ eſſe ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare. Quare [s] *generali decreto conſtituimus,* inquit, *vt execrandum anathema ſit, & velut præuaricator fidei Catholicæ ſemper apud Deum reus exiſtat, quicunque regum ſeu Epiſcoporum, ſeu potentum deinceps Romanorum Pontificum decretorum cenſuram in quoquam crediderit, vel permiſerit violandam.* Ecce verò quàm grandi cothurno prodeat tragicus declamator *Pius* quintus, Elizabetham noſtram, ſereniſſimam principem, ſententia ſua declaratoria de regno deiecturus. [t] *Regnans in excelſis cui data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra, vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, extra quam nulla eſt ſalus, vni ſoli in terris, videlicet Apoſtolorum principi Petro Petriq́ ſucceſſori Romano Pontifici, tradidit gubernandam. Hunc vnum ſuper omnes gentes & omnia regna principem conſtituit qui euellat, deſtruat, diſſipet, diſperdat, ædificet, plantet, &c.* Nempe ſuum eſſe ait dare regna & auferre, ſublimare reges & deijcere. Cuius rei indicium [u] Celeſtinus eſſe voluit, vbi coronam Imperatori pede ſuo, ſuperbus furcifer, & impoſuit & excuſſit. Ita Childericum apud Francos regno priuauit, & Ioannem apud Anglos, & Henricum quartum Imperio exuit; quin & Imperium ſe tranſtuliſſe ait à Græcis ad Francos, à Francis ad Alemannos, & poſſe ſe iterùm ad Græcos denuntiat. Scilicet [x] *Imperator,* inquit, *quod habet, totum habet à nobis. Ecce in poteſtate uoſtra eſt vt demus imperium cui volumus. Propterea conſtituti ſumus ſuper gentes & regna, vt deſtruamus, & euellamus, & ædificemus, & plantemus, &c.* Vtique agnoſcimus vocem draconis qui de regnis mundi & gloria eorum impudentiſſimè gloriatur, [y] *Hæc omnia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa: & illi dabo qui procidens adorauerit me.*

14 *Magnificabitur* [z] Antichriſtus *aduerſus omnem Deum,* & [a] *extollet ſe ſuper id omne quod colitur*; hoc ipſo ſcilicet quòd [b] *cunctam religionem,* ait Hieronymus, *ſuæ ſubijciet poteſtati*; quòd [c] *extollet ſe,* ait Origenes, *ſuper omne verbum quod eſt extra ſe, quod annunciatur eſſe verbum Dei.* Nam qui poſthabita numinis authoritate, cultum omnem religionis arbitrio ſuo componit; qui Dei verba ludibrio habet, & verbis ſuis authoritatem omnem ſuperbè vendicat, neque quicquam ſanctum eſſe patitur, vtcunque diuinitùs inſtitutum, niſi quod rationibus ſuis conſentaneum eſſe viderit; quid ille aliud quàm in Deum ipſum poteſtatem vſurpat, & illo ſe maiorem facit? Audiatur Alphonſus ille de Caſtro.

s 25. q. 1. Generali.
t Bulla Pij 5. cont. regin. Angl.
u Foxi martyrol. par. 4.
x Adrian. 4. apud Auentin. annal. lib. 6.
y Mat. 4. 9. Luc. 4. 6.
z Dan. 11. 36.
a 2. Theſſ. 2. 4.
b Hieron. in Dan. cap. 7.
c Origen. in Mat. tract. 29.

Castro. * *Qui Ecclesia, inquit, contempta, aut sacris literis posthabitis, soli suæ prudentiæ innititur, adeò arrogans est, vt huic verè tribui possit quod dicit Paulus, Qui extollitur supra omne quod dicitur Deus.* Atqui hoc ipsum Pontifex agit, qui totam pietatis institutionem ab ore suo pendere vult, & in religionis officio formando nihil ratum esse sinit quod ab edicto suo authoritatem non habet. Itaque illum videmus diuina omnia peruertisse, veterem Christianismi ritum abrogasse, nouas de cerebro suo religionum formulas excudisse; denique verba Dei omnia, præcepta omnia interpretationi suæ, hoc est, voluntati subiecisse: vt dum verborum Dei sententiam reddit, Dei verbis nequitèr illudat, Deum ipsum in ordinē cogat, & quod Deus expressè dicit, hoc à mente Dei alienissimum esse persuadeat; quo explosa Dei mente, mentis suæ placita faciat tanquam oracula diuina custodiri. Quid multis opus est? Qui contra Apostolum dispensat [c] *in quo loquitur Christus*, contra Christum dispensat, & eo se Christo potiorem facit. Qui contra vetus Testamentum dispensat, cuius [d] *scriptura omnis diuinitùs inspirata est*, contra Deum dispensat, & eo se extollit supra Deum. Deus edicit nequis [e] fratriam aut neptem vxorem accipiat: Pontifex penes se esse ait vt liceat, ac proinde cum Henrico octauo Anglo, & Hispano Philippo dispensat, vt alter fratris vxorem, alter neptim suam in matrimonium assumat. Deo pro lege est ne [f] periuris & perfidis esse liceat, vt Domino iuramenta sanctè custodiantur, adeoq; etiam [g] Ethnicis & infidelibus inuiolata seruentur: Pontifex à iuramento fidelitatis absoluere se posse dicit; & fœdera iuramento sancita se iubente violari oportere denunciat, & impiè cum suis dogmatizat fidem hæreticis non esse seruandam; [h] *non esse seruandam fidem vbi religio periclitatur.* Diuina lege [i] *qui resistit potestati, resistit ordinationi Dei, & sibi iudicium acquirit*: at lege Pontificia iudicium & ira denunciatur subditis qui se iussu illius principibus suis non opponunt; non illos armis inuadunt, & quantum in ipsis est, de regno deturbant. Diuina lege parentibus honor deferendus est, & [k] *maledictus* pronunciatur *qui vilipendit patrem suum aut matrem suam*: at per Pontificem licuit [l] Henrico quinto contra patrem suum Henricum quartum insurgere, & inaudita crudelitate nòn solùm imperio spoliare, sed re & ope omni destitutum relinquere miserrima morte periturū. Christi vox est, [m] *Quod Deus coniunxit, homo ne separet*: at siqui diuinis

* Alphons. de Castro cont. hæres. lib. 1. cap. 1.
c 2. Cor. 13. 3.
d 2. Tim. 3. 16.
e Leuit. 18. 16.
f Leuit. 19. 12. Matth. 5. 33.
g Eze. 17. 18, 19
h Matth. Paris. in Henr. 2.
i Rom. 13. 2.
k Deut. 27. 16.
l Catalog. test. verit. ex Helmoldo. pa. 236. &c.
m Matth. 19. 6.

diuinis auspicijs contra leges Pontificis coniunguntur, separantur ab illo, & rescinditur quod à Deo sanctum & ratum esse iubetur. Dirimendum esse matrimonium definit contra veteris Ecclesiæ sententiam, quod post votū sacri ordinis contractum fuerit. Qua de re glossa: [n] *Admiranda res videtur esse ista. Cùm enim sacramentum matrimonij à Deo ipso fuerit institutum in statu innocentiæ ante peccatum, sed post in subsidium fragilitatis humanæ; quomodo voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ inducta potest Sacramentum à Deo institutum tollere, vel aliquatenus impedire non videretur, & quod Dominus prohibet, dicens, Quos Deus coniunxit, homo ne separet, omninò fieri non licet.* Sed qui tamen hoc fiat ostendit. *Ad hoc breuiter dici potest, quòd istud fit per constitutionem Ecclesiæ conditam per vicarium Christi, & sic non per purum hominem, ex potestate clauium, ex quibus magna est ei attributa potestas circa sacramenta.* Hic est scilicet qui [o] *præceptum Dei facit irritum traditione sua*; qui dum interpretationem fidei omnem & [p] *declarationem ad se solum spectare* contendit, quodcunque sibi visum fuerit declarando in fidem infarcit; qui dispensatione sua quasi machæra sacrarum scripturarum neruos omnes & brachia præcidit. Hæc verò cùm sint aperta & luce meridiana clariùs luceant, quanta est impudentia Bellarmini, qui negat [q] *quenquam vnquam Catholicum dixisse, posse Pontificem in diuinis præceptis vllo modo dispensare, aut Pontificem hoc vnquam verbo vel facto dixisse?* Annon tibi, Bellarmine, præcepta diuina videntur quæ diximus? num positiuas leges esse putas, ac non potiùs perpetuas & eodem per omnia iustitiæ tenore currentes? in quibus tamen dispensare subinde Pontificem & verba Dei cassare negari non potest? Qui verò negas ab vllo vnquam Catholico dictum, Pontificem id posse, recognosce Catholicorum tuorum voces, & consule in posterum sapientiùs fidei tuæ. Ac primò Pontificis ipsius vox est de se: [r] *secundum plenitudinem potestatis de iure possumus supra ius dispensare*: quod exponitur in glossa: [s] *Papa contra Apostolum dispensat, & contra canones Apostoli, & contra vetus Testamentum.* Idem alibi habetur: [t] *Papa dispensat contra Apostolum*: & iterum, [u] *Satis potest sustineri quod Papa contra Apostolum dispensat*: & iterum, [x] *Contra ius naturale potest dispensare & contra Apostolum.* & iterum, [y] *Paschalis dedit priuilegium monachis contra præceptum diuinæ legis.* Paulò liberaliùs alter quidam: [z] *Papa potest dispensare de omnibus præceptis veteris & noui Testamenti.*

n Extrau. Ioan. 22. ca. Antiquæ in glossa.

o Matth. 15. 6.

p Extrau. Ioan. 22. Quia quorundam, in glossa

q Cap. 14.

r Decretal. de concess. preben- dæ ca. Proposuit.

s Ibid. in glossa.

t Dist. 34. Lector. in glossa.

u 25. q. 1. sunt quidam in glossa.

x 15. q. 6. Auctoritatem in glossa.

y 16. q. 1. cap. Quicunque in glossa.

z Summa Angelica, in dict. Papa

menti. An tibi in Canonistarum hortulis inambulanti non contigit vnquam flores istos tam amœnos tam acutis naribus haurire? Quin vidisse te ista non dubitamus & multò plura, sed tamen præterire tanquam inuisa voluisse, quia vidisti per ista nobis de Antichristo constare, & Pontificem tuum Romanum ab huius ignominiæ macula defendi non posse.

15 *Sedebit*[a] *Antichristus in templo Dei tanquam Deus; ostentans se quòd sit Deus*. Et sedere Pontificem in templo Dei, hoc est, in Ecclesia nemo dubitat. Atqui Bellarminus:[b] *sedet*, inquit, *vt episcopus, non vt Deus*. At quorsum exceptio illa, si sub episcopi nomine diuinos sibi honores, diuinam potestatem assumat, & parem sibi obedientiam ac Deo ipsi præstandam requirat? Id illum agere testantur annos septingentos episcopi quidam Belgici apud Auentinum:[c] *Tu Pontificis personam præ te fers, & lupum agitas: titulus parentem mentitur: tu te factis Iouem ostentas: quicquid tibi libet, licet*. Et ante annos ferè quadringentos synodus Reginoburgensis:[d] *Ingentia loquitur, quasi verò Deus esset: homo ille perditus quem Antichristum vocant, in cuius fronte contumeliæ nomen scriptum est, Deus sum, errare non possum*. Qui se ait errare non posse, per sacrilegium sibi tribuit quod Deo proprium & peculiare est. Et quid agit minus qui superiorem se angelis facit, & summis illis naturis imperandi potestatem sibi vendicat? Id ausus est inter cæteros Clemens sextus, qui Romam proficiscentibus anno Iubiléo, & in itinere morientibus, absolutionem concedens ab omnibus peccatis suis addit;[e] *Prorsus mandamus Angelis Paradisi quatenus animam à purgatorio penitus absolutam, in Paradisi gloriam introducant*. Si hoc argumento constet apud Apostolum[f] Christum esse Deum, quia Angelis omnibus supereminet; certè Pontifex qui sibi supra angelos gradum attribuit, se esse Deum ostentat, & immunis ab Antichristi superbia videri non potest. Quanquam quid vtimur circuitione, quando ipse se deum palam & apertè profiteri non dubitat? Gloriatur enim, fallò quidem, sed tamen gloriatur se [g] *à pio principe Constantino Deum vocatum*, & eo argumento se defendit mortalium iudicijs non subiacere, *quia Deus à nemine iudicatur*. Quare illum sui supra hominem attollunt:[h] *Non est homo*, inquiunt, *sed vicarius Dei*. [i] *Nec Deus es, nec homo, quasi neuter es inter vtrunque*. [k] *Papa, id est, admirabilis; & dicitur à Papæ, quod est interiectio admirantis, quòd vices Dei gerit in terris*. Nec tamen

a 2. Thess. 2. 4.
b Cap. 13.
c Auentin. annal. lib. 4.
d Idem annal. lib. 7.
e Baleus in Clemente. 6.
f Heb. 1. 4. 5.
g Dist. 96. satis euidenter.
h Sext. de elect. & electi potest. ca fundamenta. in glossa.
i Clement. proœm. in glossa.
k Ibid.

tamen eo contenti, cum Deo ipso coniungunt, quasi cum Petro [l] *in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum.* Vbi enim Augustinus inducitur apud Gratianum dicens,[m] *Quis audeat dicere Deo, &c.* adscribitur in glossa, *Deo vel Papæ.* Immò absque vlla tergiuersatione legimus alibi, [n] *Credere dominum Deum nostrum Papam sic non potuisse statuere prout statuit, hæreticum censeretur.* Quare ascribunt ei quæ planè diuina sunt. [o] *Papæ non est qui dicere audeat, Domine cur ita facis?* [p] *Papa naturam rei potest immutare in aliam, & fingere esse quod aliàs verè non est, & habet authoritatem summam & excellentem & potestatem in omnibus, & per omnia, & præ omnibus:* [q] *omnem scilicet potestatem in cælo & terra;* immò si Patracensi Gnathoni credimus, [r] *supra omnes potestates tam cæli quàm terræ.* Audiat ista Bellarminus, & seriò nobis edicat, an alius quàm Antichristus esse possit, qui vt [s] Herodes ille superbus & impius æquo animo ista sibi dici patitur, & pro reddenda Deo gloria sacrilega præsumptione de attributa sibi diuinitate gratulatur.

l Sext. de elect. & electi potest. cap. fundamenta.
m De pœnit. dist. 3. cap. Quamuis.
n Extrau. Ioan. 22. Cum. inter. in glossa.
o Ibid. Ad Apostolatus nostri. in glossa.
p Ibid. cap. Execrabilis. in glossa.
q Ceremon Eccles. Romanæ lib. 1. cap. 8.
r Concil. Lateran. sub. Leone 10. sess. 10.
s Act. 12. 22.

16 *Antichristi* [t] *aduentus erit secundùm operationẽ satanæ in omni potentia & signis & prodigijs mendacibus.* Et idem est Pontificis: Neque enim Papatus ad imbuendos superstitione animos & errores suos siue fulciendos siue propagandos quicquam fortius habuit, quàm miraculorum imposturam. Nullam ab illis dogma confictum est, quod non esset miraculis approbatum. Veneratio imaginum & reliquiarum, sanctorum inuocatio, transubstantiatio, missæ sacrificium, purgatorium, indulgentiæ Papales, oratio pro defunctis, fidem ex miraculis obtinuerunt, quam ex Scripturis habent nullam. Nemo apud illos magnus, nemo sanctus quem non aiunt miraculis inclaruisse. Et hæc illi vehementèr inculcant tanquam certissima veræ religionis argumenta, cùm hoc ipso multò magis suspecti esse mereantur. Quod vt intelligamus, sciendum est miracula [u] rudibus adhuc animabus & Christi nomine non inscriptis esse propriè destinata. Quibus enim Christi nomen & fides peregrinum aliquid sonat & ab humano sensu alienum, ij non tam verbis mouentur quàm stupendis operibus, quæ dum humanas vires excedunt, diuinę virtutis opinionem obtrudunt, & facilè persuadent à Deo esse sermones illos quos testimonio & argumento tam illustri Deus obsignat. Itaque Christus vbi primùm discipulos emisit qui gentibus prædicarent, miraculis illos instructos emisit, vt iacentes animas & super-

t 2. Thess. 2. 9.
u 1. Cor. 14. 22.

superstitionum tenebris oppressas, ad diuinæ virtutis agnitionem, & diligentem atque attentam doctrinæ cœlestis animaduersionem excitaret. Postquã verò mundus miraculis ad fidem nominis Christi olim perductus est, & Euangelij doctrina iam emineret tanquam in sublimi constituta, eam sic obsignatam voluit Deus in scriptis obuiam omnibus extare, vt inde vera fides deinceps in perpetuum petenda esset, nec à miraculis iam, sed à Scripturæ testimonio religionis dijudicatio omnis in Ecclesia sumeretur. Quare etsi ab illo tempore possent interdum fieri miracula in gratiam eorum qui Christi nomen nondum acceperant, nec adhuc cum Ecclesia coaluerant; siqua tamen apud Christianos controuersia de fide nasceretur, Euangelio tantummodo stari debuit, neque quicquam erat nisi interposita Scripturarum authoritate de religione definiendum. Atque vt id intelligi posset, miracula quæ primò veræ Ecclesiæ propria fuerunt, pòst ab hæreticis, sinente Deo, vsurpari cœperunt, qui sibi iuuante Satana signis & prodigijs mendacia sua & falsas doctrinas asserendas iudicarunt. Itaque vt suos Christus aduersùs mirabiliarios & impostores illos cautos faceret, præmonuit [x] *exurrecturos qui facerent signa & prodigia magna, ita vt in errorem inducerentur, si fieri posset, etiam electi.* [y] *Temerariam signorum & virtutum fidem ostendit*, ait Tertullianus, *vt etiam apud Pseudochristos facillimarum.* Quare Satanæ fraudem illam subodoratus Augustinus atque etiam expertus in causa Donatistarum, disceptationem omnem religionis arbitratus est à miraculorum prætextu ad Scripturæ normam esse reuocandam. Sententiam illius, etsi paulò longiorem, placet integram adscribere, quia totam hanc causam de miraculorũ fide plurimùm illustrat. [z] *Non dicat*, inquit, *Ideo verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus & Pontius vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille frater noster aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniauit. Remoueantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum: aut enim non sunt vera quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt magis cauere debemus, &c. Porrò si aliquis in memorijs hæreticorum orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderij sui recipit, siue malum siue bonum, &c. Nonne legimus ab ipso Domino Deo nonnullos exauditos in excelsis montium Iudææ, quæ tamen excelsa*

x Mat.24.24.

y Tertull. cont. Marcion, lib.3.

z August. de vnit. Eccles. cap.16.

celsa ita displicebant Deo, vt reges qui ea non euerterent culparentur, & qui euerterent laudarentur? De visis autem fallacibus legant quæ scripta sunt, & quia ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis, & quia multos seduxerunt somnia sua: audiant etiam quæ narrent Pagani de templis vel dijs suis mirabilitèr vel facta vel visa, & tamen dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit. Exaudiuntur ergò multi & multis modis non solùm Christiani Catholici, sed & Pagani & Iudæi, & hæretici varijs erroribus & superstitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel ab spiritibus seductoribus, qui tamen nihil faciunt nisi permittantur, Deo sublimiter atque ineffabiliter iudicante quid cuiq; tribuendum sit; vel ab ipso Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad monitionem quærendæ salutis æternæ. Vbi clarissimè ostendit quantuli nunc ad fidem miracula momenti sint, quorum Paganis, Iudæis, hæreticis communis prætextus est quæ iusto Dei iudicio fiunt nonnunquam ad pœnam impiorum, vt indurentur magis in malitia sua, & obstinatiores fiant ad perditionem suam. Quod sub Antichristo maximè futurum testatur Apostolus, ad puniendam orbis ingratitudinem & perfidiam, qua [a] *non crediderunt veritati sed acquieuerunt in iniustitia.* Atque huc res in Papatu deuenerat, vt à miraculis omnia penderent, & sepultis Scripturis fides omnis somnijs & visionibus & huiusmodi Satanæ præstigijs incerta niteretur. Et hoc argumento etiamnum à se Ecclesiam esse persuadent, quia miracula ab illis sunt, à nobis autem nulla fiunt.

a 2. Thess. 2. 10.

17 Vbi sciscitari obiter liceat, vbi tandem miracula illa sint de quibus tantopere gloriantur? Num antiqua nobis narrant? At si fuit apud illos miraculorum potestas, quò tandem euanuit? cur ab illis miracula edi desierunt? Circumcelliones eorum & Iesuitæ terras nostras & maria obeuntes vt faciant Proselytos, cur miraculis rem non agunt? Num abbreuiata est apud illos manus Domini, aut Christus Ecclesiæ suæ idem esse desijt qui dudum fuit? Atqui ex hoc patet fabulas fuisse, aut, si qua erant, dæmonum ludibria fuisse miracula illa, quibus illi tanquam stellis insigniunt & ornant Ecclesiam suam: quę veniente luce disparuerunt, cadente iam [b] Dagone coram Arca Domini, & causantibus illis Caluinum & Lutherum, vt Ethnici olim [c] Babylam martyrem, quòd dæmonem sibi minimè ampliùs tam familiarem habeant. Erubescant ampliùs dicere de miraculis, quibus erant olim miracula tam crebra, tam crassa,

b 1. Sam. 5. 3.

c Ruffin. hist. li. 1. cap. 35.

nunc autem miraculi nihil est reliquum, nisi miraculi loco esse debeat, quòd detectam miraculorum suorum vanitatem non vident. Quanquam vt causæ desperatæ miserrimam opem ferant, miracula sua narrant apud Indos, & insulas Iapanicas, & Americæ populos, & nescio quas remotissimas gentes, de quibus se tutò mentiri posse præsumunt. Sed quid esset opus tam peregrè proficisci, si vera illi de miraculis suis narrarent tam vbique olim obuijs, tam in promptu sanitatem promittentibus? Cur non passim ad tumulos & reliquias sanctorum, vt olim, illuminantur cæci, sanantur læsi, surdis aures aperiuntur, claudis pedes restituuntur, & si qua sunt alia quæ illi de sanctorum suorum mirabili virtute fabulantur? Nempe vt olim [d] Apollo Pythius veniente Christo obmutuit, & magnus ille [e] Pan mortuus auditus est: ita illucescente Christi Euangelio mendacia ista profligata sunt, & cedere dæmones coacti locis suis, fraudem populo facere desierunt.

d Niceph. hist. lib. 1 cap. 17.
e Plutarch. de defect. oracul. Euseb. de præpar. Euang. lib. 5. c. 9.

18 Cæterùm illa miraculorum crebritas qua se tam superbè iactitant, & sanctorum suorum vitas & mortes exornant, luculentissimum regni Antichristi argumentum præbet. Neque enim vera Ecclesia post Apostolos tam fertilis vnquam miraculorum fuit, quàm illi suam fuisse narrant, & insolens illa atque ambitiosa signorum & prodigiorum in media Ecclesia iactatio, quia finem verorum miraculorum habere non potest, suspicionem mouet subesse aliquid fraudis, quo subrepere Satan in animos hominum, & laqueis errorum innectere conetur. Qui cùm vsu intelligeret nihil tam populare esse ad fucum multitudini faciendum, quàm miraculorum ostentationem, hanc sibi viam sensit ad regnum Antichristi promouendum expeditissimam fore, ac proinde hùc neruos omnes applicuit; vt obscurata luce, quæ imposturas eius detegeret, per miracula qualiacunque siue à se facta siue à suis ficta, dæmoniorum doctrinis existimationem & fidem procuraret. Neque verò dubitandum est, quin ille pro ea qua est maxima & incredibili potentia, mira quædam efficere possit in rerum natura, quæque communem naturæ rationem & modum longè superent. Neque enim nihil erant illa omnia quæ apud Ethnicos tam prodigiosa legimus, è quibus quia à dijs facta putabantur, magna in illorum animis rituum suorum & religionum opinio insedit. Atque haud scio an minora sint quæ illi narrant fecisse Ioues suos, & Apollines, & Æsculapios,

pios, & Cybelas, & reliquos nomine deos, reipsa dæmones & malignos spiritus siue oraculis enunciandis, siue morbis sanandis, siue conferendis beneficijs, siue malis auertendis, quàm quæ Papistæ à sanctulis suis & diuis factitata esse declamitant. Qui verò tantam apud illos habuit potestatem, parem proculdubio aut certè maiorem sub Antichristo habiturus erat, qua Christi miracula æmularetur, vt eò fortiùs perficeret *efficaciam illusionis* ad seductionem reproborum, & incredulorum damnationem, prout antè dictum est. Quare non dubitamus pariter apud Ethnicos & Papistas plurima fuisse, quæ verè miracula dici possent, siquidem vim communis naturæ spectemus, quæ tamen nonnisi diabolus ad fallendos homines & perdendos exercuit Et Chrysostomus quidem confirmat [f] *plenorum signorum faciendorum potestatem dandam fuisse Antichristo. Nam in tempore*, inquit, *Apostolorum & postmodum, ministri quidem Christi vtilia & plena signa faciebant ex parte dextra, qualia sunt cæcos illuminare, & alia huiusmodi facere; ministri autem diaboli inutilia faciebant & vna ex parte sinistra, quæ admirationem quidem videntibus excitarent, ad vtilitatem autem nullius proficerent. Et erat inter ministros Christi & ministros diaboli ex hoc indicare, qui inutilia, & qui vtilia facerent signa. In fine autem temporis concedenda est diabolo potestas vt faciat signa vtilia, & ex ea parte qua priùs facere consueuerant sancti, vt iam ministros Christi non per hoc cognoscamus quia vtilia faciunt signa, sed quia omninò non hæc faciunt signa. Donec enim fuit vocatio ad fidem ex infidelitate, fecerunt signa & serui Christi, quia signa vocationis diuinæ testimonia sunt, vt prædicationis veritas miraculis commendetur: cessante autem vocatione, incipiet seductio reuocans homines à fide ad infidelitatem. Incipiente ergo seductione, tradenda sunt seductionis adiutoria diabolo, id est, potestas faciendorum signorum, vt signis & prodigijs mendacia sua pro veritate commendet.* Vbi diligentèr animaduertendum est miraculorum operationem ita fore coniunctam cum regno Antichristi, vt fide iam per orbem propagata, deinceps in vera Christi Ecclesia non reperiatur, nec illum tantummodo falsa & ficta, sed vera facturum quæ meritò admirationem & stuporem afferre queant. Quare fruantur Pontificij miraculis suis, nec inuidemus quòd nobis tam fœlicibus esse non licet: tantùm illud sciant, nihil se in miraculis habere quæ tanta contentione deprædicant, quod ab Antichristi descriptione diuisum sit.

f Chrysost. op. imperfect. hom. 49.

19 Nam

19 Nam quæ Bellarminus de qualitate miraculorum Antichristi commeminit, rectè quidem ab illo dicuntur ferè omnia, sed eiusmodi sunt quæ in caput Pontificis optimè retorqueantur, & Ecclesiæ Romanæ mendacia prodigia scitè depingant. [g]Signa, inquit, *Antichristi mendacia erunt ratione omnium causarum; Finalis, Efficientis, Materiæ, & Formæ.* Ratione finis, quia ad mendacium inducent, non vt credatur Antichristũ esse Messiam, (stultè hoc confictum esse postea docebimus) sed vt idololatrijs & superstitionibus authoritatem addant, & ad falsas doctrinas illiciant, quibus fides aliter, quia de scripturis non probantur, haberi non possit. Atque huc miracula quæ in Papatu erant omnia tendebant, vt traditionibus hominum & doctrinis non scriptis existimatio & fides adiungeretur. Quæcunque illi mendacia in hypocrisi locuti sunt, ea, quia diuino testimonio non poterant, dæmonum ope comprobanda censuerunt. Atque hac quoque ratione miracula eorum mendacia rectè dicuntur, quia à patre mendaciorum profecta sunt, accommodante se ad hominũ vanitatem, qui diuinis oraculis non acquiescentes, alia fidei suę fundamẽta & firmamenta desiderarunt. Neq; verò hoc obscurum esse poterit, si in memoriam reuocemus, cùm ex ipsis Pontificibus multos fuisse Necromantas & Magos, tum malas istas Artes per illa tempora vbique sic increbuisse, vt vix eruditus haberetur quisquam, qui hanc cum dæmonibus familiaritatem ignoraret. Ex hoc fonte curiosarum artium multa miracula prodierunt. Quemadmodum enim [h] Marcus hæreticus apud Irenæum incantationibus fecisse legitur, vt in sacro calice sanguis appareret: ita quoque Papistæ, vt transubstantiationis figmentum assererent, arte Magica præstiterunt, vt in Eucharistia sæpè carnis & sanguinis species aliqua cerneretur. Et certè ab Alexandro Halensi cõfessum est [i] *operatione diabolica* factum, vt *caro interdum in Sacramento appareret.* Quanquam ex istis multæ fuerunt illusiones & præstigiæ, nec tam egit aliquid diabolus quàm agere visus est, & mentita specie sensus fefellit. Atq; huc accessit fraus Monachorum & Sacerdotum, qui subornatis sæpe personis simplicitate hominum abusi sunt, & in rem suam multa finxerunt. Qua de re Lyranus: [k] *Aliquando fit in Ecclesia maxima deceptio populi in miraculis fictis à Sacerdotibus & eorum adhærentibus propter lucrum temporale.* Huiusmodi illa erant quæ narrarunt de imaginibus suis sudantibus, loquentibus, loco mouentibus

g Cap. 15. de miraculis Antichristi.

h Iren. lib. 1. ca. 9

i Alex. Hales Par. 4. quæst 53. memb. 4. art. 3. fol. 2.

k Lyra in Dan. cap. 14.

tibus, annuentibus, quæ arte præstita, & ex Ethnicorum sacerdotũ imposturis à nebulonibus illis hausta & accepta sunt. Nam illis solenne erat [l] fleuisse per quatriduum statuam Apollinis, & [m] effigies deorum penatum quos de Troia Æneas aduexit de loco in locum migrasse, & [n] simulachrum Iunonis de Roma petenda interrogatum annuisse, & velle se respondisse; & apud Romanos ostento belli ciuilis,

l August. de ciuit. Dei. lib. 3. cap. 11.
m Ibid. lib. 10. cap. 16.
n Valer. Maxim. lib. 1. cap. vlt.

[o] *Indigetes fleuisse deos, vrbisq; laborem*
Testatos sudore lares.

o Lucan. in prodig. bell. ciuil.

Quare ne deos suos, deos montium, ab illis dijs vallium superari paterentur, paria curarunt ab idolis suis fieri, vt illis tantò maiorem obseruantiam & religionem conciliarent. Dunstano de presbyterorum coniugio sententiam roganti, [p] ab imagine crucifixi responsum est, *Non benè sentiunt qui presbyteris fauent.* Ad eandem supplicans Thomas Aquinas, oraculi vocem accipit, [q] *Benè de me scripsisti, Thoma.* Eadem militi cuidam oranti & genua flectenti vt adoraret, [r] *caput & collum satis humiliter inclinauit.* Piscatores quidam repertum inter piscandum Formosi corpus ad Basilicam Petri detulerunt: dum funus celebratur, [s] *sanctorum quædam imagines sese inclinantes hunc in loculo positum venerabiliter salutant.* Eiusdem farinæ erant multæ eorum curationes. Subornati sunt aduenæ qui se à natiuitate cæcos vel alia ratione morbidos fingerent, & ad imaginem prouolutos lumen oculis & sanitatem accepisse; cuiusmodi apud nos miracula deprehenderunt inter cæteros Humphredus dux Glocestrensis & Thomas Cromwelius, & ea causa clero suorum temporum inuisissimi habebantur. Et certè quæ passim in eorum libris sanctorum miracula leguntur, pleraque per otium ab inertissimis ventribus conficta sunt, & sunt eiusmodi sæpe, vt mirũ videri possit tam parũ salis & cerebri hominibus esse potuisse, vt nõ pigeret, non puderet tam putida, tam absurda & ridicula in commentarios referre, & infamiæ se subijcere, quòd nullo iudicio præditi pro veris historijs illas plusquam infantiles nugas, & anilia deliramenta posterorũ memoriæ consecrarent. [t] Tonsor beati Edmundi cõperiens in spiritu quòd illũ Deus sanctorum suorũ annumeraret collegio, pilos barbæ illius quam radere solebat reseruauerat, sperans eos in futuro ægris profuturos. Quod cum Episcopo Dunelmensi ægroto, & penè iam mortuo significatum est, ille hos sibi dari iubet in aqua benedicta ad bibendum; quam

p Polyd. Virgil. hist. Aug. lib. 6.
q Breuiar. Rom. in festo. S. Thomæ Aquin.
r Matth. Paris. in Henr. 3.
s Abb. Vrspersg. in Chron. & Platin. de vit. Pont. in Serg. 3.
t Matth. Paris. in Henr. 3.

quam cùm exhauserat, vomitu sedatus omnis tumor & omnis dolor & penitus mitigatus est, & sic in breui restitutus est sanitati. [u] Pauperculæ fœminæ transeuntis operarij quidam oua frangunt; cuius damnum suspirans Swithunus motus clementia signum crucis super oua confracta faciens, omnium fracturam consolidauit ouorum. [x] Leoni Pontifici adhuc adolescentulo de lasciuia pœnitenti, dum oraret ante altare beatæ Virginis, apparuit eadem dicens: *Leo, corrige excessus tuos, & te proueham ad summum gradum.* Pòst igitur, vacante sede Apostolica, sublimatus est in eadem, & cum primò celebraret solenniter, manum eius mulier quædam ad quam aliquando accessum habuerat comprimit inter celebrandum, & comprimendo deosculans incentiuum libidinis in papa excitauit. Ille post Missam seipsum redarguens, in conclaui sedens manum subitò amputauit. Cum sæpe pòst ad ministerium vocaretur, & tandem non darentur amplius induciæ à fratribus nescientibus eum mancum, diuertit se in locum secretiorem & se prosternens in oratione deuota ante altare beatæ Virginis, dixit, O clementissima virgo, promouisti hactenus & sublimasti me; respice nunc in me miserum, qui cepi vltionem de transgressu meo ne confundar, &c. Beata igitur mater misericordiæ manum truncato brachio nouam restituit. Papa igitur qui adhuc manum priorem quam absciderat reseruauerat, fratribus conuocatis seriatim quæ acciderant explicauit, ne laus beatæ Virginis occultaretur, & ostendit illis manum quam priùs absciderat, & in huius miraculi memoriam reseruatur adhuc manus abscissa in thesauro Lateranensi, quam Dominus incorruptam custodit ad laudem matris suæ. Quid commemorem Dunstanum diaboli nares forcipe tenentem, & Francisci frænum equo detractum, & fœminæ suppositum de puerperio grauissimè periclitanti, tanquam succurrente Iunone Lucina, partum explicans: & dæmonem à Dominico coactum lucernam illi præferre quousque digitos arderet, & myriades mendaciorum & nugarum, quibus insulsi Monachi legendas suas & libros implerunt? Melchiorem Canum puduit istarum fabularum, & suorum ille hac in parte mentiendi licentiam & libidinem taxauit, illos aiens [y] *Ecclesiæ Christi vehementèr incommodasse, quòd res diuorum præclarè gestas fictis & reuelationibus & miraculis adornarint. Qua in re*, inquit, *nec sanctæ virgini, nec Christo Domino hominũ impudentia pepercit, quin quod in alijs diuis factitauit,*

[u] Matth. Westmonast. lib. 1 in anno 862.

[x] Idem in anno 293

[y] Melch. Can. loc. Commun. lib. 11. cap. 6.

factitauit, idem quoq; in Christi & matris historia scribenda faceret, & pro humani ingenij leuitate, multa vana & ridicula comminisceretur. Qua de re accusat authorem *speculi exemplorum & Legendæ aureæ. In illo,* inquit, *miraculorum monstra sæpiùs quàm vera miracula legas: hanc homo scripsit ferrei oris & plumbei cordis, animi certè parum seueri & prudentis.* Hanc leuitatem Gregorio quoque & Bedæ quantum audet impingit, *quòd pro historijs scripserint quæcunque vulgò iactata & credita sunt*, sed tamen *modestè* scilicet *& circumspectè de tantis viris pronunciandum sentiens.* In Antoninum & Vincentium liberiùs, & meritò quidem incurrit, quòd ad historiam *existimandam & momento suo ponderandam non modò non aurificum statera, sed ne populari quidem trutina vsi sunt.* Quorum historias qui animaduerterit, haud dubium quin dixerit à Satana illos dementatos fuisse, vt tam insulsas nugas & somnia sibi ad ludibrium Ecclesiæ conscribenda iudicarent. Itaque falsa quoque erant miracula illorum ratione materiæ, & quę tantopere venditarunt, vel erant oculis tantùm apparentia, vel ab otiosis ingenijs impudentissimè mentita. Quæ verò reipsa facta sunt, cuiusmodi aliqua fuisse non negamus, tamen ijsdem parentibus orta, à Satana quoque fuisse cognoscimus, nec totius naturæ facultatem superasse, ac proinde vera miraculorum forma, qua naturæ vim omnem excedunt, pro certo caruisse. Subtilius tamen hoc est, quàm vt à nobis in hac causa animaduerti debeat. Neque enim ea sunt acie oculi nostri, vt in formales miraculorum omnium causas intueri possimus, aut internoscere quæ immediatè à Deo, quę verò à Satana per occultos naturæ meatus proficiscantur. Proinde miracula non semper actibus ipsis, sed adiunctis potiùs & finibus diiudicanda sunt; ita vt quantumuis naturæ vim transcendere videantur, sciamus tamen pro certo mendacia esse & à Satana conficta, nisi cum Christi doctrina, quæ principio miraculis firmata est, coniuncta reperiantur. Suscitatio mortuorum nonnisi omnipotentiæ opus est, & solus vitam reddere potest qui solus dat. Atqui ecstases quædam sunt, & eæ quidem sæpe accersitæ & voluntariæ, vt [a] Restituti apud Augustinum, & [b] Hermotini cuiusdam Clazomenij apud Plinium; sæpe à Satana inductæ, quæ mortem ipsam ita referunt, vt nihil distare videantur; in quibus Satan nonnisi stuporem soluens mortuos à se resuscitatos fingit, & hac ratione mendaciorum suorum administris fidem procurat.

a Augusf. de ciuit. Dei. lib. 14. cap. 24.
b Plin. hist. nat. lib. 7. cap. 52.

rat. Cæcorum illuminatio, & morborum repentina curatio, ne cætera commemorem, quiddam habere videntur sæpenumerò quod diuinam virtutem præ se ferat, neque quicquam nobis in rebus ipsis apparet, cur aliter existimemus, cùm tamen nonnisi Satanam authorem habeant arcano quodam motu causas malorum amouentem. Et sæpe ipse vexationum & imbecillitatum causa est, & se immiscens in corpora, facit vt grauissimo æstu torqueantur. Quod vbi fit, curatio patientis retrocessio est Satanæ, non operatio, & magnum videtur miraculum restitutæ sanitatis, vbi aliud nihil est quàm cessatio cruciantis. * *Dæmones,* inquit Tertullianus, *postquam desinunt lædere, & curasse creduntur.* Cuius rei quia certa dijudicatio esse non potest, idcircò ex rebus ipsis nulla regula præscribi potest, qua miracula vera à falsis discernere queamus. Proinde miracula nobis promiscuè dicuntur quorum potestas & ratio captum humanum excedit, etsi intra naturæ fines habeant fortasse aliquid ex quo naturalium causarum concursu & coniunctione produci possint. Neque enim Scripturæ sacræ morem refugimus, quæ miracula dicere solet etiam quæ à Satana & ministris Satana facta sunt, & quia distinctio miraculorum nobis aperta non est, ideo de mirabiliarijs suspiciosos nos esse iubet, & circumspectè prouidere ne fides dum miracula curiosè sectatur, in perfidiam incurrat, & Satanæ mendacijs plùs credat quàm Euangelio Iesu Christi. Qua de re breuissimè paritèr & saluberrimè monet Origenes, miracula quoque apud Ethnicos agnoscens: c *Non sunt probanda miracula priusquam discernantur à quo rectè patrentur aut secus.* Quare, Bellarmine, cùm nihil tibi suppetat argumenti, ex quo exploratum efficias miracula quæ in Papismo facta sunt de Christi spiritu fuisse, nihil habes ex altera parte quod excipias, quominus esse possent Antichristi. Nos verò qui vos in multis deprehendimus sine controuersia fuisse mendaces, & ipsas Antichristi technas & fraudes ad viuum expressisse, non dubitamus in reliquis paritèr improbos extitisse, & manifestum esse decernimus Pontificem Romanum huius imposturę archimystam & antistitem, ipsissimum esse Antichristum.

* Tertull. in Apologet. cap. 22. vide ibid. Annotat.

c Origen. contr. Cels. lib. 2.

20 Tu tamen ne sit Pontifex Antichristus, miracula quædam narras ab Antichristo facienda, quæ à Pontifice facta non esse defendis. *Exempla,* inquis, *miraculorum Antichristi tria ponuntur, Apoc. 13. Vnum, quod ignem de cælo descendere faciet: alterum,*

rum, quòd faciet vt imago bestiæ loquatur: tertium, quòd se finget mori & resurgere. Vbi animaduertendum erat quod habet Hieronymus[a] *Apocalypsin tot habere sacramenta quot verba, &*[d] *totum esse spiritualitèr intelligendum*, ita vt qui in cortice hæret, mysteriorum illorum medullam & quasi animam verborum assequi non possit. Tu verò Papiæ inscitiam imitatus, quæ mysticè & figuratè dicta sunt ad literam interpretaris, & sanctissimam Prophetiam peregrinis sensibus vehementèr expugnas. Atqui eodem modo asserere potueris non pluiturum tempore Antichristi, quia Enoch & Elias, vt tu vis, [e] *claudent cœlum ne pluat in diebus Prophetiæ ipsorum:* & Enochum atque Eliam esse negaueris vbi venerint, quia [f] ignes de ore non expuunt, nec aquas in sanguinem conuertunt, quia illos hæc facturos scriptum est. Quæ si sunt absurda, vt sunt, disce spirituale aliquid esse *ignem illum* Antichristi, & Pontificum excommunicationis [g] *fulmen* pulchrè describere, quo ille summos orbis monarchas tanquam cœlo tactos deturbat de thronis, & facit ad pedes suos prostratos & supplices iacere. Satis notum est in Scripturis *igne* iram Dei & execrationem acerbam designari. Eam Pontifex anathemate suo videri vult tanquam fulmen de cœlo deducere, quo conflagrent animæ eorum qui dicto illi audientes esse recusant. Itaque bullis suis & decretalibus tanquam deorum caduceator Mercurius illam proclamat & denunciat. [h] *Nulli omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum se nouerit incursurum.* Quod tamen non aliud est quàm fulmen Salmoneum, & brutis ignibus terrorem magis quàm torturam infligit, ac proinde [i] *in conspectu hominum* esse dicitur, quia, vt ex Aretha Bellarminus exponit, *deludit conspectum hominum*, [k] *fascinatus*, vt ille ait, *intuentium oculis quorum sensus terrenus est.* Nempe ostentat, vt vidimus, Petrum & Paulum & Ecclesiam, & claues regni cœlorum, & clamoribus istis populum attonitum reddit, vt actum de se in æternum putent, si numinis huius maledictionem incurrant. Quare vt sententiam illius adimpleant, rebelles & periuri fiunt, & principibus suis vim afferunt, atque ita reipsa sibi gehennam accersunt, qui inanem eius vmbram & terriculamentum à Pontifice formidant. Interim ille falsarius & impostor est, & sub iræ diuinæ prætextu, furores

[a] Hieron. epist. ad Paulin.
[d] Idem epist. de 5. quæst. Marcell.
[e] Apoc. 11. 6.
[f] Ver. 5.
[g] Relat. compendiosa. turb. Iesuitic. pag. 42. Tractat. Listeri Iesuitæ adu. fact. in Ecclesia. par. 5.
[h] Extrau. de officio delegati ca. sedes Apostolica, & passim.
[i] Apoc. 13. 13.
[k] Areth. in Apoc. cap. 13.

rores

rores suos & insanam vindictæ libidinem exequitur. Quare Deus, vtcunque Antichristum oportuit suo tempore dominari, quibusdam tamen indicijs subindicasse visus est, non cælitùs ignes illos, sed ab inferno fuisse succensos. Hildebrandi sella Pontificalis de nouis lignis paulò antè affabrè constructa, dum Henricum imperatorem execratur, [l] *subitò Dei nutu terribilitèr scissa est in plures partes:* Rodolphus autem quem ipse Imperatorem substituerat, intra annum in quo Henricum moriturum prædixerat, simul cum regno vitam amisit; qui dextram suam paulò antè præcisam intuitus fertur ad Episcopos præsentes dixisse: [m] *Hæc est manus qua domino meo Henrico fidem Sacramento firmaui: ecce ego iam eius regnum & vitam derelinquo præsentem: videte qui me solium eius conscendere fecistis, vt recta via vos monita vestra sequentem duxeritis.* Cùm Hadrianus Papa Fredericum Imperatorem excommunicasset, vt [n] *constaret non ex Deo, sed ex diabolo processisse* sententiam illam, & *adimpleretur Propheticum illud, Qui insurgunt in me confundantur, factum est vt prodiret refrigerandi gratia cum suis, & ad fontem quendam veniens, hauriret de potu illius, & continuò musca os eius intraret & gutturi adhæreret, nulloq; artificio auelli posset, quoadusq; spiritum exhalaret.* Ita igne quem accenderat ipse consumptus est, & malo suo didicit quid sit sanctissimo Dei nomine ad scelus & perfidiam impudentèr abuti. Cæterùm quàm sint reipsa inualidę & inanes Pontificiæ illę debacchationes, illustre nobis exemplum est in Elizabetha nostra non ita pridem principe serenissima, quæ quadraginta quatuor annis petita Pontificum iaculis ignitis, iuuante Deo, & nos in tam longum beante, fœlicissimè regnauit, non exiguo interim numero Balaamorum illorum mutua cæde pereuntium ad inferos abiecto.

l Benno in epist. de vita & gest. Hildebrandi.

m Abb. Vrsperg. in Chron.

n Ibid.

21 Secundum miraculum à Bellarmino commemoratur, quòd [o] *faciet vt imago bestiæ loquatur.* Quod ille de statua siue simulachro aliquo intelligit, cui vim loquendi Antichristus daturus est: oblitus imperaturum Antichristum vt *adorent homines imaginem hanc,* cùm ipse defendat Antichristum idolorum adorationem omnem prohibiturum, nec passurum vt vlli siue simulachro siue numini cultus religionis deferatur præterquam sibijpsi. Quod tamen ait, ad Pontificis institutum quam proximè accedit. Neque enim nouum est Pontificijs dare spiritum imaginibus suis & facere vt loquantur, quemadmodum iam antè di-

o Apoc. 13. 15.

ctum est. Veruntamen aliud quiddam est quod hic intenditur à Ioanne, quod Bellarminus ignorare non potest. Nam qui agnoscit in Bestia Romanum imperium intelligi, non ignorat *imaginem bestiæ* quiddam imperio Romano simile denotare. Quapropter imaginem bestię suprà docuimus ad Pontificem & Romanam Ecclesiam pertinere. Postquam enim imperium Romanum collabi cœpisset, effecit Pontifex vt Ecclesiæ Romanæ par esset maiestas, & idem sibi, qui priùs imperatori, honor & obsequium deferretur, ita vt ibi imperium spirituale pro temporali illo constitutum dicatur. Quando verò tyrannide ista perfecit, vt in ferendis legibus Ecclesiæ potestas eadē esset quæ erat priùs imperij, & orbis terrarum decretalibus suis non minùs staret, quàm stetit olim edictis imperatorum, *dedisse* dicitur *spiritum imagini bestiæ, & fecisse vt imago bestiæ loqueretur.* Nam statuum & imperiorum loquela lex est, nec aliam quàm publicati iuris vocem habent. Quando ergo leges iubere cœpit Ecclesia Romana, loqui cœpit, stante orbe tanquam arrectis auribus, & quid ab illa præciperetur auscultante. Hunc illi spiritum quis inflauit nisi Pontifex? præter illum quis potestatem hanc Ecclesiæ Romanæ vendicauit, & lege perfecit vt occideretur quicunque illam cultu omni & veneratione non prosequeretur? Itaque hoc quoque miraculum si rectè accipiatur, à Pontifice completum est, & maximè illum confirmat esse Antichristum.

22 Tertium miraculum figmentum est Bellarmini, non Ioannis vaticinium. Legimus vnum de capitibus bestiæ [p] *quasi occisum in mortem, & plagam mortis eius curatam esse*: de Antichristo fingente se mortuum & resurgentem nihil omninò. Est enim animaduertendum in hac visione, sub nomine duarum bestiarum duo tantùm capita totius bestiæ designari, è quibus posterior, quæ sine dubio Antichristum notat, *potestatem omnem bestiæ prioris* exercuisse dicitur, & imaginem illius fecisse, ac proinde eadem cum priori bestia esse non potest. Quare priorem illam sextum caput bestiæ esse oportet, quod imperatorum successione continetur: posterior de septimo capite accipienda est, quod est Antichristus. Ergo de Imperatorio statu locus intelligendus est, qui quidem in Constantinopolitanis illis penè iam ceciderat: à Pontifice autem collata, satis pro imperio, imperij dignitate in Carolo magno resuscitatus est. Neque impedit quòd quæ mox ibi sequuntur, Carolo & successoribus eius videntur

[p] Apoc. 13. 3.

dentur

dentur aptari non posse, quia per anticipationem vulneratio capitis narratur quæ longè pòst futura esset, qua pòsita regreditur historia ad notandam bestiæ illius rationem & modum, qualis ab initio futura esset. Huc ergò pertinent quæ sequuntur, *Et admirata est vniuersa terra post bestiam, &c.* Quare ineptè Antichristo attribuitur plaga illa lethalis, quæ priori bestiæ inflicta curanda esset ab Antichristo, & bestia aliquousq; temporis vitæ suę restituenda. Hoc verò miraculū vtinam à Bellarmino paulò explicatiùs traditum fuisset. Nam illud scire peruelim, Quando, aut quo tempore mors ista & resurrectio ab Antichristo fingenda statuatur. Nam *propter hoc miraculum præcipuè totum ferè mundum* ait *illum admiraturum.* Cùm verò Antichristo nonnisi tres annos & dimidium assignet, festinato opus est, ne non sit miraculum hoc in totius ferè mundi notitiam peruenturum. Porro illud quoque dicendum esset, A quo, aut cuius gladio plagam illam mortiferam accepturus sit: neque enim videbitur sua sponte moriturus, aut sua manu plagam sibi mortis inditurus est. Quis autem in regem potentissimum, Satanæ præsidijs omnibus tam munitum, tantum præualiturus est, vt plagam ei tantam infligat? Vtrum aperto bello, an proditione futurum est? à suis, an ab alienis? Quæso te, Bellarmine, vt ista nobis ænigmata soluas, aut si tibi per Cardinalium virtutum opera non licet, de tuis aliquem instrue, qui de scrinio pectoris Pontificij, sanctissimi patris, mysteria ista tam recondita nobis explanet. Atqui tu sceleratus impostor es, & fabulas nobis atque [q] *Hiberas*, vt ille loquitur, *nænias* narras, quarum nulla tibi ratio constat, nullum è sacris scripturis firmamentum est.

[q] Hierony. præfat. in pentateuch Mos.

23 Vides iam, opinor, quæ verè dicis Antichristi esse miracula, Romani Pontificis esse propria, & illum Antichristum demonstrare. Sed ista tamen quæ tu dicis non sunt omnia, quia Antichristus, vt est Christi æmulus, spuria imitatione Christi miracula coæquare tentabit, & alia quoque mendacia prodigia sine fine cumulabit. Quare rectè Magdeburgenses in Antichristi miraculis enumerant [r] *apparitiones animarum fabulantium de Purgatorio, & petentium Missas pro se celebrari, & sanitates morborum quæ acciderunt colentibus statuas & vouentibus sanctis.* Hîc verò Bellarminus, *Non sunt ista miracula quæ Antichristum facturum scribit Ioannes.* Et quid tum Bellarmine? Num tu illum putas non alia facturum miracula, quàm quorum Ioannes

[r] Magdeburg. Centur. 1, lib. 2, cap. 4.

mentionem facit? Quod si putas, ineptior es aliquantulum, quàm putaram, & aliud te Chrysostomus informat, qui illum ait, vt antè vidimus, non prodigiosa solùm, qualia tu vis, sed vtilia quoque facturum, ita vt siquidem extrà tantùm aspicias, à veris Christi miraculis internosci non possint. Iterum tamen ais, *illa miraculorum genera quæ Magdeburgenses nominant, in Ecclesia vsitata fuisse ante id tempus quo nos Antichristum apparuisse dicimus.* At hoc quoque quid ad rem? Nam ab Apostolorum vsque tempore *mysterium iniquitatis operatur*, neque ignoramus Satanam per aliquot secula ligna & lapides præparasse, quæ turri Babel ædificandæ seruirent. Quare Donatistis in ore erat, *Hoc verum est, quia hæc & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, &c.* vt antè ex Augustino ostensum est. Huius farinæ sunt illa omnia quæ apud Gregorium habentur fabulatorem egregium, quem quidam non primum illum sed secundum putant, cuius vanitatem & stolida miracula vellicauit quoad ausus est Melchior Canus, vt antè diximus, & fidem eius suspectam & dubiam fecit. Quare quæ ille refert, vt tu dicis, de Paschasij anima, & pluribus alijs apparentibus, & à purgatorij tormentis liberationem petentibus, lepidum illum fabularum artificem ostendunt, Romanum Pontificem ab Antichristi nota non vindicant.

24 At inquis, *de miraculis sanitatum propter imaginum venerationem extat exemplum apud Eusebium, vbi refert ab ea muliere quam curauit à sanguinis fluxu statuam æream saluatori erectam, herbam autem quandam sub ipsa statua nasci consueuisse, quæ vbi creuisset vsque ad fimbrias imaginis, eamque attigisset, omnia malorum genera curabat. Quo miraculo,* inquis, *euidens est Deum approbare voluisse sacrarum imaginum cultum.* Atqui potiùs euidens est te esse mendacem & perfidum, qui tam impudentèr fingis quod non legis. Nam de veneratione imaginum nihil habetur apud Eusebium, neque tuipse quicquam ex illa historia refers quod illam insinuet. [f] Statua erecta est tanquam historicum Christi monumentum: accreuit herba quæ vbi fimbriam statuæ attingeret, morbos curabat. At quenquam statuam illam adorasse, vel propter venerationem statuæ percepisse sanitatem, non habet Eusebius, sed id totum ex tuo cerebro profectum est. Cùm verò illam statuarum erectionem addit *ex gentili consuetudine susceptam esse*, imaginibus tuis vulnus infligit, & planè ostendit ve-

f Euseb. hist. lib. 7. cap. 14.

ſtram ſtatuarum atque imaginum venerationem Ethnicam idololatriam eſſe, & de Chriſti ſchola minimè prodijſſe. Quod ex Theodoreto affers, planè ſuperſtitioſum eſt, & nonniſi ſpuma veteris Eccleſiæ, qua Venerem illam tuam meretricem Babylonicam naſci oportuit, quæ erat in omnem fornicationum leuitatem & libidinem exarſura. Ille [t] martyres orari vult, martyribus ſanitates & beneficia referri, martyribus gratias agi. Atqui peccat hac in re non alitèr, quàm qui [u] *honorificentiam regis vendicat comiti*, immò tantò magis quantò martyribus Deus, diuina omnia humanis anteponenda ſunt. Multò ſaniùs Auguſtinus Deum hæc omnia facere, ſed [x] *neſcire ſe an per ſeipſum faciat, an per angelos, an per martyres*, quod tamen à Pontificijs petulantiſſimè definitum eſt; & vt dicantur fieri per martyres, [y] *Nos tamen*, inquit, *martyribus noſtris non templa ſicut dijs, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorũ apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus, &c. qui ad ſacrificium ſuo loco & ordine nominantur, non tamen à ſacerdote qui ſacrificat inuocantur.* Quod neſciuit Auguſtinus quî tandem intellexit Theodoretus, aut huic quî potuit niſi per errorem videri pium, martyres inuocare, martyribus per gratitudinem templa conſtruere, quod vidit ille tam eſſe alienum ab Eccleſiæ pietate? Quin ſi ſolus deus inuocandus ſit, ſi illi beneficia ſint omnia accepta referenda, certè qui martyribus officia illa perſoluunt, qui preces illis & vota concipiunt, ſacrilegi in Deum ſunt, nec aliud quàm Antichriſti negotium agunt.

t Theodoret de curand. Græc. affect. lib. 8.
u Ambroſ. in epiſt. ad Rom. cap. 1.
x Auguſt. de ciuit. dei. lib. 22. cap. 9.
y Ibid. cap. 10.

25 *Antichriſtus* [a] *faciet omnes, puſillos & magnos, diuites & pauperes, & liberos & ſeruos, habere characterem in dextera manu ſua, aut in fronte ſua, & nequis poßit emere aut vendere, niſi qui habet characterem aut nomen beſtiæ aut numerum nominis eius.* Idipſum Pontifex fecit. Hîc verò characterem Antichriſti duplicem videmus: alterum communem omnium, alterum proprium eorum qui emunt & vendunt. Vbi literizat [b] Bellarminus, & ſuorum more characterem intelligit viſibilem aliquam notam, in dextra ſiue in fronte imprimendam. Quia enim videt myſtico ſenſu hæc omnia Pontifici conuenire, idcircò hæret in litera, & Pontificem ſuadere conatur Antichriſtum eſſe non poſſe, quia nihil tale ad literam à Pontifice præceptum eſt. Sed æquior eſt hac in cauſa Bellarmino Lyranus, qui [c] *characterem determinatum viuendi modum* exponit, qui *in dextera manu* ſuſcipi dicitur *quantum ad operationem: in fronte verò per apertam confeßionem.*

a Apoc. 13. 16.
b Cap. 11. de charactere Antichriſti.
c Lyra in Apoc. cap. 13.

Qui

Qui ne sit solus, adiunctum sibi habeat Thomam Aquinatem: [d] *Charactere, inquit, distinguitur aliquis ab alio per comparationem ad aliquem finem in quem ordinatur qui characterem accipit, &c. Character fidelium est, quo distinguuntur fideles Christi à seruis diaboli, vel in ordine ad vitam æternam, vel in ordine ad cultum præsentis Ecclesiæ. Quorum primum fit per charitatem & gratiam, secundum autem per characterem sacramentalem. Vnde & character bestiæ intelligi potest per oppositum, vel obstinata malitia qua aliqui deputantur ad pœnam, vel professio illiciti cultus.* Ac rectè quidem ab illis ratio characteris huius explicata est. Quemadmodum enim Deus sacramenta & ceremonias instituit, quarum sacro cultu & casta coniunctæ religionis obseruatione suos ab infidelium & improborum turba distingui vult: ita suos quoque ritus Antichristus habiturus præmonstratur, quorũ vsu publico sibi omnes cogat obseruantiam profiteri. Huiusmodi characterem suscepit à Romano Pontifice orbis Christianus, & se ritibus illius atque illicitis cultibus, diris eius atque anathemate perculsus, obligauit. Quando enim vera pietas exul iam ab Ecclesia esse cæpisset, & spinæ ac Zizania traditionum humanarum sementem Apostolicæ doctrinæ propè suffocassent; Pontifex Romanus vniuersam ferè corruptelam quæ diuturnitate temporis & consuetudine iam insederat, vno amplexu arripiens, lege illam & authoritate firmauit, nec id tantùm, sed auxit quoque mirum in modum, & [e] *Deum Maozim super basi sua*, furfuraceum Christum in altari constituit, nouasq; subinde superstitiones addidit, quarum characterem qui per obedientiam non admitteret, cœlo & sacris omnibus interdicendus haberetur. [f] *Vniuersos*, inquit, *qui de sacramento corporis & sanguinis Christi, vel de baptismate, seu peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & obseruat, vinculo perpetui anathematis innodamus.* [g] *Constituimus vt execrandum anathema sit, quicunque regum seu episcoporum, vel potentum deinceps Romanorum Pontificum decretorum censurã in quoquam crediderit vel permiserit violandam.* [h] *Nulli fas sit, sine status sui periculo, apostolicæ sedis decreta temerare.* [i] *Pronunciamus de necessitate salutis esse, omni humanæ creaturæ subesse Romano Pontifici.* Atque vt id efficeret, quas ille turbas, quos tumultus, quæ bella suscitauit, interdictione, proscriptione, proditione, gladio, incendio, & omni tyrannidis importunitate sibi vindicans

d Thom. Aquin. sum. p. 3. q. 63. art. 3. ad 3.

e Dan. 11. 38. Ar. Montan vers. interlin.

f Decretal. de hæret. cap. ad abolendam.

g 25. q. 1. Generali.

h Ibid. Nulli fas.

i Extrauag. de maior. & obedientia. cap. Vnam sanctam.

vindicans obsequium, vt nemo imperato illius obsistere vel obstrepere auderet? Hoc ipsum est quod Ioannes de Antichristo vaticinatur, *Faciet omnes, pusillos & magnos, habere characterem in dextera manu sua, vel in fronte sua*, vt & fronte præ se ferant, & opere pręstent quicquid ille sacrum haberi vult.

26 Atque ad communem quidem illum characterem pertinent, vt diximus, quæ in communi omnium Christianorum vsu esse mandauit, cuiusmodi sunt, Ieiuniorum & festorum ab illo institutorum obseruatio, Missalis numinis adoratio, osculatio Pacis, auricularis confessio, pœnitentialium rituum perfunctio, & cætera illa ab ipso, non à Deo pręcepta, in quibus tamen per illum Christiani hominis vita tota consistit. De ementibus verò & vendentibus peculiaritèr adiungit, *Et nequis emat aut vendat, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, siue numerum nominis eius.* Vbi emptionem & venditionem non de ciuilibus commercijs, sed de spirituali negotiatione interpretandam sentio, qua Babylon [k] *magistra præstigiarum*, vt olim de Niniue dictum est, *vendens gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficijs suis*, de [l] *animabus hominum* mercaturam instituit, de qua Petrus Apostolus, [m] *Et per auaritiam fictis sermonibus negotiabuntur de vobis.* Significat enim futuros, qui quæstus sui causa plebem Christianam Satanę prostituturi & vendituri sint, & Christi fidem in fabulas conuersuri, quæ ipsis vtilitati & emolumento sint. Huiusmodi emptores & venditores intelligimus Episcopos, sacerdotes, & monachos, quos habet Romanus Episcopus siue institores suos qui merces exponant missarum, indulgentiarum, absolutionum, dispensationum, &c. siue quęstores & publicanos, qui reditus & vectigalia, & mercium illarum prætia percipiant, qui quidem omnes [n] *prædicant pacem* eamq; largiri promittunt *vbi habent quod mordeant dentibus suis: at siquis non dederit in ore ipsorum quippiam, sanctificant super eum prælium.* Qui canum instar studio ventris prorsus immersi, nihil curæ habent quid de hominibus fiat, quibus superstitionum veneficijs mentem illis & sensum eripiant, & in infernum immittant, modò ipsi habeant quo cuticulam curent, [o] *pro pugillis hordei & frustulis panis morte afficientes animas eorum qui non morerentur, & victuras prædicantes animas quæ non sunt victuræ, mentientes apud populum qui auscultant mendacio.* Atque istis omnibus character vnus est iuramentum, quo se Romano Pontifici speciali vinculo ligatos

k Nah. 3. 4.
l Apoc. 18. 13.
m 2. Pet. 2. 3.
n Mich. 3. 5
o Ezech. 13. 19.

ligatos & illi subiectos & obsequentes fore promittunt, & pro eius rei testimonio certis quibusdam ritibus & religionibus ab illo præscriptis, votis, vnctionibus, rasuris, indumentis, à reliqua Ecclesia separati & diuisi sunt, ita vt emptoribus & venditoribus in istis nundinis esse non liceat præterquam illis, qui insignia ista Romana & Pontificios characteres cōspicuos gerunt. Porrò ijdem quoque omnes characterem nominis, siue numeri nominis eius accipiunt, vt quemadmodum ille *Latinus* dictus est, ita hi quoque Latini sint, hoc est, Latinè docti sint, vtpote qui alioqui mercaturæ isti parum idonei sint, quia missas decantare non possunt, non indulgentias publicare, non absolutiones pronunciare, non iura Pontificia callere, non curiæ Romanæ commodè seruire, quia illis omnia, vt antè diximus, Latina sunt. Et quidem linguam Latinam pro charactere cleri Pontificij esse habitam ipsi ostenderunt, quando suis in maximis sceleribus, ne vltimo supplicio afficerentur, consultum cupientes, hoc illos indicio cognosci voluerunt, si Latina lingua legere possent. Nihil est ergò in Antichristi charactere quod non percommodè de Romano Pontifice exponi possit. Neque enim sequitur, quod iterum excipit Bellarminus, illa quæ diximus in vsu Ecclesiæ fuisse ante tempus illud quo nos Antichristum venisse defendimus, proinde in illis Antichristi characterem constitui non posse, quandoquidem ab aduentu Antichristi, vt sæpe diximus, non origo & initium apostasiæ, cuius ratione olim ab ipso Apostolorum seculo dicitur [p] *in mundo extitisse*, sed authoritas, & incrementum, & consummatio esse debuit. Nam si noua ille omnia simul & semel apportasset, haud facilem in Ecclesiam introitum habiturus fuisset. Sed in veterem Ecclesiæ consuetudinem & corruptelam se induens, & de traditionibus longo iam vsu receptis characterem sibi fabricans, propensiorem sibi orbem inuenit, & speciosiori prætextu ad reliquam scorpionis caudam insinuandam vsus est.

p 1.Ioan. 4.3.

27 Iam quæ de regno & prælijs Antichristi disseruntur à Bellarmino, quandoquidem falsa & impossibilia esse suprà docuimus, longa responsione refellere non erit opus. [q] *Primò Antichristum* dicit *ex humillimo loco prodeuntem, per fraudes & dolos regnum Iudæorum adepturum.* Vbi tolle (*Iudæorum*) & Romanum Pontificem clarissimè designat, qui [r] *superflua imperatorum deuotione* per fraudem abusus, è [s] *paruo respectu* ad [t] *Sacerdotij principatum*

q Cap.16. de regno & prælijs Antichristi.
r Marsil. Patau. defens. pacis. par.2. cap.26.
s Aen. Sylu. epist. 301.
t Sext. de elect. & elect. potest. cap. fundamenta.

patum & vtriusque potestatis monarchiam emicuit, qui [u] *pusillitatem* conuertit in [x] *maiestatem*; qui [y] *obsequium* in [z] *superioritatem ad imperium* commutauit: qui pro veterum Episcoporum carcere & squalore, coronam & quidem triplicatam obtinuit, & sibi reges habet [a] *ligios & vasallos*, ipsosq; Imperatores sibi ad mensam & strepam seruire compellit. Quod autem Bellarminus ex Augustino affert, [b] *viguisse semper in Ecclesia Romana Cathedræ Apostolicæ principatum*, præeminentiam tribuit honoris, non sceptrum potestatis, & prioritatem ordinis notat, non regni maiestatem. Nam si Romani Pontificis in cæteras Ecclesias authoritatem approbasset Augustinus, certè [c] appellationes transmarinas ad Romanum Pontificem in concilio Carthaginensi cum cæteris ibi patribus non vetuisset, neque tam sedulò egisset, vt illum Niceni Concilij Canones adulterantem falsi reum deprehenderet. Quæ porrò ex Prospero & Leone afferuntur, antiquum fidei splendorem ostendunt, non illam, qua nunc superbit Ecclesia Romana, iurisdictionis amplitudinem. Nam [d] *Sacerdotij principatus* apud Prosperum non alitèr intelligendus est, quàm vt locum relinquat canoni Carthaginensis Concilij, quo cautum est, vt [e] *primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus*; quo principatus ille sacerdotij quem nunc Pontifex Romanus sibi vendicat, prorsus exclusus est. Cæterùm Antichristum illum Bellarmini Iudaicum suprà valere iussimus; locus autem Danielis non de Antichristo sed de Antiocho intelligendus est, nisi id fortasse velimus tanquam in typo significatum, eadem fraude Antichristum ad regnum suum peruenire debuisse, qua Antiochus ad suum.

u Synod.6.Constant.act.4.epist. Agathonis.
x Bernard. de Consid.lib.4.
y Synod.6.vt supra.
z Clement. de appellat.cap. Pastoralis.
a Ibid.
b August.epist. 162.
c Concil.Carthag.7.cap 92.
d Prosp.de vocat.gent.ca 6.1
e Concil. Carth. septimum, cap.6.

28 Pergit Bellarminus, & *secundò* Antichristum ait *pugnaturum cum tribus regibus, nimirum Ægypti, Libyæ atque Æthiopiæ, & eorum regna illis deuictis occupaturum, & tertiò, subacturum sibi alios septem reges, & eo modo monarcham totius orbis euasurum.* Atque hic Hieronymi locum adducit: [f] *Dicamus quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt in consummatione mundi quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum surrecturum esse regem paruulum (Antichristum) qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est, Aegyptiorum, & Africæ, & Aethiopiæ, quibus interfectis, etiam alij septem reges victori colla submittent.* Vbi amplectimur quod

f Hieron.in Dan. cap.7.

quod Hieronymus de Imperij Romani sortitione pronunciat, & scriptores omnes Ecclesiasticos tradidisse confirmat. Agnoscimus enim Imperium Romanum in decem regna fuisse diuidendum, & diuisum experti sumus. Vbi de numero præcisè denario non admodum laboramus, quando intelligamus Scripturæ morem esse numeros certos pro incertis nonnunquam adhibere, quod de numero denario [g] Bellarminus ipse sponte concedit. Dicamus ergò quod verissimum est, iam olim imperium Romanum in plura regna diuisum esse. Anglia, Gallia, Germania, Hispania, & reliquæ Imperij prouinciæ totidem iam per multa secula principatus & regna facta sunt. [h] Cornu verò illud paruulum quod simul cum regibus illis surrecturum esset, quis tandem vel fingi potest alius quàm Episcopus Romanus? qui ex illa qua erat olim paruitate in tantam magnitudinem excreuit, vt reliquis decem regibus potentior euaserit, ita vt *à facie illius tria de primis cornibus euulsa sint*, hoc est, de pluribus illis regibus nonnulli per illum confracti & contriti sint. Nam ab illo depositos refert Bellarminus non solùm Leonem Græcum, & Childericum Francum, sed etiam Henricum quartum, & Othonem quartum, & Fredericum secundum. Quanquam Pontifex non reges solùm deposuit, sed & regna quædam ex decem illis occupauit, rege Romanorum, vt antè diximus, profligato, Siculorum & Longobardorum regnis in Petri patrimonium commutatis: vt rectè à facie illius tria de primis cornibus euulsa esse dicantur. Illorum verò quos diximus regum & imperatorum exemplis perterrefacti cæteri reges, iugo Romano ceruices suas subdiderunt, & Pontificis tyrannides & vsurpationes stolidissima patientia pertulerunt.

g Cap. 8.

h Dan. 7. 8.

29 Exceptiones Bellarmini frigidissimæ sunt & vanissimæ. Primò, Daniel, inquit, *loquitur non de regno Galliæ vel Germaniæ, sed de regno Ægypti, Libyæ & Aethiopiæ.* Loquitur quidem Daniel de regnis istis, sed [k] altero in loco, & in Antiochi negotio, non Antichristi. Ineptè tu verò ad Antichristum transponis, quæ Antiochi expeditionem in regna illa quæ commemoras, & reditum in Iudæam ad historiæ veritatem tam graphicè depingunt. Neque verò desunt qui alteram illam prophetiam, grauissimis rationibus adducti, de Antiocho exponunt; ego verò ad Antichristum accommodare non dubito, quia coniunctissima esse videtur cum Apocalyptica prophetia de decem regibus & bestia

k Dan. 11. 43.

bestia cui se illi subdituri sunt, quam certum est apud omnes de Antichristi tempore intelligendam esse. Atque in hoc quidem veteres illi non malè: illud imprudentèr & temerè, quòd Danielis illa omnia quorum in Antiochi historia vestigia luculentèr expressa sunt, ad Antichristum tamen sine discrimine detorquent, quia parum diligentèr in historiam intuentes cum Antiochi rebus non quadrare rati sunt. Cæterùm qui ante multa secula factum videmus, quod illi de Imperij Romani ruina & dissipatione denunciarunt, falsum iam intelligimus quod illi per errorem addiderunt de regibus Ægypti, Libyæ & Æthiopiæ à paruulo illo cornu humiliandis; quod si verum fuisset, mox ab illa Imperij dissolutione compleri oportuisset, & nihil tamen eiusmodi factum est. Ac Bellarminus quidem illorum errorem secutus attendere debuisset quod apud Danielem immediatè præcedit, [l] *Hæ sola saluabuntur è manu eius, Edom, & Moab, & principes filiorum Ammon*, quarum gentium ne nomina quidem iam vsquam in orbe relicta sunt, quod de Antiocho certissimam habet expositionem, de Bellarmini Antichristo ne probabilem quidem.

[l] Dan. 11. 41.

30 *Deinde*, inquit Bellarm. *Papa nullum eorum regum occidit, Antichristus autem tres illos reges interficiet, vt Hieronymus dicit.* Atqui apud Danielem habetur tantummodò *humiliabit, interficiet* non habetur: siquid ampliùs Hieronymus, sine authore loquitur, ac proinde penes ipsum fides esto. Tertiò, inquit, *Antichristus sibi regna illa vendicabit, at Pontifex alijs tradidit.* At Pontifex quoque principatus quosdam & regna sibi rapuit, Siciliæ, Apuliæ, Rauennæ, &c. vt neque hîc ab Antichristo quicquam differat. Cæterùm quod ait Antichristum sibi regna vendicaturum eorũ quos sibi subiget, si intelligi velit, ita sibi capturum vt reges eorum omninò sublaturus sit, planè falsum est, & à Ioanne refutatur, quia illos testatur [m] simul cum Antichristo regnaturos, nec amissuros potestatem suam, sed *potestatem suam & regnum bestiæ subdituros*, vt illius nutu & imperio aduersus agnum depugnent, & Christi Ecclesiam crudeli furore persequantur. Et ita quidem Pontifex Romanus decem illos reges sibi subiecit, vt singuli regnis seorsim potiti sint, ipse vnus omnes sibi habuerit obtemperantes. Atque ita monarchiam orbis obtinuit, & illum sui totius per vniuersum orbem Ecclesiæ [n] monarcham vnicum, & [o] *omnium hominum ordinarium iudicem* esse defendunt,

[m] Apoc. 17. 12, 13, 14.

[n] Bell. de Rom. Pont. li. 2, ca. 12.

[o] Decret. de appellat. cap. vt debitus in glossa.

scendunt, & ipse se, vt antè dictum est, *super gentes omnes & regna constitutum* esse gloriatur. Atque eo nomine tributarium habuit orbem, & à gentibus omnibus vectigal accepit, & dum pallia Episcopis vendit, dum annatas & decimas, & Petri denarios, & procurationes, & nescio quas pensiones & charitatiua subsidia requirit, factum est quod ait Blondus: [p] *Maiora, vel saltem paria priscorum temporum vectigalibus Europa penè omnis tributa Romam mittit, dum singulæ ciuitates à Romano Pontifice beneficia sacerdotalia accipiunt.* Quare in illo completum est, Bellarmine, quod ex Lactantio affers, decem reges Antichristo subijciendos esse, & illum omnium principem futurum, & quod Hieronymus ait de Antichristi regno per totum orbem Romanum propagando, factum in illo est quod ex Chrysostomo commemoras, Antichristum monarcham futurum, & successurum Romanis in Monarchia sicut Romani successerunt Græcis, Græci Persis, Persæ Assyrijs; & ex Cyrillo, adepturum monarchiam quæ antea fuerat Romanorum. Nam ille Romanis in monarchia succedit, si sic intelligas vt constet quod verissimè ait Ambrosius: [q] *Antichristus Romanis libertatem reddet, sub suo tamen nomine.* Romani quippe veterem libertatem & imperij gloriam qua gentes sibi subiectas tenuerunt prorsus amiserant: Pontifex verò illos iterum fecit *rerum dominos* & in orbis imperium denuò perduxit, quod tamen non armis suis & iure politico, sed nomine Pontificis & præsidio legum illius vsurparunt. Quare ineptè concludis Bellarmine, hæc *nullo modo conuenire Romano Pontifici, quia nunquam Pontifex rex fuit totius orbis terrarum.* Nam quî tu illum negas regem totius orbis extitisse, quem in toto orbe regnasse non negas? quem affirmant populares tui, [r] te quoque ipso non repugnante, [s] *totius orbis principatum tenere?* Sed tibi rem integram putas, quia seculari ditione regem inficiaris. Atqui verò cum certum sit decem illos reges seculari dominio & iure regna sua tenere debuisse, quippe quibus alioqui [t] *regum* appellatio conuenire non posset, manifestum est alio prætextu fieri oportuisse vt Antichristus in illos omnes sibi regnum vendicaret. Quod Pontifex fecit nomine vniuersalis Episcopatus, & titulo Ecclesiasticæ potestatis, quam sibi in omnes à Christo datam esse mentitur. Denique quale sibi regnum Antichristus proponeret, Chrysostomus ostendit: [u] *Vacantem Imperij Romani principatum inuadens, Dei simul atque hominum Imperium sibi rapere tentabit.*

p Blond. de instaurata Roma. lib. 3.

q Ambros. in 2. Thess. cap. 2.

r De Rom. Pont. lib. 5. cap. 6.

s Sext. de statu regular. ca. Periculoso in glossa.

t Apoc. 17, 12.

u Chrysost. in 2. Thess. hom. 4.

Tale sibi Pontifex regnum molitus est, qui se idem esse dicit quod erat Petrus, & [x] *Petro Dominum terreni simul & cælestis Imperij iura commisisse,* ac proinde ad se quoque terreni simul & cœlestis Imperij iura spectare. Quæ de Gog & Magog vltimo loco afferuntur à Bellarmino, antè ostendimus ad Turcicos in Ecclesiam impetus & furores pertinere, vt ampliùs hîc morari non opus sit.

x Disp. 22. cap. omnes.

31 Qui verò quæ hactenus de Antichristo & Pontifice Romano dicta sunt, diligentèr attenderit, nihil mirum existimabit quòd Antichristum Apostolus & cònsequentèr Pontificem Romanum [y] *filium perditionis* nominarit. Nam vt Iudæ exemplum imitatur, & vt auaritiæ suæ seruiat osculo Christum prodit, ita commune cum [z] illo nomen sortiatur necesse est. Et quidē Iudę nomen illud [*] horribilis exitus obsignauit: nec minus de Romanis Pontificibus credi potest, è quibus tot sunt horrendæ mortis exempla, vt dubitari non possit quin in illis Deus maledictionis & iræ suæ tremendum spectaculum extare voluerit. [a] Ioannes octauus Papofœmina dum in plateis, spectante orbe, puerperam agit, expirat. Vrbanus tertius, dictus Turbanus, dum turbare omnia intendit, [b] *nutu Dei percussus interijt.* Adriano quarto post excommunicatū imperatorem Fredericum, [c] musca diuinæ vltionis ministra in os inuolauit, quæ illum, quia nulla medicorum arte aut opera eximi poterat, spiritu præcluso occidit. [d] Innocentio quarto, quo tempore obijt Lincolniensis episcopus Rob. Grosthed ab illo tam indignè habitus, vox audita est clamans in curia, *Veni miser in iudicium Dei,* & idem sequente die repertus est in lecto exanimis, ac liuida in eo plaga acsi fuste percussus fuisset. [e] Ioannes vicesimus secundus vitam sibi longam è stellis præsagiens & promittens, dum hanc stultitiam prędicat omnibus, vt loquitur Platina, corruente subitò camæra noua quam in palatio Viterbiensi extruxerat, opprimitur, & inter ligna & lapides solus inuentus post septem dies miserè defunctus est. [f] Nicolaus tertius apoplexia correptus morte sine loquela expirauit. [g] Clemens sextus eodem modo apostemate tactus repentè corruit, & spiritum exhalauit. [h] Syluester secundus, accepto à diabolo responso se non moriturum priusquam missam celebraret in Hierusalem, ambiguo oraculo deceptus, dum in Basilica S. Crucis quæ Hierusalē dicta est missam peregit, subita febre correptus, audito circa se dæmonū strepitu, finē suum

y 2. Thess. 2. 3.
z Ioan. 17. 12.
* Mat. 27. 5. Act. 1. 18.
a Plat. de vitis Pontif.
b Chron. Ab. Vrspergensis.
c Ibid.
d Baleus de act. Rom. Ponti. Vide Math Paris. in Henr. 3.
e Plat. de vitis Pontif.
f Baleus in Nicol. 3.
g Idem in Clem. 6.
h Epist. Bennon. Catalog. test. veritatis Baleus in Syluest. 2.

suum instare sensit, & miserabili atq; horrida morte præuentus, dignũ suis meritis exitum inuenit. [i] Benedictus 6. in carcerem coniectus à Cynthio Romano ciue, laqueo miserabilitèr strangulatur, siue vt alij volunt, fame necatur, præmiũ à Cynthio cõsecutus, vt Platina se vereri ait, secundùm merita ipsius. [k] Christophorus quoq; à Sergio tertio, & Alexander secundus ab Hildebrando, & Cælestinus quintus à Bonifacio octauo arctissimo carcere detenti, in magna omnes miseria vitam clauserunt. [l] Benedictus nonus necromanta insignis, in syluis à dæmone quodã, quem familiarẽ habuit, suffocatur. [m] Ioannes vndecimus ceruicali super os eius iniecto & compresso miserrimè occiditur. Ioannes decimustertius in adulterio deprehẽsus, & à marito adulteræ pugione confossus, post octiduum de vulnere vitam amittit. Ioannes decimusquintus à Bonifacio septimo mulctatus oculis & in vincula coniectus, fame consumptus est, & mox idem Bonifacius septimus apoplexia correptus subitò perijt, & cadauer eius fune ad pedes alligato per plateas tractum, ac lanceis & contis opprobriosè confossum, tandem à clericis populari sepulturæ demandatum est. Ioannes decimusoctauus, effossis oculis, Pontificatu simul & vita priuatur. Bonifacius octauus a Nogaretio Gallo equite comprehensus & contumeliosè habitus, quippe in equum effrænem & forocem versa ad caudam facie impositus & discurrere coactus, fameque insuper vexatus, mox intra paucos dies præ dolore in rabiem conuersus, & iam desperabundus, infœlicem animam emisit; vnde illum tanquam canem mortuum vulgò prædicant. Victor tertius iniecto à subdiacano suo in sacrum calicem veneno extinctus est. Alexander sextus sciscitatus à diabolo, cui se solenni iuramento deuouerat, quot annos in Pontificatu victurus esset, responsum ab illo acceperat, Vndecim & octo victurum. Tandem post vndecim annos, hausta per pocillatoris errorem venenata potione quam conuiuis quibusdam instruendam curauerat, & factus iam sui dubius, è famulis suis Modenam quendam misit in Musæum, qui librum ei quendam necromanticum apportaret. Ille vero aperto ostio conspicatus ibi Satanam in habitu Papę sedentem, tremebundus reuertitur & Papæ rem visam narrat. Qui bono illum animo esse iubens, iterum mittit vt librum afferat. Diabolus illum secundò venientem interrogat; quid ibi haberet rei? Ille verò se missum respondet vt Domino Papæ librum ad-

ducat.

i Platina in Benedicto. 6.

k Baleus.

l Benno in epist.

m Baleus in Ioanne 11. & sequent.

Baleus in Alexandro 6. Gallice.

ducat. Cui diabolus, emiſſo terribili clamore, Ego, inquit, ipſe ſum Papa; & paulò pòſt exponit Alexandro, vndecim & octo non ſignificare nouendecim annos, quod ille ſperauerat, ſed vndecim annos & octo dies, & mox cum fœtore diſcedens, Pontificem relinquit eum mox ex pacto ad inferna ſecuturum. Pari errore [n] Sixtus quintus non ita pridem cùm ſe diabolo deuouiſſet, ſtipulatione accepta quòd certos annos in Pontificatu ſederet, vno anno fraudatus & à diabolo præreptus eſt, quòd adoleſcentulo, quem ille capite damnari voluit, & erat tamen vno anno minor quàm vt illum leges capite puniendum permitterent, vnum ex annis ſuis annumerari iuſſiſſet. De quo mortuo Bellarminus interrogatus quid ſentiret, reſpondit, [o] *Qui ſine pœnitentia viuit, & ſine pœnitentia moritur proculdubio deſcendit in infernum:* & iterum alias: *Quantum capio, quantum ſapio, quantum intelligo, deſcendit in infernum.* Hic verò quam longum catalogum ad faſtidium vſque pertexerem, ſi numerare vellem omnes qui de veneno perierunt? Sed nolo eſſe in hac re longior; lectorem potiùs ad hiſtorias Pontificum remitto, ex quibus hac in parte Romanum morem pleniùs intelligat. Quòd ſi exempla iſta non ſatis confirment Pontificatum Romanum proprium eſſe locum *filij perditionis*, ex Pontifice ipſo conſtare faciemus, qui ſententiam perditionis in ſe dicit, etſi fortaſſe vt olim [p] Caiphas, prophetans & neſciens quid loquatur. Adriani quarti vox erat: [q] *Romano Pontifice nemo eſt miſerabilior, conditione eius nulla miſerior.* Cuius verba recordatus aliquando inter prandendum Marcellus ſecundus, manu menſam percutiens, vt ſeriò ſe loqui oſtenderet, dixit, [r] *Non video quomodo qui locum hunc altiſſimum tenent, ſaluari poſſint.* Euge verò Pontifex, fruere altiſſimo loco tuo qui te à ſalute præcludit. Neque enim par eſt Antichriſti Cathedram alteri quàm filio perditionis eſſe deſtinatam. Iam verò cùm rerum ab Antichriſto gerendarum tota deſcriptio in Romanum Pontificem cadat, hîc quoq; concluſio noſtra manifeſta eſt, Antichriſtum alterum quàm Romanum Pontificem expectari non poſſe.

n Confeſſ. Gallor. quorund. conuerſ. à papiſmo.

o Watſon. Quodlibet.

p Ioan. 11. 51.

q Onuph in Marcello. 2.

r Ibid.

Cap. 12.

Describitur Antichristi apostasia & in Ecclesia Romana consummata esse probatur contra Bellarm. *cap.* 14 *de doctrina Antichristi.*

DE doctrina dijudicatio est Antichristi maxima & certissima. Inde Antichristus dictus, non qui Christi vocabulum (neque enim Antichristus Nero aut Mahometes) sed qui fidem destruit. Ita illos legimus initio Antichristos, quibus nomen Christi sacrum, & baptismus, fides exosa. [a] *sunt enim Antichristi hæresiarchæ omnes, qui sub nomine Christi docent ea quæ sunt contraria Christo.* Et illi quidem comuni ratione Antichristi, quia Christo contrarij, etsi singuli nonnisi singula ferè contra Christum docentes: hic κατ' ἐξοχὴν Antichristus, quia Christum, qua Christus est, totum oppugnat, & vniuersum redemptionis nostræ mysterium irritum facit. Huc referenda est [b] *Apostasia* Ecclesiæ quam Apostolus sub Antichristo futuram prædixit, qua relapsus in perfidiam orbis Christianus, & sanam doctrinam non ferens, præter cæteram corruptelam nouos sibi Christos, nouos salutis & gratiæ aduocatos & intercessores adoptaret. Quam *apostasiam*, ne alium requiramus interpretem, ipsemet Apostolus exponit vbi ad Timotheum scribit: [c] *spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus* ἀποστήσονταί *discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Est ergò *apostasia* nihil aliud quàm discessio à fide, non quæcunque, sed magna quædam & singularis, qua Christianæ pietatis neruus inciditur, & Ecclesia interclusis Euangelij vitalibus auris & fumo prauæ doctrinæ spiritu prærepto suffocatur. Iam verò vbi apostasia ista reperitur, ibi Antichristum esse dubitari non debet. Apostasia Ecclesiæ Romanæ est: itaque in Ecclesia Romana Antichristus. Pontifex Romanus apostasiæ dux est: idem est ergo Antichristus.

[a] Hieronym. in Matth. 24.
[b] 2. Thess. 2. 3.
[c] 1. Tim. 4. 1.

2 Sed tamen Bellarminus, [d] *Si daremus*, inquit, *generalem apostasiam à fide & multis iam annis durantem esse regnum Antichristi, non continuò sequeretur Papam esse Antichristum: nam adhuc quæstio tractanda esset, quinam defecerint à fide & religione Christi,*

[d] Cap. 2.

Catholici an Lutherani: nam etsi dicunt ipsi nos esse qui defecimus à fide, tamen nondum probarunt, nec ab vllo communi iudice id declaratum est. Atqui non diximus solùm, sed & probauimus discessisse vos à fide, idque testimonio & voce communis iudicis Iesu Christi,[e] *quem constituit Deus iudicem viuorum & mortuorum*, cuius verba [f] *iudicia* sunt, quia per illa iudicat, & pro informando iudicio nostro de fide ac religione certò pronunciat. Neque hîc opponant quod solent vocem iudicis obscuram esse: de verbis constare, de verborum sententia controuerti, vt hîc alio quodam iudice opus esse persuadeant: nam etsi multa sunt in scripturis obscura, [g] *quæcunque* tamen *necessaria sunt, manifesta sunt:* & [h] *in ijs quæ apertè posita sunt in scripturis inueniuntur illa omnia quæ pertinent ad fidem moresq́ue viuendi,* & [i] *Scripturæ disciplinam ita modificatam esse constat, vt nemo indè haurire non possit quod sibi satis est, si modò ad hauriendum deuotè ac piè, vt vera religio poscit, accedat.* Vos verò, Bellarmine, qui de sententia quæstionem agitis vbi verbis ipsis apertissima sententia explicatur, nihil aliud agitis quàm vt scripturas per vim in sententiam vestram torqueatis, & quanquam scripturis expressè contraria doceatis, ita tamen interpretemini, vt nihil dogmata vestra scripturis aduersum continere videantur. Neque verò quisquam vos tam insanos putat aut rei vestræ tam negligentes, vt vbi penes vos esse creditur scripturarum sententiam exponere, ita quicquam exponatis vt contra vos sonet, vtcunque blasphema sint & falsa quæ asseritis. Quare non miramur tantoperè vos elaborare, vt credatur [k] *eum qui habet interpretationem Ecclesiæ Romanæ de loco aliquo scripturæ, etiamsi nec sciat nec intelligat an & quomodo cum scripturæ verbis conueniat, tamen habere ipsissimum verbum Dei.* Ita cum truncis & bestijs rem agi putatis, quasi nihil nobis animi sit quo sentiamus nonnisi fraudulentèr & sceleratè comparatas esse interpretationes illas, quæ cum scripturæ verbis consentientes intelligi non possunt. Cæterùm quod dixit olim Augustinus in causa Donatistarum, [l] *Afferte aliquid quod interprete non egeat,* hoc ipsi agimus, & à vobis agi postulamus, & controuersias nostras nonnisi certis clarisque scripturarum documentis disceptemus, ne dum citra scripturas exponendo laboramus, sensus fabricemus qui in verbis solummodo nostris appareant, de ipsis autem scripturæ verbis erui non possunt. Quod si sequamur, citò disceptatio finietur, & apertè iudex communis declarabit

e Act. 10.42.

f Psal. 119.7.

g Chrysost. in 2. Thess. hom. 3.

h August. de doct. Christ. lib. 2. cap. 9.

i Idem de vtilit. credendi, cap. 6.

k Hosius de expresso Dei verbo.

l August. de vnit. Eccles. cap. 16.

vos esse qui à Christiana fide discessistis, & veterem Ecclesiæ doctrinam multorum dogmatum & rituum nouitate violastis.

3 Sed tamen instas & ais, *faciliùs te probare posse nos esse qui defecimus ab Ecclesia, quàm nos probare possumus Catholicos defecisse.* Quid ita? Quia *constat* scilicet *nos aliquando Romano Pontifici paruisse.* Atqui paruerunt aliquando Babyloni, qui voci tamen obtemperant diuinæ, [m] *Exite ex illa populus meus & ne participes estote delictorum eius, &c.* Num tu illos quia Babyloni aliquando paruerunt, & ex illa tandem, monente Deo, exierunt, ideo defectores & apostatas esse pronuncias? Fueramus quidem cum Romana Ecclesia coniuncti aliquando, donec, illuminante Deo oculos nostros, intelleximus quanto periculo cum illa coniuncti fueramus. Postquam didicimus illam ab Euangelio Christi discessisse, & nouam sibi fidem, religionem nouam, & patribus ignotam, de suo cerebro fabricasse, & pro Christo Antichristum suscepisse; non erat committendum, ingratitudine scelerata, vt oculos nobis vltrò euelleremus, neque meretricijs amplexibus insidendum ampliùs, sed fuga potiùs saluti nostræ consulendum. Neque verò præiudicium nobis afferre debebant exempla prædecessorum & maiorum nostrorum, à quorum nos ais Ecclesia & religione, hoc est, ab Ecclesia & religione Romana, defecisse: quin potiùs agnoscendus erat error eorum, & præstanda Deo gloria dicendo; [n] *Verè mendacium possederunt patres nostri, & vanitatem quæ non profuit.*

m Apoc. 18. 4.

n Iere. 16. 19.

4 At inquis, *nos ab aliqua Ecclesia defecisse, nec hactenus demonstrarunt nec demonstrare vnquam poterunt, sed semper in ijsdem institutis perseuerare.* Demonstratum est, Bellarmine, millies & ampliùs, Ecclesiam Romanam nouam hanc ab illa veteri longissimè mutatam esse, nec magis alteri cum altera quàm tenebris cum luce conuenire. Fidem veteris Ecclesiæ Romanæ, & [o] *omnimoda dogmata* Apostolus scripta ad Romanos epistola complexus est. Ad illam fidei regulam perpende illam quæ nunc est Romanam Ecclesiam, quàm nihil habet simile? quanta ibi simplicitas? quàm illibata pietas cum veteri prophetia optimè consentiens? hîc quantum fermentum superstitiosæ nouitatis? Quid ibi de primatu Papæ, de indulgentijs, de sanctorum inuocatione, de adoratione imaginum, de reliquiarum virtute, de Monachismi sanctitate, de purgatorio, de transubstantiatione, de Missæ sacrificio, de confessionum demurmuratione, de huiusmodi

o Theodoret. præfat. in epist. Pauli.

iusmodi mille somnijs, in quibus nunc religio apud vos vniuersa consumpta est? Attende verò, Bellarmine, & rem istam seriò apud animum tuum cogita: an tibi nihil videtur, Apostolum, doctrinam & fidem Ecclesiæ Romanæ describentem, ne meminisse quidem ea quæ proram & puppim fidei vestræ conficiunt? an credibile est, cùm pro nobis omnia loquatur, omnia contra vos, nos tamen apostatas esse, vos ab illa quæ erat olim Ecclesia minimè degenerasse? Scilicet prudentèr & cautè Anglorhemenses lectorem suum admonuerunt, [q] *siquid in Paulinis epistolis illi contra doctrinam Catholicæ*, hoc est, secundùm illos, Romanæ *Ecclesiæ sonare videatur, persuasum habere debere se à recto verborum sensu aberrare.* At quantus hîc amentiæ furor? quanta peruersitas? Itane Apostolum putamus aliud videri, aliud velle? aliud ore dictare, aliud mente sapere, & quæ verbis apertè profatur, sensu verborum omninò damnare? Vbi *iustitiam Dei* defendit [r] *ex fide in fidem*, & illam [s] *absque operibus* perfectam asserit, quasi à fide iustificatio incipiat & in fidem desinat, & in sola fide acquiescere debeat, itáne se intellectum voluit, vt fides nonnisi aditus sit ad opera in quibus iustitiæ vis omnis & potestas consistat, sitq; vna iustificatio quæ fide, altera quæ operibus perficienda sit? Vbi [t] *inuocantibus nomen Domini salutem* adpromittit, an ita sensit, inuocantes nomen Domini, nisi ipsum quoque mortuum inuocent cum cæteris diuis, pro hæreticis habendos esse, & saluos esse non posse? Vbi ait [u] *gratiam Dei esse vitam æternam, &* [x] *non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*, an hoc intelligi voluit passiones & opera sanctorum cum futura gloria iustissima meriti proportione conferri, nec illos cœlum precariò accipere, [y] *sicut pauper eleemosynam, sed quod multò gloriosius est, vt palmam laboribus suis & sudoribus debitam?* Intelligant ista qui possunt, nobis certè tam intelligentibus esse non licet. Neque verò quisquam credere potest sanus & sobrius, verba sacræ scripturæ tam luculentèr à nobis esse posse, & sententiam tamen à vobis, quorum dogmata eiusmodi sunt, vt ipsis scripturæ verbis ex diametro repugnent. Quare manifestum, Bellarmine, quod tua quoque tibi conscientia confirmat, synagogam vestram de veteris Ecclesiæ spatijs exijsse, & meram esse apostasiam quam vos Apostolicam doctrinam esse iactatis.

[q] Anglorhem. in argumento epist. in gen.
[r] Rom. 1. 17.
[s] Cap. 4. ver. 6.
[t] Rom. 10. 13.
[u] Cap. 6. v. 23.
[x] Cap. 8. v. 18.
[y] Ruard. Tapper. tom. 2. art. 9. Explic. artic. theol. Louan.

5 Quod si tibi ex Apostoli Scriptura nondum liquet, de

Romanorum Episcoporum monumentis agnosce. Nam si cum veteribus illis noui non consentiant, certum est defecisse nouos à veteribus, & Romanam Ecclesiam non semper in iisdem institutis perseuerasse. Vide verò paucis exemplis quàm bellè consentiant. Eleutherius Episcopus Romanus consultus olim à Lucio rege Britanno ad fidem Christi conuerso, quibus legibus Ecclesiam piè administraret; respondit, [z] *illum habentem in regno suo vtramq; paginam, ex illis per concilium regni sui legem sumere debuisse*, quippe *esse illum vicarium Dei in regno suo:* at Pontifex qui solus nunc haberi vult [a] *vicarius Dei in terris*, negat [b] *ad seculi potestates ea quæ Ecclesiæ disponenda sunt pertinere*, & principem leges de religione ferentem *vendicare sibi ius alienum, & ministerium quod alteri deputatum est*; quippe Deum *non legibus publicis, non à seculi potestatibus, sed à Pontificibus & sacerdotibus opus Christianæ religionis ordinari voluisse*. Anacleti decretum est, & post illum Calixti, [c] *peracta consecratione communicare oportere omnes qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus; sic enim* aiunt *Apostolos statuisse, & sanctam Ecclesiam Romanam tenuisse.* At quæ nunc est Ecclesia Romana, licitum esse decreuit, [d] *vt solus sacerdos sacramentalitèr communicet*, populo interim spectante tantummodo, non communicante, quasi satis prosit illis quod à Sacerdote fit. Iulius Episcopus Romanus [e] *intinctam Eucharistiam* improbauit, *quòd prolatum huius rei testimonium ex Euangelio non esset, vbi seorsum panis & seorsum calicis commendatio memoratur:* at nunc ex præscripto Ecclesiæ Romanæ [f] *sacerdos tertiam partem hostiæ consecratæ deponit in sacramentum sanguinis, & commixtionem hanc*, Euangelio prorsus aduersam, *sibi ac sumentibus omnibus salutarem fieri precatur ad vitam æternam.* Gelasij Episcopi Romani sententia fuit, (ad quam [g] obstupuit in colloquio Ratisponensi Contarenus Cardinalis) quòd [h] *imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebretur, nec desinat ibi esse substantia vel natura panis & vini:* at Romano Pontifici nunc hęretici sunt & anathemate damnantur, qui panis & vini substantiam superesse aiunt in Eucharistia, & illa non agnoscunt in verum & reale Christi corpus & sanguinem esse conuersa, vt Eucharistia non imago & similitudo corporis & sanguinis, sed corpus ipsum & sanguis esse credatur. Pelagius primus Episcopus Romanus [i] coniugatum quendam Syracusanę vrbis Episcopum ordinauit, cautione tantùm interposita, ne bona Ecclesiæ ad

vxorem

z Eleuthe. epist. ad Luc. reg. Brit.

a Sext. proœm. in gloss.

b Dist. 96. si Imperator.

c Dist. 1. Episcopus. & 2. Peracta.

d Concil. Trid. sess. 6. can. 8.

e De consec. dist. 2. cum omne.

f Breuiar. in can. missæ.

g Chemnic. in exam. concil. Trid. de Transub.

h Gelas. cont. Eutych. & Nest.

i Dist. 28. de Syracusanæ.

vxorem & liberos transferret, cuius rei periculum *causam fuisse* significat *constitutionis illius quæ prohibet vxorem & liberos habentem ad Episcopatus ordinem promoueri*; *aliàs non repellitur quis*, ait ibi glossa, *propter vxorem vel filios, quia hoc permittit Apostolus*: at nunc Ecclesia Romana coniugatos Episcopos nullo modo ferendos arbitratur, non quòd caueat ne bona Ecclesiæ dilapidentur, hoc enim Pontificibus ipsis tritum est, liberis suis, spurijs, nepotibus, cognatis omnia diuina & humana prostituere, sed quòd nuptijs [k] *impuritatem & pollutionem* ascribat, quæ cum sanctitate ordinis sacerdotalis conuenire non possit. Iterum Gelasius, cùm intelligeret [l] *quosdam sumpta tantummodò corporis sacri portione à calice sacrati cruoris abstinuisse, superstitionem* illam vetuit, & *aut integra sacramenta percipere iussit, aut ab integris arceri, quòd diuisio*, inquit, *vnius eiusdemq́ mysterij sine grandi sacrilegio prouenire non potest*: nunc autem Ecclesia Romana ita longè abest vt agnoscat sacrilegium esse diuisionem huius mysterij, vt se potiùs [m] *iustis causis & rationibus adductam* prætendat, *vt laïcos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicet*, & ijs qui in hoc illam errare dicunt, anathema denunciet. Leo Romanus Episc. de Martyr loquens, [n] *accepisse illos* ait, *non dedisse coronas, & de fortitudine fidelium exempla esse nata patientiæ, non dona iustitiæ: singulares quippe in singulis mortes fuisse, nec alterius quenquam debitum suo fine soluisse, cùm inter filios hominum vnus solus Dominus noster Iesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt denique suscitati*: atqui longè aliter nunc docet Ecclesia Romana, [o] *superefluentes sanctorum passiones & satisfactiones* supplere aliorum necessitates & indigentiam, & illis debiti sui relaxationem & remissionem impetrare. Idem ipse Leo professus est se [p] *statutis imperatoris paruisse*, & post illum Agatho se Constantino Imperatori [q] *obedientiam debuisse, & quod ille iussit obsequentèr impleuisse*: at sibi nunc Pontifex ab imperatore deberi obedientiam prædicat, & illum [r] *Papæ hominem* foribus suis inscribit, & [s] iurari sibi ab illo fidelitatem requirit. Gregorius Romanus Episcopus [t] *omne virtutis nostræ meritum vitium & iniustitiam conuinci* docuit, *si districtè iudicetur: prece ergo*, inquit, *post iustitiam indiget, vt quæ succumbere discussa poterat, sola iudicis pietate conualescat*: iam verò Romanenses meritis hominum tantam iustitiæ perfectionem attribuunt, vt ad amussim diuinæ [u] legis respondeant, & illis

k Bellar. de Clericis. lib. 1. ca. 19.

l De consec. dist. 2. Comperimus.

m Concil. Trid. sess. 5. can. 2.

n Leo. epist. 81.

o Bellar. de Indulgent. li. 1. c. 3.

p Leo epist. 16.

q Constantinop. Synod 6 act. 4. in Epist. Agath.

r Catal. test. veri. pa. 248. ex Radeuico.

s Dist. 63. Tibi domino.

t Greg. Mag. Moral. lib. 9. ca. 1. & 14.

u Trid. concil. sess. 6. ca. 16.

lis regnum cœlorum non promiſſione tantùm aut pacto, ſed [x] ſtipendiario iure & ex condigno debeatur. Idem Gregorius *propter hoc* [y] *Miſſam dictam* perhibet, *quoniam mittendi ſunt foras per diaconum qui non participant ſacrificio vel communione ſancta: igitur niſi ad vocem diaconi, more maiorum, non communicantes exire præcipiantur, officium quod vſitato nomine Miſſa dicitur, ritè non perfici:* at nunc Miſſa Romana ritè perfici putatur, vt tamen præter ſacerdotem nemo communicet, nec exire omninò iubeantur non communicantes. Idem quoque Gregorius [z] *Antichriſti præcurſorem* aſſeruit illum, *quiſquis ſe vniuerſalem Sacerdotem vocaret vel vocari deſideraret*, & [a] *ad imitandũ proponere illum qui deſpectis Angelorum legionibus ſecum ſocialitèr conſtitutis ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, vt & nulli ſubeſſe, & ſolus omnibus præeſſe videretur: nouum nomen* appellat, *nomen erroris, vocabulum ſtultum, ſuperbum, peruerſum, temerarium, ſceleſtum, prophanum, quo nullus,* inquit, *prædeceſſorum meorum vti conſenſit; quo vocari nullus præſumpſit qui veracitèr ſanctus fuit:* at nunc Romanus Epiſcopus, & quidem ferè à tempore Gregorij, nomen illud inuiſum occupat, & vniuerſalem Epiſcopatum ſibi vendicat, & eò ſuperbiæ proceſſit, vt ſolus omnibus præeſſe velit, & [b] *ſubeſſe Romano Pontifici, omni animæ de neceſſitate ſalutis eſſe pronunciet.* Quid ergò Bellarmine? vbi tam aperta pugna eſt tu concordiam fingis & vnitatem, & veſtram Eccleſiam à veteri illa Romana tam diſſentientem ais in iiſdem inſtitutis ab initio perſeueraſſe? Immo vides, neque dubito quin videas non eſſe Romanam hanc quam tu tantoperè deprædicas antiquam illam & Apoſtolicam, niſi fortè vt [c] Mariana quercus dicta eſt olim nõn eadem ipſa quam conſeuit Marius, ſed altera in vicino poſita: ita Apoſtolicam Eccleſiam dicamus non eam quæ ab Apoſtolis conſtituta eſt, ſed alteram in propinquo ſitam, quæ nomen illius antiquæ mentiatur propter loci vicinitatem, de fide autem & virtute nihil habeat.

6 Atq; hic reliquorum patrum teſtimonio haud prorſus ſuperſedendũ puto, quorum confeſſionem & fidem Eccleſia Romana tanquã aduerſis cornibus oppugnat, contradictione categorica, aperta, expreſſa, vt appareat fronte illos eſſe pluſquam ferrea, qui illam aiunt à nulla Eccleſia defeciſſe. Qui traditionibus & dogmatibus nõn ſcriptis onerarunt Eccleſiam, & parem illis atque ſcripturis fidem haberi poſtulant, an ab illa Eccleſia

x Anglor. rem. in 2. Tim. 4.8.
y Georg. Caſſan. in Liturg. cap. 26. ex Gregor. in expoſit. ord. Rom.
z Greg. epiſt. lib. 6. epiſt. 30.
a Lib. 4 epiſt. 32. 36, 38.
b Extrau. de maior. & obed. cap. vnam ſanctam.
c Cic. de legib. lib. 1.

clesia non defecerunt, cuius vocem Augustinus expressit;[d] *siquis siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunque re alia quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam, si nos, sed si angelus de cælo quicquam anunciauerit, præterquam quod scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit?* Qui libris Apocryphis canonicam authoritatem addiderunt & ex illis dictata sua cum reliquis scripturis pugnantiâ confirmant, an cum illa Ecclesia consentiunt, *quæ*[e] *legit illos quidem*, ait Hieronymus, *sed inter Canonicas scripturas non recipit*, & *legit ad ædificationẽ plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam?* Qui pro inuestiganda Ecclesia nescio quem Labyrinthum contexunt, & notis ignotis illam dijudicandam proponunt, an cum Chrys. conueniunt, qui ait & iterum atque iterum ingeminat, [f] *nullo modo cognosci posse quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per scripturas?* Vbi de Purgatorio fabulantur, an illis idem placet quod Augustino visum est [g] *Non est vllus vlli medius locus vt possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo.* [h] *Qui mortuus est, aut in sinu Abrahæ gaudet, aut in igne æterno aquæ modicum desiderat:*[i] *tertium locum penitus ignoramus: immo nec esse in scripturis inuenimus?* [k] *Anathematizantur à veteri Ecclesia Dei qui templa angelis excellentissimis, aut cuicunq; creaturæ faciunt; quoniã creaturæ eam exhibent seruitutem quæ vni tantùm debetur Deo:* num ili Rom. nunc fauet, quę hanc seruitutẽ diuis suis passim exhibet, & pro monumento idololatriæ vetus illud Ethnicorũ[l] *Pantheon* matri deorum & dijs omnibus sacrum, *in honorem beatæ Virginis & omnium martyrum consecrauit?* De veteris Ecclesiæ sententia,[m] *seruitutem quæ latria dicitur debent omnes soli Domino deo suo, quæ non sit filio exhibenda, si de patre dictum est, illi soli seruies; neque patri si de filio dictum est, illi soli seruies:* an Romanæ patrocinatur, quæ quod de Domino deo nostro dictum est, *illi soli seruies*, imaginibus suis attribuit, & se non inficiatur [n] *crucis effigiem latriæ cultu venerari?* Veteris Ecclesiæ mentem secutus Epiphanius, [o] vbi ingressus in Ecclesiam orandi gratiâ velum ibi videret in quo depicta esset imago quasi Christi vel sancti cuiusdam, scidit illud, & consuluit custodibus loci vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent, *quod contra authoritatem scripturarum, contra religionem nostram esset in Ecclesia Christi hominis pendere imaginem*, *scrupulositatem hanc* siue superstitionem *tollendam* significans, *tanquam indignam Ecclesia Christi*: an easdem scripturas, eandem religionem sapit

d August. cont. lite. petil. lib. 3. cap. 6.

e Hieronym. præfat in libros Solomon.

f Chrysost. op. imperf. hom. 49.

g August. de peccat. mer. & remiss. li. 1 ca. 26.

h Idem in 1 epist. Ioannis. tract. 10.

i Hypognost. lib. 5.

k August. cont. Maxim. in Arian. lib. 1. art. 11.

l Platin. de vit. Pontif. in Bonifac 4.

m August. cont. serm. Arian. ca. 29

n Andrad orthod. explicat li. 9

o Epiphan. epist. ad Ioan. Hierosol.

nunc Ecclesia Romana, quæ statuas & picturas ornamenta esse putat Ecclesiæ Christi, easque sanctè veneratur, & ad religionem plurimùm conferre decernit? Veteris Ecclesiæ sententia est quam Bernardus exponit; [p] *Non talia sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut deus iniuriam aliquam faceret nisi eam donaret*; [q] *via regni sunt quæ dicimus merita nostra, si propriè appellantur, non causa regnandi*: annon ab illa Ecclesia discesserunt, qui docent [r] *bona opera non minùs esse causam salutis, quàm mala opera damnationis*, & [s] *vsque adeò esse meritoria, vt iniustus sit Deus nisi pro illis cœlum reddat*? Veteris Ecclesiæ mens erat, [t] *in vasis sanctificatis non verum Christi corpus, sed mysterium corporis eius contineri*, quippe [u] *corpus Christi in aliquo esse cæli loco propter veri corporis modum*, & [x] *quia in cælo est*, & nonnisi *vno loco esse potest, non esse vtiq;* [y] *hic in terra*: an illam probat Ecclesia Romana, quæ transubstantiationis nouo dogmate credi vult in in vasis sanctificatis verum Christi corpus realitèr, vt loquuntur, adesse, & tanquam *verum corporis modum* amiserit, simul in cælis & terris esse? De veteris Ecclesiæ sententia dixit Augustinus: [a] *si Ioannes ita diceret, hoc scripsi vobis vt non peccetis, & si quis peccauerit, mediatorem me habetis apud patrem & ego exoro pro peccatis vestris, quis eum sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur? Paulus Apostolus quanquam sub capite præcipuum membrum, tamen quia membrum est corporis Christi, non se mediatorem facit inter populum & Deum: nam si esset mediator Paulus, essent vtiq; & cæteri coapostoli eius, ac sic multi mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio qua dixerat, Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominum homo Iesus Christus, &c.* an illam Romana nunc sequitur, quæ mediatorum turbam infinitam inuexit exorantium pro peccatis nostris, & Christi proprium honorem sanctis ad vnum omnibus impertita est? Liberum hominis arbitrium, & facultatem implendæ legis ad iustitiam coram Deo, improbauit vetus Ecclesia & explosit, et pro Ecclesia causam illam agunt contra Pelagianos Hieronymus, Augustinus, Prosper, Orosius, Fulgentius, perinde ac nobiscum confœderati sint, & ijsdem ferè verbis *liberum arbitrium* agnoscunt nullum *nisi* [b] *diuinitùs liberatum*; [c] *nihil nos habere de nostro nisi mendacium & peccatum*, & ita liberari vt tamen [d] *vitium* insit *ex quo non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens*, & propterea [e] *Apostolis ipsis dicendum, Dimitte nobis debita nostra, & si interrogati fuerint, Quare*

hoc

p Bernard. in Annuncia. Ser. 1.
q Idem de grat. & lib. ar. it. in fine.
r Anglorhem Annot. in 2. Cor. 5. 10.
s Iidem in Heb. 6. 10
t Chrysost. op. imperf. ho. 11.
u August. epist. 57.
x Vigil. cont. Eutyc. lib. 4.
y August. in Ioan. tr 30.
z Ibid. tra. 50.
a August. cont. epist. Parmen. lib. 2. cap. 8.
b August. cont. 2. epist. Pelag. li 3. ca. 8.
c Idem in Ioan. trac. 5.
d Idem, epist. 29.
e Idem in Psal. 142.

hoc dicitis, quæ ſint debita veſtra? reſpondendum eſſe, quia non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuens : an ab illa non diſceſſerunt, qui propriam & inſitam arbitrij libertatem profitentur, & legi nos in hac vita ad perfectam iuſtitiam ſatisfacere poſſe defendunt? Quid commemorem [f] Nyſſeni & Hieronimi epiſtolas de peregrinationum inanitate? quid Marci Heremitæ libellũ *aduerſus eos qui ſe putant operibus iuſticari?* Quid *Caroli Mag.* librum *contra ſynodũ de imaginibus*, & alterum Bertrami presbyteri *de corpore & ſanguine Domini* contra Tranſubſtantiationem, omnes longè aliud agentes quàm nunc Eccleſia Romana pium & orthodoxum haberi vult? Longum eſſet enim omnia perſequi, quæ Romanam Eccleſiam recentiorem à vetere illa diſterminant, ex quibus conſtet impudentèr ab illis affirmari ſolere, Romanam Eccleſiam eadem ſemper inſtituta retinuiſſe, nec ab illa fide quam primùm accepit vel latum vnguem diſceſſiſſe.

f Gregor. Nyſſen. epiſt. de ijs qui adeunt Hieroſol.
g Hierony. epiſt. ad Paulinum.

7 Neque verò negare poſſunt religionem noſtram & fidem in veterum ſcriptis, vtcunque illi praua quædam admiſcent, luculentiſſimè contineri, & habere paſſim antiquitatis tam impreſſa veſtigia, vt non dubitemus illos, vbi apoſtaſiam nobis imputant, conſcientiæ ſuæ teſtimonio repugnare. Index enim Expurgatorius tantundem nobis aperit, vbi ratio redditur cur Bertrami librum expurgandum tantùm, non penitus explodendum cenſeant: [h] *Cùm*, inquit, *in Catholicis veteribus alijs plurimos feramus errores, & extenuemus, excuſemus, excogitato commento perſæpè negemus, & commodum ijs ſenſum affingamus, dum opponuntur in diſputationibus aut in conflictionibus cum aduerſarijs*. Agnoſcunt habere patres quæ nos docemus: ſed in illis erraſſe aiunt, & vera nos teſtimonia patrum afferre, ſed à ſe excuſari, extenuari, & commentitijs atque excogitatis reſponſis deludi, vbi in aduerſum afferuntur. Hoc ipſo verò teſtantur apoſtaſiam à fide, ſiquidem fides è Patrum ſcriptis petenda ſit, ab ipſis eſſe, non à nobis, qui fidem non à ſcripturis modò, ſed patribus quoque teſtatam illibatam tenemus. Quòd niſi à patrum Eccleſia diſceſſerunt, oſtendant nobis à quibus tandem patribus illas dogmatum inſolentias hauſerunt, quibus chartas paſſim ſuas tam fœdè conſpurcant. Quo tandem authore didicerunt [i] *Eccleſiæ maiorem eſſe authoritam quàm ſacræ ſcripturæ, & illam eſſe quæ ſacris ſcripturis canonicam authoritatem impertiatur?* Recognoſcant de Romano Pontifice problemata ſua quæ antè narrauimus; *Papa non*

h Index Expurgat. in caſtig. Bertrami.

i Pigh. hierar. eccleſ. lib. 1. cap. 2. Cuſan epiſt. 2. ad Bohemos.

non est homo sed vicarius Dei: Pontificalis dignitas quadragesies septies maior est regali dignitate: Dominus Deus noster Papa: non est qui ei dicat, Cur ita facis? Papa solus est authoritatiue homo ille spiritualis qui iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur: Papæ potestas est in omnibus, & per omnia, & super omnia, &c. an à Patribus vsquam ista aut similia de Romano Pontifice dicta sunt? Sacram scripturam quam *Deus* [k] *columnam & fundamentum fidei nostræ,* quam [l] *firmamentum contra insidiosos errores &* [m] *super omnia humana corda constituit*, quis illos docuit esse [n] *veluti nasum cereum, regulam Lesbiam, mortuum atramentum, mutum iudicem, &* [o] *subesse illam debere fidei nostræ, non præesse*; quin & *Pauli epistolas*, quod præfectus quidam Lugdunensis euomuit, *nisi Ecclesiæ doctores eam illi authoritatem tribuerent, haud pluris esse faciendas quàm Aesopi fabulas*? Quis ambulatoriam esse indicauit vnquam scripturarum sententiam, vt illas arbitremur [p] *esse ad tempus adaptatas, & variè intellectas, ita vt vno tempore secundùm currentem vniuersalem ritum exponantur; mutato ritu, iterum sententia mutetur: intellectum quippe currere cum praxi, & praxin Ecclesiæ vno tempore interpretari scripturam vno modo. & alio tempore alio modo?* Cui vnquam patri aut Ecclesiæ in animũ venit quod illi defendunt, [q] passiones Martyrum & Sanctorum non ipsis solùm, sed & alijs ad remissionem peccatorum valere? quis ex illorum meritis & passionibus [r] *thesaurum* in Ecclesia constitutum somniauit, ex quo Pontifex Romanus indulgentias & absolutiones certo pretio concedat, quæ tantum valeant, si Tecelio credamus, *vt* [s] *siquis Virginem matrem vitiasset, & grauidam fecisset, crimen ipsi interuentu pecuniæ condonari posset.* Indulgentias certorum annorum incredibili Ecclesiæ ludibrio certa lege promittunt, quæ vt peregrinos Romam inuitent, singulis templis tam numerosæ concessæ sunt, vt qui stationes omnes Ecclesiarum Romanæ vrbis obierit, quo de Purgatorio securus sit quod simul cum seculo finietur, indulgentias [t] vltra decies centena millia annorũ habiturus sit. Quid? Et habéntne hac in re antiquitatis exemplum aliquod quod sequantur? An est vnquam creditum in Ecclesia primitiua, penes Rom. Pontificem esse diplomate suo animas è purgatorio liberare? An vlla vnquã Ecclesia de Martyre aliquo cecinit, quod illi de Th. Becketo homine perduelle cecinerunt;

[u] *Tu per Thomæ sanguinem, quem pro te impendit,*
Fac nos Christe scandere, quo Thomas ascendit.

k Iren. lib. 3. cap. 1.
l August. in epist. Ioan. tra. 2.
m Idem ad Oros. contra Priscill. & Orig. cap. 11.
n Pigh. Hierarch. eccle. lib. 3. cap. 3. Censura Colon. dial. 4. Illyric. in norma concil. ex concil. Trident. Sleidan. Commen. lib. 23. ex orat. Pictauij.
o Pigh. hierar. eccl. lib. 1. cap. 2.
* Sleidan Comment. lib. 25.
p Cusan epist. 2. ad Bohemos.
q Bellarm. de Indulgent passim. Anglorhem. annot in Col. 1. 24.
r Bellarm. de Indulg. lib. 1. cap. 2. & 3 &c.
s Sleden. Comment. lib. 13.
t Chemnic. in exam. concil. Trident. de indulgentijs.
u In translat. S. Thomæ Cantuar.

Iesu Christe, [redacted] *Thomæ vulnera, quæ nos ligant relaxa scelera:*
Ne captiuos ferant ad infera, hostis, mundus vel carnis opera.

Aut de re aliqua, quod illi de *Agno cereo:*

——— [x] *Omne malignum*
Peccatum frangit vt Christi sanguis & angit.

Ecquis ex antiquis episcopis cogitauit vnquam se [y] benedictione sua peccatorum remissionem elargiri? Franciscanus quidam contra Lutherum asserere ausus est, quod Andradius quoque ex arcanis concilij Tridentini superciliosè philosophatur, [z] *eos qui Christi cognitionem nullam habuissent, & alioqui vitam egissent honestè, salutem esse consecutos:* an ista Christi annihilatio veteris Ecclesiæ suffragium & consensum vnquam obtinuit? Quid? illud Fecnami nostri, [a] *ignorantiam esse matrem deuotionis,* & illa Cusani mysteria; [b] *Nemo decipi potest etiam per malum præsidentem: si dixeris, Domine, obediui tibi in præposito, hoc tibi sufficiet ad salutem: Tu enim per obedientiam quam facis præposito quem Ecclesia tolerat, decipi nequis, etiamsi præceperit iniusta: Quare sententia pastoris ligat te pro tua salute propter bonum obedientiæ, etiamsi iniusta fuerit: nam ad te non attinet cognoscere quòd sententia sit iniusta, nec conceditur tibi vt non obedias, si tibi iniusta videatur: obedientia irrationalis est consummata obedientia & perfectissima, scilicet quando obeditur sine inquisitione rationis, sicut iumentum obedit Domino suo:* cuius farinæ quoque est illud Holcoti: [c] *laici fidem adorantis hostiam non consecratam sufficere illi ad saluationem, etsi erroneam; & hominem posse mereri per fidem erroneam, etsi contingat vt adoret diabolum;* an ista quoque de veteris Ecclesiæ institutione ac disciplina percepta sunt? Ecquis olim tam impius in Christum fuit qui assereret, quod suprà vidimus, [d] *ingressum religionis monasticæ & induitionem cucullæ, parem cum baptismo vim & gratiam habere?* siue vt Thomas habet, [*] *eandem gratiam descendere super eum qui habitum religionis assumit, & super eum qui baptizatur?* De Eucharistiæ sacramento quæ monstra fabulantur? [e] *Etiamsi mus vel canis hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quamdiu species illæ manent, hoc est, quamdiu substantia panis maneret, si ibi esset; sicut etiam si proijceretur in lutum. Quidam dixerunt quòd statim cùm sacramentum tangitur à mure vel cane, desinit ibi esse corpus Christi; quod derogat veritati sacramenti.* Similia sunt Antonini dictata: [f] *sanguinem Christi veneno infectum esse posse, quod vbi contingit, in vase apto diligentèr*

x Ceremon. eccles. Rom. lib. 1. sect. 7. de consecra. agn. dei.
y Sext. procem. in glossa Anglo-rhem. annot. in Matth. 10. 12.
z Sleidan. Comment. lib. 23. Andrad. orthod. explicat. lib. 3.
a Fecnam. in conuentu quodam Londin.
b Cusan. epist. 2. ad Bohemos. & Excitat. li. 2. & 6.
c Citatur à Larent. Humphred. de vita & obitu Iuel pag. 120.
d Hospinian. de orig. Monachat. lib. 6 cap. 18.
*Tho. Aquin. in 4. senten. dist. 4.
e Tho. Aquin. sum. pa. 3. q. 80. art. 3.
f Anton. summ. p. 3. tit. 13 cap. 6 art. 3. de defect. missæ.

diligentèr poni & pro reliquijs seruari debere: quod in calice est si stillet super terram, lambi debere: corpus Christi in secessum emitti, vbi, vt in fluxu fit, species integræ emittuntur. Glossa dicit, inquit, *quòd vbi species atteritur dentibus, Christus ad cœlum rapitur; quod dicere est hæreticum. Nam corpus Christi & sanguis tamdiu manet in ventre & stomacho, quamdiu species manet (sicut substantia conuersa mansisset, & si species incorruptæ euomuntur vel egrediuntur, est ibi verè corpus Christi. Si mus species sacramenti comederit, debet capi & comburi, & cinis iuxta altare reponi. Sed Petrus de palude dicit, quòd mus exenterari debet & cinis in piscinam proijci; pars autem hostiæ si horret homo eam sumere, debet in tabernaculo reuerentèr poni, & tamdiu ibi dimitti quousque naturalitèr consumetur, & quantumcunque modica particula inueniatur, debet cum reuerentia reponi, quia in ea totus est Christus. Et siquidem homo esset tanti feruoris, quòd huiusmodi non horreret, sed sumeret, commendandus esset, si tamen esset ieiunus. sic beatus Hugo Cluniacensis commendauit Goderanum quendam sumendo portiunculas hostiæ quas leprosus cum vilissimo sputo euomuerat, dicens, craticulam Laurentij fuisse tolerabiliorem.* Istam verò tam abstrusam Theologiam ecquis antiquorum patrum intellexit aut prodidit? an illis animus fuit placentula Christum tanquam ergastulo quodam captiuum includere, vt vermium, & canum, & porcorum morsibus, & pugionum ictibus, & quibuscunque sordibus & iniurijs sit expositus, manens interim inuisibilis, perinde quasi phantasmate Marcionis & Manichæi Ecclesiæ suæ ludificari voluisset? Campegij Cardinalis pronunciatum illud, quod idem ferè est Alberti Pighij, à quo patre acceptum est, [g] *Quòd sacerdotes mariti fiant, multò esse grauius peccatum quàm si plurimas domi meretrices alant?* Lupanaria tanquam [h] *necessarium malum* permittenda, & [i] *magistratum in eo non peccare, si permittat*, num antiquæ vsquam Ecclesiæ visum est? [k] Penes Romanum Pontificem esse vt reges & principes deponat, & regna transferat, quæ olim Ecclesia, quis vnquam Christianus vel per somnum cogitauit? Vbi Constantios, & Iulianos, & Valentes Ecclesia olim ferre coacta est, statuítne in illos manifestè hæreticos & apostatas, quod iampridem in sanctissimam principem Elizabetham beatissimæ memoriæ falso hæreseos prętextu constitutum est, [l] *pium & meritorium opus* facturum qui illam occideret? Euoluant libros suos, patrum omnium monumenta perquirant, vt vel vnum adducant, cui quacunque occasione, siue

g Sleidan. Comment. lib. 4. Pigh. contra de cælib. sacerd.
h Harding. Conf. apol. eccl Anglic.
i Bellar. de amiss. grat. & statu peccati. lib. 2. cap. 18.
k Sext. de sent. & re iudicata ca. Ad Apostolicæ.
l Cardi. Comens. lit. ad Parræum.

siue somnianti siue vigilanti exciderit, [m] Romanum Pontificem constitutum esse super gentes & regna, vt principes, fac, schismaticos, hęreticos, idololatras, de maiestate sua proturbet & deijciat, & regna illorum alijs pro libito suo disponat. Quod Gregorius tertius sanciuit, [n] *Vbi mulier infirmitate correpta debitum viro reddere non valuerit, ille si continere non poterit, nubat alteri,* num Ecclesiæ primitiuæ licere visum est? Martinus Lutherus in sermone quodam de Matrimonio iustam diuortij rationem esse statuens, vbi vxor contumax & peruersa debitum viro præstare recusat, illam docet priùs castigandam verbis, & adiunctis minis admonendam, *si tu nolis, altera volet; si nolit vxor, veniet ancilla,* non vagas libidines inducens, sed vxore altera repudiata, alteram matrimonio suscipiendam intelligens. Id arripuit Edmundus Campianus, & per calumniam auctum Ecclesijs nostris obiecit: [o] *si nolit vxor aut non possit, veniat ancilla:* peruertens malitiosè quod dixit Lutherus, & impudentèr addens, *si non possit vxor,* quod Lutherus non dixit. Atqui quod Lutherus non dixit, recognoscant apud Pontificem suum & sibi capiant: *si non possit vxor, infirmitate correpta, nubat alteri, &c, siquidem volet, ancillæ.* Ecce verò quos Centauros Ixiones isti, quæ monstra dogmatum pepererunt? An nos tam insanos esse volunt, vt illos credamus in ijsdem semper institutis perseuerasse, nec à fide veteris Ecclesiæ in re aliqua discessisse, cùm videamus illos tam inaudita proponere, & sancta dicere, quæ veteri Ecclesiæ scelerata & sacrilega habebantur? Conticescant de veteri Ecclesia; ne illam nobis opponant, ne dicant suam neque portentosæ propaginis huius parentem mentiantur.

m Extrauag. de maior & obed. ca. Vnam sanctā.

n Gregor 3. epist. ad Bonif. tomo. 3. concil.

o Campian. Rat. 8.

8 Cæterùm vt pleniùs intelligamus accusationem hanc Apostasię in Ecclesiam Romanam propriè conuenire, diligentèr aduertendum est, quibus illa fidei capitibus in Scripturis explicetur. Etsi enim in multis fidei puritas erat ab Antichristo violanda, quædam tamen Spiritus Sanctus præ cæteris expressit, quę certissimam Antichristianæ perfidiæ demonstrationem continerent. Ac Paulus quidem apostasiam à fide futuram prædicens, illam hypocritica ciborum & nuptiarum prohibitione luculentèr exponit. [p] *Spiritus manifestè loquitur futurum, vt nouissimis temporibus quidam discedant à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacia, cauteriatam habentium conscientiam suam, prohibentium nubere, &*

p 1. Tim. 4. 1.

præcipien-

præcipientium abstinere à cibis quos creauit Deus percipiendos cum gratiarum actione. Hanc verò apostasiæ notam tam expressam, tam insignem, vbi quæso certiùs quàm in Ecclesia Romana deprehendere possimus? quæ lege vetuit illam, quam Deus lege sanciuit, liberam vniuersis ciborum omnium & coniugij potestatem? Sed tamen Apostoli sententiam amoliuntur illi à se quantum possunt, & illis obtrudunt qui creaturas tanquam immundas abhominantur, & eo nomine temperandum illis affirmant. [q] *Damnat Apostolus hæreticos omnes,* ait de cibis Bellarminus, *qui cibos vt per se immundos prohibent, ac præsertim Marcionistas, Encratitas & Manichæos:* nempe secutus Montanistas hæreticos, quorum agens causam Tertullianus, eodem omninò modo obiectam illis Apostoli sententiam elusit. [r] *Reprobat illos,* inquit, *qui iubeant cibis abstinere, sed de prouidentia Spiritus Sanctus, prædamnans iam hæreticos perpetuam abstinentiam præcepturos ad destruenda & despicienda opera creatoris, quales inueniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Iouem hodiernum de Pythagora hæreticum, non apud Paracletum.* Quid ergò, Bellarmine? an Montanum quoque non perstringit Apostolus, non perstringit Eustathium, qui etsi nihil per se immundum sentientes, pro hæreticis tamen ab Ecclesia sunt habiti, quòd contra doctrinam Apostoli iuberent certis legibus abstinere à cibis quos creauit Deus? &c. Quid tergiuersaris? edic nobis simpliciter & apertè, rectenè sensisse an secus tibi videtur Ecclesia Catholica, quę Montani hæresin & Eustathij statuit hoc Apostoli testimonio iugulari? Obmutuit, non habet quod pro se respondeat: videt vtrinque sibi laqueum parari; se vtrinque suffocari. Quid taces? responde verò: an Montanum condemnat Apostolus? Maximè, inquis: neque enim aliter audes, ne palam desertor Ecclesiæ fias. At inquam, si illum feriat Apostoli prophetia, te quoque perfodiat necesse est, qui communem cum illo sententiam defendis. Minimè, inquis: nam loquitur Apostolus de ijs qui cibos prohibent per se immundos, ac proinde perpetuam ab illis abstinentiam indicunt. Ita relabitur, & circulos nectit, quia se videt retibus istis extricare non posse. At inquam, quid tum ad Montanum locus Apostoli, qui nihil immundum arbitratur, omnia bona à bono Deo cōdita profitetur, ac proinde ciborum vsum haud prorsus tollit, sed temporalis abstinentiæ palæstram instituit? Altum silentium. Atque id vbique animaduerto vbi ad

q Bellar. de bonis oper. in part. lib. 2. cap. 8.

r Tertul. de ieiun.

ad locum hunc Apostoli respondent, de Saturnino tantùm, & Marcione, & Manichæo responderi, de Montano taceri, quia vident, cadente Montano, hæresin suam consistere non posse. Vbi verò taceri non potest, mirum est quàm se torqueat Bellarminus, vt defensionem suam à Montani causa seiungat:

Saxum sudans intendo, neque proficit hylum.

9 Quod planè constabit, si attendamus quo nomine Montanus ab Ecclesia Catholica in hac causa reprehensus sit. De illo inprimis Eusebius, [f] *Montanus ieiuniorum leges perscripsit.* Libera enim erant Ecclesiæ ieiunia, & nullis legibus astricta; non statis vicibus & certo dierum & temporum recursu & numero repetita, sed indifferentèr ex arbitrio, & pro occasione suscepta, nec ciborum genere, sed simplici abstinentia circumscripta, nulla interposita cautione quominus ieiuniorum diebus expleto abstinentiæ tempore, re quauis sine discrimine vesci liceret. Et quanquam Christi mortui tanquam [t] *ablati sponsi* memoriam quotannis tandem ieiunio recolebant, cuius loco quadragesimæ Papisticæ superstitio inoleuit, tamen illius quadragesimæ certa præscriptio non erat, sed penes quemque erat id agere quod animus ferret, quodq; sibi maximè expedire iudicaret. Cuius rei testis locupletissimus est Socrates: [u] *Ieiuniorum rationem quæ ante Pascha fiunt aliter ab alijs obseruatam esse, facile est reperire. Nam qui sunt Romæ tres septimanas ante Pascha, Sabbato & dominico exceptis, simul ieiunant: qui autem in Illyria & tota Græcia, quiq; Alexandriæ habitant, ante sex septimanas ieiunia quæ ante Pascha fiunt ordiuntur; illudq; tempus Quadragesimam nuncupant. Alij præter horum consuetudinem septem septimanas ante illud festum initium ieiunandi facientes, quamuis quindecim dies solùm interuallis interpositis ieiunent, nihilominus tempus illud quadragesimam vocant. Quinetiam non de numero dierum solùm discrepant, verumetiam de abstinentia à cibis variam sequuntur rationem. Nam alij omninò ab omni animantium genere abstinent: alij inter animantia Pisces solos comedunt; alij cum piscibus volucres etiam manducant; alij à fructibus duris integumentis inuolutis & ab ouis temperant; alij arido pane solo vescuntur; alij ne illo quidem. Sunt qui cùm ad horam nonam ieiunauerint, varijs ciborum generibus vtuntur; alia ratione apud alias gentes ieiunatur. Ac quoniam nemo ea de re præceptum literarum monumentis proditum potest ostendere, perspicuum est Apostolos liberam potestatem in eadem cuiusque menti & arbitrio permisisse,*

f Euseb.hist. lib.5.cap.16.

t Mat.2.20.

u Socrat.hist. lib.6.cap.21.

sisse, vt quisque nec metu nec necessitate inductus quod bonum sit ageret. Atque hoc confirmat quoque Augustinus, qui de ieiunio & abstinentia non alitèr præceptum agnoscit, nisi [x] *quanto magis quisque vel minùs seu voluerit seu potuerit, & ieiunandum* quidem se ex Scripturis didicisse profitetur, [y] *sed quibus diebus ieiunare oporteat, quibus non oporteat, nullo Domini vel Apostolorum præcepto inuenire definitum.* Quò illa pertinet apud Theodoretum historia [z] Marciani, qui cùm malè haberet quòd Auitus ieiunio priuato addictior vnà secum vesci renueret, & Auitus non ferens offensam illius, malle se diceret vesci carnibus quàm ab illo audire quę dixerat (quod tamen non fecisset si per conscientiam non licuisset) confirmauit animum illius sanctissimo responso: *scimus charitatē esse ieiunio præstantiorem: charitatis enim opus lege diuina præcipitur: ieiunium autem est potestatis nostræ & arbitrij: oportet autem existimare diuinas leges esse nostris longè præstantiores.* Ita ieiunij rationem manifestè distinguit à lege diuina, & illam nostri arbitrij & potestatis esse designat. Quibus omnibus consentanea sunt quę commemorat Tertullianus contra Montani hæresin obiecta, quæ antiquioris Ecclesiæ doctrinam de ieiunio plurimùm dilucidant. [a] *Indifferentèr ieiunandum aiunt ex arbitrio, non ex imperio* nouæ disciplinæ, *pro temporibus & causis vniuscuiusq;: sic & Apostolos obseruasse, nullum aliud imponentes iugum certorum & in commune omnibus obeundorum ieiuniorum: Zerophagijs* (quibus obseruatum est à Montanistis vt nonnisi aridorum esculenta perciperent) *Ethnicam inesse superstitionem, quales castimoniæ Apim, Isidem, & magnam matrem certorum edulıorum exceptione purificant, cum fides libera in Christo ne Iudaicæ quidem legi abstinentiam quorundam ciborum debeat, semel in totum macellum ab Apostolo admissa, detestatore eorum qui sicut nubere prohibeant, ita iubeant cibis abstinere à Deo conditis, & ideo nos esse iam tunc prænotatos in nouissimis temporibus abscedentes à fide, intendentes spiritibus mundi seductoribus, doctrinis mendaciloquorum, inustam habentes conscientiam. Sic & cum Galatis nos quoque percuti aiunt obseruatores dierum & mensium & annorum. Iaculantur interea & Esaiam pronunciasse, Non tale ieiunium Dominus elegit, id est, non abstinentiam cibi sed opera iustitiæ quæ subtexit, & ipsum Dominum in Euangelio ad omnem circa victum scrupulositatem compendio respondisse, non his coinquinari hominem quæ in os inferantur, sed quæ ex ore proferantur, cùm & ipse manducaret & biberet vsque in notationem:*

x August. cont. faust. Manich. lib. 30. cap. 5.
y Idem epist. 86.
z Theodor. hist. sanct. patrum cap. 3.
a Tertul. de ieiunio.

tionem: sic & Apostolum docere, quòd esca nos Deo non commendet, neque abundantes si edamus, neque deficientes si non edamus: opus esse de totis precordijs credam, & diligam Deum & proximum tanquam me: in his enim duobus præceptis totam legem pendere & Prophetas, non in pulmonum & intestinorum meorum inanitate. Hæc ab Ecclesia disputata sunt contra Montanum & Montani discipulum Tertullianum, quæ non sine singuli Dei beneficio pro testimonio veritatis ab hoste veritatis expressa, & inter tantas circa ieiunia superstitiones, quæ mox ingenia maxima fascinarunt, conseruata sunt.

10 Ex quibus intelligi potest, si ad viuum resecentur, quàm manifesto mendacio Bellarminus affirmet [b] non leges ieiuniorum, non delectum ciborum, non opinionem meriti & satisfactionis ab Ecclesia in Montano esse damnata, sed tantummodò quòd Ecclesiam ad suas quasdam leges obligare voluerit. Nam eò omnia directè proferuntur & pertinent, vt leges ieiuniorum, delectum ciborum, opinionem meriti & satisfactionis à lege diuina & recta fide dissentanea esse confirment. Ille verò circulator egregius videns sibi Montani labem elui non posse, quiddam astutè confingit quo dispungit hæresin illius, nihilq; ab illo factum prætendit, quod non probaret Ecclesia, sed tantummodò improbatum quòd alios ieiuniorum dies, & eos longiori ac duriori abstinentia celebraret: qui tamen videt oppositiones illas Ecclesiæ quas commemorat Tertullianus, ad istas quas confingit præsumptiones accommodari non posse. Quæ verò ab Ecclesia contra Montani hæresin denunciata sunt, ea Tertullianus iam Ecclesia profugus acriter impugnat, neque vllum non mouet lapidem, quo hæresin manifestam & ab Ecclesia damnatam specie saltem probabilitatis honestet. Omnia verò cum Papismo consentiunt, neque quisquam vnquam Pontificiam causam de ieiunijs disertiùs egit aut fortiùs. Iesuitam aliquem putaueris contra Caluinum & Ecclesias nostras superciliosè, non sine grauissima calumnia, disputantem. Quid non simile? Ieiunatur apud Pontificios imperio, & perpetuò currente lege, quemadmodum apud Montanum. Cibis immunditia non attribuitur apud Pontificios: [c] *nec apud Paracletum*, qui docet *non ex institutione, sed ex deuotione, non ex fastidio, sed ex officio abstinere.* [d] *Nullos cibos Ecclesia Romana prohibet, sed aliquorum esum ad tempus tantùm suspendit:* & Montanus *retardatum, dilatum, remoratum,*

b De bonis oper. in part. lib. 2. cap. 9.

c Vide Tertull. de ieiunio.

d Coster. Enchir. cap. 16.

 tum,

tum, tantummodo cibum prædicar: *abstinemus*, inquit, *ab eis quæ non reijcimus sed differimus.* Ecclesia Romana propter [e] cultum Deo præstandum ieiunia & ciborum delectum præscribit: tantundem Montanus: *Deo currunt*, inquit, *ieiunia nostra: Dei nostri officia indicit Paracletus, nec alij offerenda quam Deo nostro.* Pontificij ieiunia valere aiunt [f] ad placandū Deum, & satisfaciendum pro peccatis: ad impetrandum auxilium, & cœleste præmium promerendum: & Montano *multum valet apud Deum inanitas ventris; ratio est promerendi Deum & expiandi delictum: Deo satisfacit; iratum homini reconciliat; salutē redaccendit sicut extinxerat sagina: Deum præstat homini contubernalem.* Ita vtrinque iustissimè consentiunt, & apertum est ieiunia Papistarum certis formata regulis temporum & ciborum, nonnisi de Montani fæce prodijsse, & iam olim ab Ecclesia Cath. reprehensa & damnata esse.

e Bellar. de bon. oper. in part. lib. 2, cap 8.

f Ibid. cap. 11.

11 Quanquam deteriores sunt hac in causa Papistæ Montanistis, & quantumlibet Manichæorum hæresin alioqui detestentur, ad illam tamen hac in parte quamproximè accedunt. Montanus enim etsi leges de ieiunijs publicauit, violatores tamen legum illarum, & carnibus aut interdictis cibis ieiuniorum diebus vescentes, tantummodò minùs sanctos putauit; psychicos & animales dixit, apostatas a fide aut hæreticos non dixit: apud Pontificios immundus & hæreticus, & Iudæo quouis deterior habetur, qui carnes in prosabbato aut quadragesima tetigerit, & illi haud minorem quàm olim Manichæi conscientiæ labem ascribunt. Et Montanus quidem ieiuniorum rationem omnem ad castigationem corporis referebat, quò veterū quoq; ieiunia spectabant, nonnisi [g] *edomandi corporis causa* suscepta. *Propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandā.* Quare non à carnibus solùm, sed & à vinis, & fructibus, & piscibus multis, adeóq; à delicijs omnibus abstinuerunt, neque quicquam gustarunt quod corpori placidum & suaue videri posset: Papistarum verò ieiunia permittunt alioqui delicias omnes terra marique conquisitas, solas carnes, tanquam cœlo tactas aut immundo spiritu plenas, execrantur & abhorrent. At inquit Bellarminus, *Ecclesiæ doctrina non immunditiam ciborum, sed immunditiam concupiscentiæ respicit.* Atqui Bellarmine, concupiscentiæ immunditia qui tandem maior est ex carnibus, quàm ex aliarum epularum delicijs infinitis? An vino vllum est libidinis & luxuriæ fortius flabellum? An ignoras ex radicibus & fructibus quæ ... corpo...

g August. contr. faust. Manic. lib. 30, cap. 5.

corporum titillationes nascantur, quanta lubricitas efficiatur? Porrò piscium haud minores, immò maiores delicias esse quàm carnium ita notum est, vt [h] *heluones & obsoniuoros* antiquitùs dictos testetur Plutarch. *non qui bubulis carnibus aut ficubus delectarentur, sed qui subindè in foro piscario versarentur & tintinnabulum celeritèr exaudirent.* Quid tandem est cur illis edendis concupiscentia nihil peccet; de carnibus inusta animæ macula exosum Deo & Ecclesiæ reddat; nisi carnes vtcunque per se mundas, edentibus tamen immundas esse fatearis? Quanta verò hic peruersitas? quàm manifesta superstitionis amentia? Ecce vbi ieiunant sancti isti patres vina meracissima & exquisitissima: en delicatissima peregrinarum frugum condimenta: en carycas & piper & nuces: en similas & placentulas & pistacia & pastinacia: en molestias decoctionum & confectionum: en sorbitiunculas delicatas; en omnes piscium raritates & difficultates: & vno verbo citra carnes vniuersam gulæ occasionem & illecebram, vt haud immeritò quidam lepidè dixerit, malle se ieiunijs illorum quàm aliorum instructissimis conuiuijs interesse: & tamen sanctè ieiunium seruari putatur: nihil hic nisi Catholicum, nihil à reprehensione non alienissimum. Quod siquis ruri reuersus ab opere fessus & famelicus, duratum fumo lardum & siccatas carnes commederit, haud ampliùs sumens quàm fami comprimendæ & valetudini corporis tuendæ sufficiat; hæreticum inclamant, apagete hæreticum; & infernis ignibus deuouendum. Neque tamen scandalum hic aut contemptum Ecclesiæ suæ tantummodo incusant, sed ipsum Dei cultum violatum, & pietatem nefariè læsam vociferantur. Atqui num Deo curæ est quid in intestino coquatur? An pisculento colitur conuiuio, carnibus moderatè cum gratiarum actione perceptis blasphematur? An vos illa *Bellarmine* non feriunt; [i] *Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto:* [k] *Esca* (positiuè an priuatiuè nihil interest) *non commendat nos Deo.* [l] *Corporalis exercitatio modicum prodest, pietas autem ad omnia vtilis est.* [m] *Non quod intrat in os coinquinat hominem, &c.* Annon in illam reprehensionem incurritis qua olim Manichæos Augustinus perstrinxit: [n] *Quid est ista prauitate peruersius? Quid magis delirum? Quid insanius dici aut cogitari potest hominem boletos, orizam, tubera, placentas, carænum, piper, laser distento ventre cum gratulatione ructantem, & quotidiè talia requirentem non inueniri à regula*

h Plut. Sympos. lib. 4. quæst. 4.

i Rom. 14. 17.

k 1. Cor. 8. 8.

l 1. Tim. 4. 8.

m Mat. 15. 11.

n August. de mor. Manich. lib. 2. cap. 13.

sanctitatis excidisse; alium verò fruges vilissimas fumoso lardi obsonio condientem, tantumque hinc assumentem quantum refectioni corporis sufficit, certo supplicio præparari? Verùm inquis, Manichæi non sumus, quia cibos natura immundos non asserimus. At inquam proximi estis Manichæis, qui cibos quos natura mundos agnoscitis, edentibus tamen immundos esse iubetis: saltem iji estis quos Apostolus præmonuit *per hypocrisin*, hoc est, cum prætextu sanctitatis & diuini cultus ciborum esum interdicturos.

12 Quod à Chemnicio animaduersum, mirum est quo acumine Bellarminus à se depellat. °*Callidè*, inquit, *Chemnicius confundit hypocrisin & pretextum sanctitatis, & cultus cum ipsa vera sanctitate & cultu. Fatemur enim damnari ab Apostolo omnes hypocritas qui prætextu sanctitatis & cultus à cibis abstinendum esse docent, cum ipsi reuera neque sanctitatem neque cultum Dei propositum habeant: at Ecclesia Catholica non ex hypocrisi, neque pretextu sanctitatem, sed propter veram sanctitatem & cultum Deo præstandum, ieiunia & ciborum delectum aliquando præscribit.* Quod perinde est acsi adulter pro se dicat damnari ab Apostolo adulterium vbi quis prætextu amoris, non vbi vero amore vxoris alienæ pudicitiam expugnat. Adulterium toto genere peccatum est, nec excusat adulterum illicitus amor, sed vrget in pœnam. Pari ratione Apostolo simpliciter doctrina dæmoniorum est, vbi de fide agitur prohibitio ciborum. Eam verò alij tradunt per contumeliam numinis & manifestam blasphemiam: quales Marcion & Manichæus, qui manifesto conuicio creatorem infamant, & creaturam immundam, cibos ipsos per se immundos esse denunciant. Quare illi non in abstinendo sanctioris alicuius propositi rationem constituunt, sed planè immundos se futuros ni abstineant. Illorum hæresis absurditate sua seipsam explosit, nec vnquam ita latè propagata est, vt illa putemus apostasiam quæ Ecclesiam & orbem peruadere debuit fuisse consummatam. Alij per hypocrisin, vt habet Apostolus, cibos prohibent, quia cum prætextu & opinione sanctitatis, non quòd in illo ciborum discrimine vera sit aliqua & probata sanctitas quam quidem per hypocrisin ementiantur, sed quòd mera hypocrisis sit, & nonnisi mentita sanctitas illa omnis quæ in ciborum delectu collocatur. Nam si prohibitio ciborum sit veræ sanctitatis institutio, doctrina dæmoniorum ab Apostolo propter quorundam

° Bellarm. vt supra, cap. 8.

dam

dam hypocrisin dici non debet. Neque enim quia quidam per hypocrisin orant aut eleemosynam faciunt, ideò doctrina dæmoniorum est quæ orare præcipit & eleemosynam impertiri, quia boni naturam & conditionem non amittit quod bonum est, vtcunque boni speciem interdum per fraudum assumunt mali. Est autum doctrina dæmoniorum ipsa per se prohibitio ciborum. Itaque vera sanctitas ciborum prohibitione non continetur, etsi qui apostasiam à fide promouebunt, eam per hypocrisin propagabunt, titulo videlicet sanctitatis & speciosa perfectioris vitæ commendatione, siue vt habet Origenes * *acrioris obseruantiæ ostentatione* palliatam. Hanc hypocrisin primus omnium Montanus meditatus est, qui grande meritum & culmen ipsum sanctitatis esse putauit, austera vitæ ratione rebus alioqui iudicio suo mundis & licitis, præscripta lege ac disciplina temperare. Montano successit Eustathius, qui [p] *prætextu exercitationis, propter exercitationem secundum Deum* cibis qnibusdam docuit abstinendum. Qui quanta specie sanctitatis hæresin suam occultarit ex eo colligi potest, quòd ex antiquis nonnulli constantèr affirmarint illius fuisse [q] *Ascetica* illa quæ Basilij nomine in hunc vsque d em circumferuntur, in quibus parum esse videtur quod in reprehensionem cadere possit. Vtrisque Papistæ succedunt, & eodem hæreseos luto sordidantur. Eustathianis Carthusiani præ cęteris respondent, qui se voto solenni maioris meriti causa ad perpetuam carnium abstinentiam obstringunt. Reliqui verò, partim dum interdicto esu carniũ cætero deliciarum apparatu ventrem infarciunt, Manichæorum *Electos* quamproximè referunt; partim cum Montano conspirant, & victu arido & aspero conciliari deum, & viam sibi ad coelum præparandam arbitrantur.

* Origen. de princip. lib. 2. cap. 7.

p Concil. Gangren can. 18. & 21 sozomen. hist. lib 3. cap. 13.

q Sozomen. ibid.

13 Porrò in nuptiarum quoque prohibitione cum Montani, seu potiùs Eustathij, perfidia communicant. Neque enim contenti cum Montano secundas nuptias damnare, à primis nuptijs coacto perpetui coelibatus voto sanctulos suos excludunt. Qua in re impudentiùs agunt, & apostasiæ perfidiam apertiùs produnt. Sanctissimam esse matrimonij coniunctionem, neque quicquam habere quod pietatem offendat, Scripturæ omnes & sanctissimorum patriarcharum & prophetarum exempla testantur. Abraham [r] amicus Dei, in quo tanquam [s] *patre fidelium* rectæ pietatis & fidei norma prælucet, matrimonio

r Esa. 41. 8.

s Rom. 4. 11.

coniunctus

coniunctus liberis inuenitur operam dedisse, nec minus propterea sanctus est habitus. Mosen, *quo nemo* [t] *fidelior in domo Dei*, nuptiæ non impedierunt quominus familiari cum Deo colloquio frueretur: non [u] Esaiam miraculum prophetarum, quominus Dominum exercituum videret, & cœlesti lumine collustratus in totum Euangelij mysterium, & opiparas gratiæ Christi delicias intueretur: non [x] Ezechielem, quominus cœlestes quadrigas & admirabiles arcanæ prouidentiæ per omnia meatus & speciosissimam Ecclesiæ structuram peruideret: non Pontificem Iudæorum, quo nihil orbis terrarum sanctius aut sacratius habere debuit, quominus Christi typo [y] quotidiè ad tempora vsque Solomonis Deo se sisteret, & [z] *Vrim ac Thummim* in pectore gestaret, & in fronte scriptum perferret, [a] *Sanctum Domino*: non Nazareos siue natos siue votarios, quominus [b] exquisitissimam sanctimoniæ disciplinam exercerent: non Zachariam & Elizabet quominus [c] *ambo iusti essent coram Domino incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela*. Porrò matrimonium in nouo Testamento [d] *in quibusuis honorabile* nuncupatur, *& thorus immaculatus*. Quare vetus Ecclesia, suggerente Paphnutio, consensit [e] *castitatem esse sacerdotis cum propria vxore concubitum*, & anathemate percussit eum [f] *qui discerneret presbyterũ coniugatum tanquã occasione nuptiarum quòd offerre non debeat*: quippe matrimonium tam honorabile siue pretiosum esse, [g] *vt cum eo possit quispiam ad sanctũ Episcopatus solium subuehi*: ita vt coniugatos haberet Ecclesia multos [h] *& clericos & monachos*; & [i] *non pauci dum episcopatum gererent liberos de vxoribus legitimis procrearent*. Iam ergò an apostatæ non sunt qui presbyterorum coniugia [k] *canonibus Apostolicis & sacrorum virorum constitutionibus* comprobata interdicunt & damnant tanquam hæretica? qui *thoro immaculato* maculam imputare non dubitant, & castum cum propria vxore commercium [l] *immunditiam* & [m] *sacrilegium* & [n] *infandum concubitum* esse denunciant? Eò illa torquent, *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*: & *Mundi estote qui portatis vasa Domini*, quasi in carne fuerint & immundè vixerint, nec Deo placuerint patriarchæ, prophetæ, sacerdotes, Episcopi, fideles omnes ab orbe condito quotquot se in vincula nuptiarum induerunt. Atque hoc Bellarminus confirmat, [o] *in munere suo sacrificandi summam quandam puritatem & sanctitatem requirendam* asserens, atque eo prætextu sacerdotum coniugium explodens,

t Num. 12.7.
u Esa. 8. 3.
x Ezech. 24. 16, 18.
y Exod. 29. 38. & 30. 7. 8.
z Cap. 28. v. 30.
a Vers. 36.
b Num. 6. 2, 3. &c.
c Luc. 1. 6.
d Heb. 13. 4.
e Socrat. hist. lib. 1. cap. 8. Dist. 31. Nicena synodus.
f Concil. Gangren. can. 4.
g Chrysost. in epist. ad Tit. hom. 2.
h August. de hæres. ad Quoduultd. hæres. 40. Apostolic.
i Socrat. hist. lib. 5. cap. 21.
k Sext. Synod. in Trullo. can. 13.
l Decretal. Greg. de Clericis coniug. cap. Quod à te.
m Bellarmin. de memb. Eccles. lib. 1. qui est de Cleric. cap. 19.
n Campian. Rat. 4.
o Bellarm. de memb. Eccle. vt supra.

explodens, *quia in actu coniugij admixta est impuritas quædam & pollutio*, & *Sanctorum quoque matrimonium non sine pollutione & turpitudine exercetur*. Ita sceleratus fraterculus quem spiritus sanctus *thorum*, vt diximus, *immaculatum* appellat, canino latratu impurum & pollutum esse reclamat, & sibi competere ostendit quod Ignatius olim dixit: [p] *siquis vnum Deum dicit & confitetur Iesum Christum, corruptionē autem & coinquinationem vocat legitimam commixtionem & filiorum procreationem, aut aliquam escam execrabilem putat, huiusmodi habet cohabitatorem draconem apostatam*. Attende verò Bellarmine in hac causa quàm improbè agatis. Tridentinum concilium de sacrificio Missæ verba faciens, [q] *mundam oblationem esse* dicit, *quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest*. Quare receptum est apud vos sceleratissimos sacerdotum mores non impedire quominus sacrificandi munus exequantur. Sint adulteri, scortatores, incesti, sacrilegi, periuri, sint omni flagitiorum turpitudine infames, nihil obstat quin officio suo liberè fungantur; sacrificium ab illis inquinamentum non capit: nec vnquam è Romana tripode vox audita est quæ Missis eorum interesse prohiberet. Quid? & solum matrimonium à Deo institutum sanctitatem illam euertit, qua sacerdotes muneri suo obeundo idonei habeantur? [r] *Duri ceruice & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis*. Quanta quæso hîc erroris insania? Dæmonum opera sacerdotalem puritatem non inficiunt; ordinatio diuina commaculat. Ob fornicationem communiter dicunt quòd clericus deponi non debet, [s] *quia pauci sine illo vitio inueniuntur*: ob coniugium piè & sanctè contractū ignibus adiudicatur. [t] *Quid agis stulta persuasio? quia peccata interdixit Deus, non matrimonia*, ait Saluianus. Vos autem ij estis quos Apostolus prænotauit apostatas futuros, specie sanctitatis per hypocrisin nubere prohibentes, & coacto cœlibatu insanas libidinum furias, & Sodomiticarum turpitudinum abhominationes in Ecclesiam inferentes.

p Ignat. epist. ad Philadelph.

q Concil. Trident. sess. 6. ca. 1.

r Act. 7. 51.

s Dist. 81. cap. Maximianus in glossa

t Saluian. de prouident. Dei. lib. 5.

14 Quod futurum prospiciens Satanas spiritus immundus, eò instantiùs egit vt per vim & nefas iugum impuri cœlibatus obtruderet, & ab Ecclesiæ ministerio arceret tanquam extra sanctitatis aream collocatos, quoscunque coniugij vincula ligatos tenerent. Eò impulerat olim Siricium Romanum Episcopum [u] *qui primus sacerdotibus & diaconis coniugio interdixit*, & in

u Polydor. Virgil. de inuent. rerum. lib. 5. ca. 4.

 [x] Hispanos

x Siric. epist. 1. cap. 7.

y Polyd. Virgil. vt supra.

z Ibid.

a Paraleipom. Abb. Vrsperg. in epist. Hulderic. ad Nichol Pontif.

b Ibid.

[x] Hispanos Episcopos coniugatos & coniugia sua de veteris sacerdotij exemplo defendentes insulsus nugator stulta loquacitate declamitat & scripturas ad patrocinium tyrannidis suę pessimè detorquet. Postea Pelagius secundus insuper addidit, vt [y] *subdiaconi vxores suas exemplo post homines natos importunissimo ablegarent.* Secutus illum Gregorius aliquantò mitiùs egit, & nihil in illos decernens qui coniugati priùs fuerant, sanxit nequis deinceps Subdiaconus fieret [z] *nisi qui continentèr se victurum promitteret*, à gradu minori exorsus, vt à cæteris matrimonij potestatem omninò præcluderet. Qui tamen postea intelligens quos fructus extortus ille cœlibatus proferret, monstratis è piscina infantilium capitum senis millibus quæ ex clancularijs recens de stupro natorum cædibus eò coniecta fuissent, [a] *intima mox pœnitentia ingemuit, & factum à se continentiæ decretum tantæ cædis causam confessus, condigno illud pœnitentiæ fructu purgauit, suoq; decreto damnato Apostolicum illud laudauit consilium, Melius est nubere quàm vri, addens ex sua parte, Melius est nubere quàm mortis occasionem præbere.* Qua de re grauissimè [b] Nicholaum primum in ijsdem vestigijs incedentem admonuit Huldericus Episcopus Augustanus, & violentiam illam coacti cœlibatus & continentiæ, contrariam Scripturis sacris, & cum summo animarum periculo coniunctam esse docuit, vt illum si posset ab incæpto tam inhumano, tam impio reuocaret. Ea res vltrò citroque iactata magnas Ecclesiæ turbas dedit, & per hominum superstitionem coniugatis subinde deterior euasit. Quanquam enim sanatum esset vulnus quod Marcion & Manichæus Ecclesiæ inflixerant; mansit tamen cicatrix & malignus dæmon, etsi non est ausus nuptias ex professo damnare, tamen in illa communi vita vilius quiddā & abiectius in cœlibatu aliquid secundùm Deum excelsius esse persuasit. Quæ opinio postquam inualuisset, & matrimonij status iam despectior & Ecclesiæ sanctitati parùm conueniens haberi cæpisset, exturbati sunt ex ædibus religiosis clerici coniugati, & pro illis Monachi substituti, voto omnes, reipsa paucissimi continentes. Hoc apud nos ab Edgaro rege factum testantur historiæ, & ex archiuis Ecclesiæ *Wigorniensis* constare adhuc memini narrasse mihi quondam Edouardum Archpolum, virum egregiæ probitatis & fidei, in illius Ecclesiæ causis plurimùm occupatum. Tandem Hildebrandus ex abysso inferni egressus, pestis Ecclesiæ, incendium

reip.

reip. Christianæ, odium Dei & hominum, sibi Concilij Gangrensis anathema accersens, [c] *vxoratos sacerdotes à diuino remouit officio, & laicis missas eorum audire interdixit, nouo exemplo, & (vt multis visum est) inconsiderato iudicio.* [d] *Grauissima tum seditio,* ait Auentinus, *gregem Christi perculit, nec vnquam talis lues populum Christi afflixit. Mystæ aduersus Pontifices, populus aduersus sacerdotes, prophani aduersus initiatos sæuire, omnia diuina humana permiscere cæperunt. Viri, mulierculæ, vt quisque maximè auarus, ambitiosus aut inuidus erat, bella, lites, & odia amabat, leui admodum suspiciuncula excitatus, sacerdoti suo resistendi, bona templi diripiendi ansam præripiebat; populares sacerdotulos qui vxores habebant flocci faciebant, religionem polluebant, sacra temerabant, lustrica aqua passim expiabant, decimas igne concremabant, sacrosanctam hostiam (horresco referens) à mystis, qui coniuges habebant, consecratam in lutum abijciebant, pedibusq́; conculcabant: tales enim non esse sacerdotes, neque sacrificare Hildebrandus docebat.* Successores eius, vt omnes de eodem genere catulos intelligas, ijsdem vestigijs institerunt, & ob tyrannidem hanc ad illa vsque secula inauditam rhythmis notati sunt de more temporum illorum, quemadmodum de Calixto legimus:

[c] Matth. Paris. in Williel. conq.

[d] Auentin annal. lib. 5.

[e] *O bone Calixte, totus mundus perodit te:*
Quandam presbyteri poterant vxoribus vti;
Hoc destruxisti tu postquam Papa fuisti.

[e] Catal. test. verit pag. 243.

Et de Innocentio:

Prisciani regula penitus cassatur:
Sacerdos per hic & hæc *olim declinatur:*
Sed per hic *solummodo nunc articulatur,*
Cùm per nostrum præsulem hæc *amoueatur.*
Ita quidam presbyter cæpit allegare,
Peccat criminaliter qui vult separare
Quod Deus coniunxerat; fæminam amare:
Tales dignum duximus fures appellare, &c.
Non est Innocentius, immò nocens verè,
Qui quod facto docuit, verbo vult delere,
Et quod olim iuuenis voluit habere,
Modò vetus Pontifex studet prohibere. &c.

15. Ex quo tempore dictu horrendum est, quanta stuprorum licentia, quæ confusio libidinum, quæ venerum monstra Ecclesiam fœdarint, & illam odiosissimo fœtore complerint.

 [f] *Illud*

f Polyd. Virg. de inuent. rerum, lib. 5. cap. 4.

[f] *Illud dixerim*, inquit Polydorus Virgilius, *tantùm abfuisse vt ista coacta castitas illam coniugalem vicerit, vt etiam nullius delicti crimen maius ordini dedecus, plus mali religioni, plus doloris omnibus bonis impresserit, inusserit, attulerit, quàm sacerdotum libidinis labes.* Quod qui perpenderit, facilè opinor assentietur legem cælibatus doctrinam esse dæmoniorum, & cauteriatas conscientias habuisse, qui tanto malorum experimento permoueri non poterant ad coniugij libertatem, ex instituto diuino & pristino Ecclesiæ more, permittendam. Sed in illis compleri oportuit quod apud Ioannem habetur: [g] *Qui nocet, noceat adhuc, & qui sordidus est, sordescat adhuc.* Qui verò hic non videt quo Romanam Ecclesiam ex Apostoli testimonio apostatam agnoscat, cur illam tanquam matrem abhominationum istarum & fornicationum non detestetur & abhorreat; planè ille cæcus est & insensatus, & ab omni conscientia pietatis & fidei longissimè remotus.

g Apoc. 22. 11.

16 Hic verò præterire non debeo, Epiphanium aduersus Collyridianos hæreticos ex illo Apostoli loco disputantem, quiddam amplius interponere, quàm nunc in nostris codicibus vsitatum est. Ita namq; legit: [h] *Deficient quidam à sana doctrina attendentes fabulis & doctrinis dæmoniorum: erunt enim mortuis cultum diuinum præstantes, quemadmodum etiam in Israel coluerunt.* Quod quam fidem habere mereatur, iudicium penes lectorem esto: illud certum est si non ex Apostoli contextu, saltem ex iudicio antiquitatis de mortuorum cultu alteram apostasiæ notam sumi posse, quæ non mediocre momentum afferat ad demonstrationem regni Antichristi. Enimuerò ad apostaticum illum mortuorum cultum, Mariæ virginis adorationem annumerat, quam [i] *nefarium & blasphemum negotium, diabolicum opus & spiritus immundi doctrinam* appellat; in qua compleri ait quod tanquam ex Apostolo sumptum posuimus, & porrò grauissimis argumentis ostendit illam Scripturis aduersam esse, & cum sacrosancto Dei cultu conuenire non posse. [k] *Reuera sanctum erat Mariæ corpus, non tamen Deus. Reuera virgo erat ipsa virgo & honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum qui ex ipsa carne genitus est, de cælis verò ex finibus paternis accessit. Et propterea Euangelium munit nos, dicens quòd ipse Dominus dixerit: Quid mihi & tibi curæ est, mulier? nondum venit hora mea. Quò non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam virginem, mulierem eam appellauit, velut prophetans quæ futura essent in terra sectarum*

h Epiphan. hær. 78. Antidicomar.

i Ibid.

k Hæres. 79. Collyridian.

ac hæreseôn gratia, vt ne aliqui nimiùm admirati sanctam, in hanc hæresin eiusq́ deliramenta dilabantur. Est enim ludibrium tota res, & anicularum fabula, vt ita dicam, tota hæresis tractatio. Quæ verò Scriptura de hoc narrauit? Quis prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Non dominabitur nobis antiquus error vt relinquamus viuentem & adoremus quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adorarunt creaturam præter creatorem, & stulti facti sunt. Si enim Angelos adorari non vult, quantò magis eam quæ genita est ab Anna? & iterum: *Carnem induit Deus ex sancta virgine, non tamen vt adoretur virgo, neque vt Deum hanc efficeret, neque vt in nomen eius offeramus.* Et postea: *Sit in honore Maria: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus adoretur. Mariam nemo adoret; non dico mulierem, immò neque virum. Deo debetur hoc mysterium. Neque Angeli capiunt talem glorificationem. Deleantur quæ malè scripta sunt in corde deceptorum. Ne comedat quis de errore qui est propter sanctam Mariam. Nam etsi pulchrum est lignum, sed tamen non ad cibum. Etsi pulcherrima est Maria & sancta & honorata, at non ad adorationem. Compescantur à Ieremia tales mulieres* (Mariam adorantes) *& ne turbent orbem terrarum ne dicant, honoramus reginam cæli.* Quæ ab Epiphanio sanissimè & sanctissimè disputata Romanam Ecclesiam grauissimè perstringunt, & illam perfidiæ cauterio & stigmate inurunt, quippe quæ Mariam virginem non collyride tantùm offerenda, quod Epiphanius tam vehementèr insectatur, sed omni cultu religionis & pietatis officio supra omnes Angelos sublimem attollunt, & planè deificatam tanquam *cæli reginam* in eodem cum Christo throno maiestatis & gloriæ constituunt. Nec tamen ibi sistunt, sed in reliquorum quoque sanctorum cultu mortuis diuinos honores impertiuntur, & in eandem apostasiæ reprehensionem incurrunt.

17 Quam tamen amouere se putant friuola distinctione religiosi cultus in *latriam, douliam, & hyperdouliam,* quarum prima Deo sit propria, postrema virgini Mariæ, media communis omnibus diuis. Ita religiones suas partiuntur in scholis, apud quos promiscuè omnia fiunt in templis & Deo ac diuis, vt antè dictum est, idem omninò cultus & ceremonia dedicatur. Neque verò alitèr agunt quàm apud Ethnicos olim Philosophi & Sacerdotes idololatræ, qui de theorijs suis crassissimas vulgi superstitiones & idololatrias ab ipsis informatas occultare & excusare studuerunt. Quanquam si distinctionem illam ad malleum &

incudē afferamus, planè vitreā inueniemus, & in colorē tantummodò excogitatam, quia in δουλείᾳ & ὑπερδουλείᾳ sanctis attribuunt eandem ipsam religionis obseruantiam, quam certum est *latriæ* vocabulo contineri. Certè *latria* est Augustino [i] *cultus religionis, & creaturæ*, inquit, *cultum religionis exhiberi vetat Apostolus*, neque verò [k] *potest creaturæ vlli sine diuinitatis iniuria concedi. Latria est qua* [l] *sacra facimus & sacrificamus, vel aliqua nostra seu nosipsos religionis ritibus, consecramus.* Quæ verò sacra Pontificij diuis suis non factitant? quem illis *cultum religionis* non impendunt? quos ritus omittunt quibus Ethnici diuinitatem idolis suis asserere solebant? Supplicant illis & sacrificant, & statuas erigunt, quas in illorum gratiam adorent; votis & peregrinationibus, & diebus festis honorant; [m] *propter eorum venerationem, & reuerentiam, & deuotionem, ieiunia indicunt:* accendunt illis lumina; pretiosa vestimenta circundant, simulachra cum pompa circumgestant, neque vlla omninò solennitate non concelebrant. *Ad latriam,* si Augustino credimus, pertinent [n] *templa, altaria, sacerdotes, sacra, sacrificia, ceremoniæ, dies festi, quæ omnia nonnisi vni magno debentur Deo.* Quare idem alibi Augustinus; [o] *Nos*, inquit, *martyribus templa & sacrificia & altaria non constituimus.* Nam cui [p] *templum ædificamus*, inquit, *quis dubitat ei nos latria seruire?* & pro numine aliquem *haberi* [q] *ara testatur.* Atqui sanctis ista se concedere testantur ipsi, vbi ita precantur [r] *sancti Dei in quorum honore & commemoratione hæc sancta dedicata est Ecclesia & hæc altaria consecrata, &c.* Latriæ cultus est inuocatio, & Deo soli debetur. Inde iterum Augustinus: [s] *Ad sacrificium Eucharistiæ martyres suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote qui sacrificat inuocantur.* Immò longè abfuisse vt martyres inuocarentur & pro illis potiùs orari solitum testatur Epiphanius: [t] *pro iustis & Patribus, & Patriarchis, & Prophetis, Apostolis, Euangelistis, Martyribus, ac Confessoribus, Episcopisq; & Anachoretis & vniuerso ordine, vt dominum Iesum Christum*, inquit, *ab hominum ordine separemus per honorem quem ipsi exhibemus, & vt adorationem ipsi præstemus:* nempe illum vnum adorandum & inuocandum esse significans, reliquos homines honoris huius participes esse non posse. At in Ecclesia Romana martyres & diui omnes certatim inuocantur, & assiduo mugitu & strepitu sine fine pulsantur, vt nihil mirum sit fatigatos tandem obsurduisse, & seminùs nunc quàm olim faciles & benignos cultoribus suis exhibere. Latriæ cultus est quo in

i Aug. con. Faust. Man. li. 15. ca. 11.

k Origen. cont. Celsum. lib. 1.

l August. de ciuit. dei. lib. 10 cap. 1.

m Decretal. Gre. de obseruat. ieiu. cap. 1. & de purificat. in glossa.

n August. de ciui. dei. lib. 7. cap. 32. & in psal. 94.

o August. de ciu. dei. lib. 8. cap. 27. & lib. 22. cap. 10.

p Idem. cont. ser. Arian. cap 29.

q Idem de verb. dom. sec Math. ser. 6.

r Horæ virg. Mariæ secund. vsum. Sarum.

s August. de ciu. dei li. 22. cap. 10.

t Epiphan. hær. 75. Aerij.

in Deum credimus, & proprius quoque diuinitati. Quare *de Apostolis dicere possumus*, ait Augustinus, [u] *credimus Paulo, sed non credimus in Paulum: credimus Petro, sed non credimus in Petrum.* [x] *Nos enim qui sumus, vocamurq́; Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus.* [y] *Vbi namq́; non de diuinitate*, ait Ruffinus, *sed de creaturis ac mysterijs sermo est, In præpositio non additur. Hac enim præpositionis syllaba creator à creaturis secernitur, & diuina separantur ab humanis.* Atqui Romanenses se profitentur in sanctos credere, & in illis spem suam & fiduciam habere repositam. Recognoscant illa sua de Psalterio Mariæ: [z] *Domina in te speraui, de inimicis meis libera animam meam.* [a] *Confitebor tibi Domina in toto corde meo, & narrabo populis laudem & gloriam tuam.* [b] *In Domina confido propter dulcedinem misericordiæ nominis sui.* [c] *Cœli enarrant gloriam tuam virgo Maria.* [d] *Domina mea clamaui ad te per diem & noctem, & fecisti cum seruo tuo misericordiam tuam.* Quia *ego speraui in gratia tua, sempiternum à me opprobrium abstulisti.* [e] *Domina refugium nostrum tu es in omni necessitate nostra.* [f] *Domina in nomine tuo saluum me fac.* [g] *Benedic anima mea matri Iesu Christi, & omnia præcordia mea glorificate nomen eius.* [h] *Beati omnes qui timent te Domina nostra, & beati omnes qui sciunt facere beneplacitum tuum.* Sed quorsum ex aceruo manipulum? liber ipse consulatur, qui totus de blasphemia conflatus ad Virginem accommodat quæ Dauid nonnisi per latriam de Deo ipso meditatus est, Similia vbique apud illos habentur: [i] *Ad te hodie, ô vnica spes miserorum, confugio, & & plena fiducia tibi meipsum in omnibus necessitatibus deuotè commendo. Te hodie & semper in matrem & patronam præ cunctis eligo & præopto.* [k] *O regina mundi, scala cœli, thronus Dei, ianua paradisi, audi preces pauperum: dele peccata: relaxa facinora: erige lapsos, solue compeditos: per te succidantur vepres & germina vitiorum: præbeantur flores & ornamenta virtutum.* [l] *Hæc est fenestra cœli, aurora solis æterni, vera arca propitiatorij, Domina regum, lux seculorum, consolatio miserorum, refugium peccatorum, omnium reparatio credentium. Quicquid boni habet mundus ab illa habet, ex qua salutis nostræ initium manat.* [m] *O beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum & laudum præconia impendere quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito. Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quæ tuo solo commercio recuperandi vitam aditum inuenit? Accipe itaque quascunq́;, exiles, & meritis tuis impares gra-*

tiarum

u Aug. in Ioan. tract. 29.
x Idem de ciuit. Dei. lib. 18. ca 54.
y Ruffin. in exp. Symb apud Cyprian.
z Psalter. Mariæ Psal 7.
a Psal. 9.
b Psal. 10.
c Psal. 18.
d Psal. 21.
e Psal. 45.
f Psal. 53.
g Psal. 102.
h Psal. 127.
i Ex compassionibus Mariæ.
k Seruit beatæ Mar. legend. 2.
l Leg. 4.
m Leg. 3.

tiarum actiones, &c. Eodem modo Etheldredam & quamcunque virginem non martyrem compellant: [n] *Ad tui portum præsidij confugimus, virgo pijssima, vt tuæ circa nos pietatis sentiamus viscera. Respice pia mater & Domina pio intuitu ad exiguum, sed deuotum nostri famulatus obsequium, & quos premit humanæ fragilitatis immensitas, tuæ virginitatis releuet veneranda sublimitas. Tibi famulantes tales effice, vt tuæ integritati purè valeant deseruire. Gregi tuo tuæ solicitudinis atque protectionis semper adsit custodia. Protege mater filios, Domina seruos, vt qui se tuæ memoriæ ac venerationi profitentur obnoxios, tuæ largitatis ac pietatis beneficia se gratulentur adeptos.* Ita quoque Nicholaum suum alloquuntur: [o] *Credo pie sancte Nicolae tuis me precibus esse saluandum; ideo ad te clamo, &c. salua me supplicem famulum tuum, amice Dei Nicolae, de præsentibus angustijs, & tribulationibus meis, quia in te confidet anima mea, vt per te me saluet qui te sibi elegit.* Omitto reliqua, quia infinita sunt: lectorem potius remittendum existimans ad lectiones & sequentia, & hymnos, & antiphona, quæ Portiforijs eorum & Missalibus sparsim occurrunt. Iam verò postquam sanctos hac ratione comprecantur & salutant; postquam illis fidem, & spem, & timorem, & famulatum, & gratitudinem, & reliqua omnia quæ hactenus diximus religionis officia profitentur & deferunt; quid tandem est quod latriæ nomine Deo & Iesu Christo relictum intelligunt? Nos pro ea qua sumus exigua iudicandi facultate, latria quid sibi velit omninò non assequimur, siquidem ista quæ diximus latriæ rationem non cadant: nisi forte respondeant se ista quidem sanctis præstare, sed non latriæ nomine, quia non tanquam dijs, quomodo Ethnici quidem dæmones coluerunt, non quòd Deos sed quòd apud Deum internuncios putarunt, [p] *hinc petita qui allegent, inde concessa qui apportent.* Quo perinde agunt acsi adultera pro se respondeat, subijcere ipsam se quidem alij viro, sed tamen non peccare, quòd non tanquam marito se subijciat. Vnum est tantùm quod excipiunt se in Missæ sacrificio non dicere, [q] *Offero tibi sacrificiũ Petre vel Paule.* Sed quorsum exceptio quæ gentibus patrocinetur, vt Ioui ritum aliquem sacrum conseruent, de cætero dæmones & idola sua diuinis honoribus promiscuè colant? Et tamen *votiuas* quas appellant Missas super altaria sanctorum [r] *in nomine &* [s] *pro festiuitate sanctorum,* [t] *in honorem & memoriam illorum, & pro intercessione illorum, apud Deum obtinenda* sacrificant. Atque ita quem sibi

n In commemorat. S. Etheldredæ.

o Chemnic. in exam. concil. Triden. in exemp. inuocat. sanct.

p August. de. ciuit. dei. li. 8, ca. 18.

q Concil. Trident. sess. 6. ca. 3.

r Missa. pro febri.

s Missa. de quocunque confessore.

t Concil. Trident. sess. 6 cap. 3. ibid, can 5.

sibi Christus honorem præstari voluit, [u] *hoc*, inquit, *facite in mei commemorationem*, cum illi sanctorum memorijs sacrum fecerunt, & proindè hic quoque de latria sanctis exhibenda excusari non possunt. Quarè cùm mortuos colat Ecclesia Romana, & diuinis honoribus afficiat, magnæ illius Apostasiæ ream esse sequitur, cuius consummationem futuram prædixit Apostolus sub regno Antichristi. [u] Luc.22.19.

18 Alter locus Antichristi Apostasiam elucidans apud Ioannem habetur: [x] *Omnis Spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est; & hic est Spiritus Antichristi, de quo audistis quòd venturus esset, & qui iam nunc in mundo est.* Hîc verò Ecclesia Romana rem sibi integram esse præsumit, quia confiteri se ait & credere Iesum Christum in carne venisse. Et pariter Augustinus de omnibus hæreticis: [y] *Quære ab Arianis: confitentur Iesum Christum in carne venisse. Quære ab Eunomianis, à Macedonianis, interroga Cataphrygas, interroga Nouatianos, confitentur omnes Iesum Christum in carne venisse.* Quid ergò? vbi tandem reperiemus qui non confiteantur Iesum Christum in carne venisse? *Quæramus*, inquit, *quare venerit in carne Christus, & inuenimus qui eum negant in carne venisse. Nam si linguas attendas, multas hæreses auditurus es confitentes Christum in carne venisse: sed conuincit illos veritas quare venit Christus in carne.* Atque ad hanc explorandorum Spirituum regulam pertinent illa quæ apud Augustinum alibi sparsim habentur. [z] *Si diligentèr quæ ad Christum pertinent cogitentur, nominetenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsa non est apud eos.* Et de Donatistis, [a] *Quid prosunt syllabæ nominis Christi & sacramenta Christi, vbi resistitur fidei Christi?* Et de Pelagianis: [b] *sub nomine Christi à gratia Christi penitùs alienant.* Et de Ario: [c] *Prædicat Christum qualē sibi fingit, non qualem veritas dicit. Nomē habes, rem non habes: alicuius rei nomen est Christus: tene rem si vis prodesse tibi nomen.* Et illud quoq; Ambrosij: [d] *Etiam hæretici habere sibi Christū videntur: nemo enim Christi nomen negat sed Christum negat qui non omnia quæ Christi sunt confitetur.* Quæ omnia ostendunt in syllabis nos acquiescere tutò non posse, sed sensa spectare debere, quia sunt qui verba sonant rebus inania, & Christi nomine abutuntur, vt mendacijs suis fidem addant contra Christi veritatem. Et eò nos sacra Scriptura tanquam manu ducit, vbi de quibusdam ait: [e] *Profitentur se nosse Deum, factis*

[x] 1.Ioan.4.3.
[y] August. in epist. Ioan. trac. 6.
[z] August. Enchirid. cap. 5.
[a] In Ioan. tr. 53.
[b] Epist. 92.
[c] In Ioan. trac. 45.
[d] Ambros. in Luc lib. 6, cap. 9.
[e] Tit. 1.16.

f 2. Tim. 3. 5.
g Epist. Iud. vers. 4.
h Thom. Aquin. in epist. Iudæ.
i Gal. 2. 21.
k 1. Cor. 15. 16.
l Tertul. de resurrect. carnis.

factis autem negant: & alibi: [f] *Speciam pietatis habentes, virtutem eius abnegantes.* Quales illi quoque fuerunt quos Iudas in Epistola commemorat *conuertentes gratiam Dei in lasciuiam*, [g] *abnegantes*, inquit, *solum verum Deum & Dominum nostrum Iesum Christum.* Vbi rectè Thomas Aquinas obseruat negari Christũ non ab illis tantummodo qui illum nuntiant non venisse, sed ab illis quoque [h] *qui errores interserunt, Christum non qualem veritas ostendit, sed qualem ipsi sibi fingunt prædicantes.* Denique constat formam & essentiam cuiusque rei cum fine esse coniunctam, quia res quæque quicquid est, propter finẽ est; quo sublato, res ipsa, quia frustra esset, omninò non est, quia frustra esse non potest. Qui ergò submouerit à Christo id propter quod Iesus & Christus est, reipsa negat Iesum Christũ. Qui alibi constituerit quod Christus vt procuraret & perficeret, carnem nostram suscepit, reipsa non confitetur Iesum Christum in carne venisse. Et istas quidem illationes Apostolus exemplis illustrat: [i] *si iustitia ex lege, Christus frustra mortuus est*, siue non est omnino mortuus quia frustrà mori non posset. Et alibi, [k] *si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Quia enim Christus eò mortuus est & resurrexit, vt per mortem eius remissio peccatorum & iustitia nobis constaret apud Deum, & per resurrectionem eius reditus nobis esset à morte ad vitam; certè qui iustitiam aliunde quàm à Christo petendam docet, Christi mortem subuertit: qui resurrectionem negat corporum nostrorum, etsi verbis profiteatur, reipsa negat Christum à mortuis resurrexisse. Eodem modo Tertullianus: [l] *Securæ estote caro & sanguis: vsurpastis & cœlum & Dei regnum in Christo; aut si negent vos in Christo, negent & in cœlo Christum qui vobis cœlum negauerunt.* Quare cùm abundè constet confessionem Christi non sono verborum & specie, sed rebus ipsis & virtute constare, & nomen Christi nonnisi fraudi esse vbi vis & ratio nominis abrogatur; certè Romanam Ecclesiam verborum vmbra non iuuat quominus Iesu Christi aduentum in carne explodere dicatur, nisi confessionis huius vim & & sententiam integram seruet. At illam nemo vnquam hæreticus immanius afflixit: nemo vnquam sub Christi nomine virtutem nominis & vniuersam Christi gratiam cassauit magis, & tanquam incisa vena fidei Christianę simul cum sanguine vim illius omnem & vitam exhausit. Scripturas sacras adeamus, & perquiramus ibi quid Iesu Christi nomine contineatur, quorsum

ſum in carne venerit & planè videbimus nonniſi ſyllabicam & verbalem Chriſti confeſſionem in Eccleſia Romana reperiri, & de religione Pontificia rectè dici poſſe quod olim Hilarius de Conſtantio dixit, * *Chriſtum confitetur vt neget: tecta Eccleſiæ ſtruit vt fidem deſtruat.*

* Hilar.cont. Conſtantium.

19 Id erit manifeſtum, ſi, prout officij nomen eſt *Ieſus Chriſtus*, non naturæ, in omnes huius numeris & officij partes intueamur. Ac *Ieſum* illum dictum Angelus interpretatur [m] *quòd ſeruaturus eſſet populum ſuum à peccatis ipſorum:* & ita quidem hunc illi honorem competere docemur *vt* [n] *non ſit in alio ſalus, nec aliud nomen datum ſit ſub cælo in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Cæterùm quod nomine Ieſu indefinitè ſignificatur, illum eſſe ſeruatorem, Chriſti nomen diſtinctiùs elucidat, & ſimul docet qua ratione ſuos ille ad ſalutem perducat. [o] *Chriſtus* enim *ab vnctione dictus, vel Pontificale vel Regium nomen eſt.* Addamus quoque *Propheticum*, nequid deſit quod huic cauſæ lucem præbeat. Nam & Prophetis vnctionem attribui, cùm ex Pſalmo colligimus, [p] *Nolite tangere vnctos meos, & Prophetas meos ne afficitote malo*, tum in [q] Elizei exemplo, quem Elias Prophetam ſuo loco futurum inunxit, manifeſtum eſt. Chriſtus ergò noſter vnctione ſpirituali Pontifex, Propheta, Rex Eccleſiæ conſtitutus eſt. Pontificatus opus propitiatio peccatorum eſt. Ea ſacrificio conſtat ad promerendum Deum & prece ad obtinendum. Sacrificio corporis ſui vnico ſemel oblato, minimè vnquam aut vllo modo repetendo, Chriſtus æternam redemptionem acquiſiuit. Aliud ſacrificium eſſe nullum poteſt; idem ſæpiùs offerri non eſt opus, quia [r] *vna oblatione conſummauit in perpetuum ſanctificatos*, & [ſ] *vbi remiſſio peccatorum eſt*, (eſt autem in cruce Chriſti) *non eſt amplius oblatio pro peccato.* Ex quo verò redemptor noſter eſt Chriſtus, ex eo quoque mediator eſt interceſſionis, & [t] *apparet vultui Dei pro nobis.* Nam iſta neceſſariò coniuncta ſunt, nec diuelli vllo modo poſſunt, quia niſi ſacrificij merito & virtute ſubnixus, poteſtatem exorandi Deum habere non poſſet. Quare ex eo quòd vnus ille dedit *ſemetipſum pretium redemptionis pro omnibus*, deducit Apoſtolus definitionem illam & axioma fidei Chriſtianæ, [u] *Vnus eſt Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus.* Prophetico munere Chriſtus paternæ voluntatis pleniſſimus interpres prophetiam omnem abſoluit, & viam nobis vniuerſam exponit pietatis & fidei, qua ad vitam æternam perueniendum eſt. Et

m Mat.1.21.
n Act.4.12.
o Ruffin.in expoſ. Symb.
p Pſal.105.15.
q 1.Reg.19.16.
r Heb.10.14.
ſ Verſ.18.
t Heb.9.24.
u 1.Tim.2.6.

Messiam quidem talem expectatum à Samaritide admonemur, *qui* [x] *cum veniret, omnia doceret*. Quod ipse quoque confirmat, vbi se [y] *vnum doctorem* nominat, præter cuius vocem haud altera in Ecclesia audienda sit, denuntiante patre cœlesti oraculo, [z] *Hic est filius meus dilectus in quo acquiesco: ipsum audite*. Neque enim vnus ille doctor audiendus esset, si præter illius doctrinam quicquam ab alio quoquam doctore discendum superesset. Atqui vt illi [a] *patrem omnia demonstrasse* non dubitamus, ita illum intelligimus [b] *verba quæcunque tradidit ei pater tradidisse suis*, quibus Ecclesiam reliquit, suggerente Spiritu Sancto quæ edocti fuerant, deducendam in omnem veritatem. Quare Tertulliani regula tenenda est: [c] *Nobis non est opus curiositate post Christum, nec inquisitione post Euangelium. Cum hoc credimus, nihil desideramus vltra credere: hoc enim prius credimus, non esse quod vltra credere debemus*. Et illa Cypriani: [d] *Si solus Christus audiendus est, non est attendendũ quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit. Non enim hominum consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem*. Porrò de regis officio pertinent ad Christum iubendi potestas & cura prouidendi. Vtrinq; vnus ille [e] *caput* est *ecclesiæ ex quo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum & constructũ augescit augmento Dei*. De potestate regia vim legis habet vniuersa Christi doctrina, cui non parêre peccatum sit; cui addere, superbum: cui demere, sacrilegium. Quare vt *vnum doctorem*, ita [f] *vnum* quoque *legislatorem* Scriptura commemorat, qui solus interiorem hominem sibi vendicet, solus in conscientia dominetur. Exteriorem hominem leges hominum ligant, & Deo placet obsequium: de rebus ipsis quæ sub lege cadunt conscientia non laborat: posse & non posse tantundem est. Hic vnius Christi honor est proprius in interiori foro sedere; conscientiæ leges sancire; fidei & iustitiæ secundum Deum opera dictare. Prouidentia Christi communicatione bonorum & malorum auersione definitur. Ille corpori suo suppeditat quæcunque vsui sint ad salutem; non ad Ecclesiæ tantummodò externum opus præstandum, sed multò magis ad animam interius excolendam; quam dotatam meritis suis, & [g] vellere ac [h] pallio iustitiæ suæ pulcherrimè vestitam sibi sponsam facit, & in domum patris filiam iam adoptatam introducit. Interim huius Ecclesiæ causa sic omnia moderatur & regit, vt nihil noceat, nihil interitum afferat; nihil ipse amittat; nihil

x Ioan. 4. 25.
y Mat. 23. 8.
z Mat. 17. 5.
a Ioan. 5. 20.
b Ioan. 17. 8.
c Tertull. de præscript. adu. hæret.
d Cyprian. lib. 2. epist. 3.
e Col. 2. 19.
f Iac. 4. 12.
g Ambros. de Abrah. lib. 2. c. 8.
h Bernard. in Cant. ser. 61.

nihil nos à dilectione Dei separet, quin potiùs [i] omnia cooperentur in bonum ijs qui diligunt Deum. Quare in eo acquiescimus quòd [k] *siue viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur; & siue viuimus, siue morimur, Domini sumus: scientes quòd Christus in hoc mortuus est & resurrexit & reuixit, vt viuentibus & mortuis dominetur.* i Rom.8.28. k Rom.14.8.

20 Habemus iam quid triplici officio Christi contineatur, quod vt impleret, in carne illum venire oportuit, & eo venisse fide Christiana profitemur. Hoc verò vbi aliò transcribimus, & alibi requirimus quod per illius aduentum impleri debuisse docemur; frustramur aduentum eius in carne, & proinde illum haud seriò confitemur. Id fecisse Romanam Ecclesiam quis non videt? Vbi namque illum de nomine *seruatorem* esse docemur præter quem non sit alius, num huic seruatori honorem quem debent illibatum conseruant, qui præter hunc tot habent nomina, tot adminicula promerendi salutem? Quinimò repetant ad nauseam vsque sanctissimum nomen; dicant se de nomine Iesu Iesuitas; festum nominis Iesu deuotissimè concelebrent; reuoluant Psalterium Iesu, & stultè sibi placeant ethnico battalogismo quòd in eo nomen Iesu ad [l] quadringentas vsque & quinquaginta vices iteretur; nonnisi ludos faciunt de nomine Iesu, nonnisi proditores in illum sunt, Iuda ipso ferè deteriores, qui gloriam salutis nostræ nulli alteri nomini communicandam ab illo eripiunt, & sibijpsis & sanctis, & stultissimis deuotionum suarum figmentis impertiuntur. Id in singulis officij Christi partibus planè videbimus. Nam quod ab vno Christi Pontificatu & sacerdotio expectare iubemur, pro eo illi alterũ sacerdotium & altare diuisum à cruce Christi commenti sunt, quo se fingunt Christum quotidiè hic & illic & vbique in sacrificium offerre ad propitiationem viuis & mortuis impetrandam. Ibi pro Christo vnico sacerdote nebulonem quemq; de triuio sacerdotem substituunt, quasi misellus quisq; furcifer satis dignus sit qui coram Deo compareat ad propitiationem & gratiam pro se & alijs obtinendam. Pro sanctissimo Christi corpore frustulum offerunt, quod tamen curauit Satanas vt corpus Christi stultè crederetur, vt hoc pacto idololatriam inueheret, & pro Christo ipso placentulam colendam & diuinis honoribus afficiendã exhiberet. Nec eo contenti, sanctos & Martyres [m] secundariós redemptores esse defendunt, & illorum passionibus [n] supereffluentibus, vt loquuntur,

l Psal.Iesu. Ang. in Præfat.

m Anglorhem. annot. in Col. 2.24.

n Bellar. de Indulgent. li.1. c.2.

loquuntur, satisfactiones nostras & peccatorum expiationes contineri. Quinetiam vnumquemque sibi sacerdotem faciunt, qui quibusdã pænitentiæ confictis operibus [o] veram satisfactionem Deo pro se litet, & propitium sibi futurum promereatur. Etiam [p] benedictio prælati, & aqua benedicta, & tunsio pectoris, & Agnus Dei peccatorum vincula resoluunt, & quid non, cui libet illis expiandi virtutem accommodare? Atque vt redemptores, ita intercessores illis & aduocati sunt quotquot Pontifici tanquam Deo Pythio visum est in albo sanctorum inscribere, & cœlestes diuos indigetare. Et quasi Christus non sufficiat, immò quasi nihil pro nobis perfecisse videatur, illorum auxilijs parari sibi misericordiam & gratiam precantur, & vitam ipsam æternam concedi. [q] *Precibus & meritis beatæ Mariæ semper Virginis & omnium sanctorum perducat nos Dominus ad regnum cœlorum.* [r] *Per intercessionem & merita Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum, miserere nostri. Per merita & intercessionem sanctorum Martyrum: per virtutes & merita sanctorum Patrum & Confessorum, miserere nostri, &c.* Deinde propheticam Christi dignitatem imminuunt, & illam religioni constituendæ imparem faciunt, nisi assumentis illorum & additamentis compleatur. Deus bone, quot illi dogmatum nouitates, quas deuotionum præsumptiones excogitarunt de quibus Christi prophetia nihil habet, quibus, vt antè vidimus, in prisca Ecclesiæ fide nihil simile reperitur? Nam cùm tota fidei ratio sacris Scripturis plenissimè comprehensa sit, neque quicquam amplius opus sit quo [s] *perfectus fiat homo Dei & ad omne opus bonum instructissimus*; Ecclesia Romana molestè ferens scripturarum cancellis & finibus includi, potestatem sibi fecit addendi, detrahendi, permutandi, & denique omnia ad libidinem suam interpretandi, vt quicquid quouismodo ad Christi probrum & iniuriam defendat, nihil tamen se scripturis aduersum agere respondeat, dum penes ipsam esse vult scripturas expositionum suarum violentijs & inquinamentis ita tractare, vt nihil contra placita ipsius, vtcunq; impia, affirmare videantur. Itaque de religione monstrum fecerunt, & fides illorum si ad diuinæ traditionis caput & originem comparetur, tota est altera, nec limpide decurrit & impermixta, sed lutulenta & turbida, & stercorum atque cadauerum iniectis sordibus infecta & inquinata; partim ex Iudæorum antiquatis ritibus, partim ex superstitionibus Ethnicorum, partim ex Hæreticorum

o Ibid. lib. 2. c. 7.

p Sext. procem. in glossa.

q Breuiar. Rom. in paruo offic. beat. Mariæ.

r Aurea Litania. Angl.

s 2. Tim. 3. 17.

corum damnatis erroribus, partim ex Pontificum & Monachorum insomnijs, scholasticarum distinctionum filamentis & fibulis consarcinata. Postremò regias quoque Christi partes inuadunt; quippe qui Romanum Pontificem caput Ecclesiæ Christi loco supposuerūt, nouo stylo & apud antiquos Patres nunquam audito. Quo nomine illum in omnem Christi prærogatiuam induerunt, & præter ipsam internam Ecclesiæ vegetationem, vim omnem capitis in illo cônclusam, & officio Christum ipsum esse mentiuntur. Quare etiam *sponsum Ecclesiæ*, qui solius Christi honor esse debuit, dementissimâ insania dicere ausi sunt, monstrum facientes illam, quia bicipitem, & adulteram, quia bigamam. Dum verò hoc prętextu infinitam ei atq; incircumscriptam potestatem attribuunt, faciunt eum in conscientia Christi loco sedere, vt leges pro suo arbitrio superbè iubeat, quibus haud minùs Ecclesia teneatur quàm Euangelicis præceptis, nec minùs ignis æterni periculo Decretales eius contemnens subiaceat, quàm si ipsissimam Christi vocem aspernetur. Quin vbi Christi leges infringit & abrogat, & *non obstante* Euangelica institutione quicquam decernit; haud alitèr quàm Christi authoritate facere omnia putandus est, nec in hoc minùs illi parendum quàm ipsi Christo; quippe cùm errare non possit, nec sanctissimus pater esse desinat, vtcunque Pilatos omnes, & Iudas, & Iulianos, perfidia & iniquitate superare videatur. Interim ille blanditijs istis parasitorum & assentatorum inductus tyrannum agit in Ecclesia, & legibus assiduè condendis illegitimis, absurdis, impijs, miserabiles animorum carnificinas parat, & laqueis suffocandas conscientias innectit, & in æternam perditionem præcipites mittit. Porrò ne nihil sponsæ suæ Rex munificus conferre videatur, nescio quas opes & vniones excacauit quibus illā locupletet & ornatam efficiat; monachismos, indulgentias, Iubilæos, reliquias, Christos pictos & fictos, dispensationes & gratias, festiuitates, Chrismata, & alia huiusmodi quæ religiosè suscepta & vsurpata remissionem peccatorum & iustitiæ munera continere credenda sunt. Immo Monachos tam opulentos facit meritorum thesauris, & sapientibus illis virginibus tantò instructiores, vt oleum non sibi tantum habeant, sed & alijs pretio diuendant, eosq; faciant [t] *Participes missarum, orationum, ieiuniorum, vigiliarum, prædicationum, abstinentiarum, indulgentiarum, laborum & bonorum operum suorum*, qui Carmelitarum hîc in Anglia

t Ex vet. exemp. indulg. Carmelit.

Anglia stylus indulgentiarum fuisse reperitur. Quomodo Cistercienses quoq; Abbates apud Mathæum Parisiensem leguntur regi Francorum, Papam contra imperatorem adiuturo [u] *speciale suorum bonorum operum participium concessisse*. Atque hîc iterum sanctos cum Christo coniungunt, & sibi peculiares & [x] *tutelares diuos ascribunt quibus se causasq; suas & itinera commendent*, à quibus dependeant, à quibus expectent bona, & per quos à malis immunes fiant. Quare Sanctum [y] Erasmum ita precantur: *Tibi commendo omne consilium meum, & omnes actus meos, & omnia quæ mihi subiecta sunt, in tuam sanctam fidem, vt eruas me ab omnibus aduersitatibus, & ab omnibus inimicis meis corporalibus & spiritualibus propter repromissum tibi à Deo specialitèr concessum.* Sancto Bernardo dicunt: [z] *O alme pater Bernarde, qui es spes & solatium omnium ad te clamantium, corde toto tuæ sanctæ protectioni me commendo, propter excellentiam meritorum tuorum, vt ab omnibus quæ contraria sunt animæ meæ tueri me digneris.* Quinetiam quod irrisit olim Augustinus in Ethnicis, deos illorum [a] *partitis inter se operibus distributos, tanquam minutularios vectigalium conductores, vel tanquam opifices in vico argentario vbi vnum vasculum vt perfectum exeat per multos artifices transit*; hoc illi commiserunt in sanctis suis, quorum singulorum ferè singulas præfecturas excogitarunt, & distinxerunt illis certa munera, vt sciat quisque quibus in causis cui Sancto supplicare debeat. Nam vt Ethnici Iunonem Lucinam puerperijs, Martem rebus bellicis, Neptunum maritimis, Æsculapium medicis, Mineruam ingenuis artibus, Cererem frugibus, & cuique ferè rei ac genti suum numen assignarunt, ita Papistæ, nequid illis superstitione cedere viderentur, sanctis gentes, & morbos, & artes, & pecudes, & omnia distribuerunt. [b] Germanis Martinum, Anglis Georgium, Romanis Petrum & Paulum, Hispanis Iacobum præfecerunt. A nautis inuocantur Nicholaus & Christophorus; à studiosis Gregorius & Catharina: Lucas à pictoribus: à medicis Cosmas & Damianus; à fabris Eulogius: à sutoribus Crispinus: à Sartoribus Gutmannus: à figulis Goarus: à venatoribus Eustachius: à meretricibus Afra & Magdalena. Ad auertendam grandinem & tempestates à segetibus, Ioannem & Paulum implorant: contra incendia ignis Agatham & Floreanum: pro vitibus Vrbanum: pro anseribus Gallum: pro ouibus Wendelinum: pro equis Eulogium: pro bobus

u Math. Paris. in Hen 3.

x Camp. epist. ad Gener. societ. Iesu.

y Chemnic. in exam. concil. Trid. in exemplis inuocat. sanct.

z Ibid.

a Aug. de ciuit. Dei. lib. 7. cap. 4.

b Vide Chemnic. in exam. concil. Trident. de inuocat. sanct.

bobus Pelagium: pro porcis Antonium: contra pestem Sebastianum & Rochum: contra febrem Petronellam & Sigismundum: contra dentium dolores Apolloniam,&c. Cuius superstitionis insania à [c] Stationarijs quæstoribus aucta est, qui rura & oppidula peragrantes sui quisque diui virtutem & sanctimoniam prædicarunt, & simplicibus persuaserunt se illos inscribere sub huius aut illius sancti númen & tutelam, promittentes hoc aut illo morbo vacaturos, si eis annuum censum dependere vellent. Itaque eò tandem ventum est, vt vix morbus nunc aliquis supersit, cui illi peculiarem sanctum non proposuerint. Authoritatem addidit publica Ecclesiæ liturgia, qua ita precantur:

c Centum grauam. German. art. 7.

[d] *O quàm magnificum est nomen tuum, beate Roche, qui tuis intercessionibus multitudinem languentium nosti sanare, & nomen tuum gloriosum commemorantibus omnibus te propitium exhibere! veni & salua nos à morbo Epidimiæ, & aëris temperiem nobis concede.* [e] *Offerimus tibi Domine munera sancta in nomine electi tui Sigismundi Regis & martyris tui, vt à præsenti ægroto febrium ardores repelli iubeas, &c.* Atque vt gentilium [f] *Iterducas & Domiducas*; *Abeonas & Adeonas* æmulentur, pro Iunone *Iterduca* tres Reges quos vocant Colonienses supposuerunt: [g] *Concede propitius, vt per horum trium Magorum pias intercessiones & merita nobis tribuas, vt itinere quo ituri sumus celeritate, lætitia, gratia & pace, negotioq́ benè peracto, teipso sole vero, ad loca destinata cum omni prosperitate ad ipsorum cœlestiumq́ ciuium consortia redire valeamus*: & pro Ioue Hospitali Gerthrudem sufficiunt: [h] *Deus qui beatam Gerthrudem speciali hospitalitatis gratia sublimasti, tribue quæsumus, vt eius precibus & meritis tam præsens quàm futurum hospitium nostræ infirmitati congruum, & tuæ maiestati acceptum inuenire possimus.* Ita selectos habent diuos, & suas cuique partes assignant, ne confusio discordiam pariat, aut illorum quenquam otiosum & inutilem esse patiantur. Neque hîc tamen quiescunt, sed quod est adhuc indignius, imaginibus quoque sanctorum procumbunt, & lapides ac ligna cõprecantur, & sculptili dicunt, Tu adiutor meus es; in te confido, libera quæso animam meam. Etiam reliquias eorum osculantur & colunt, votisq; ac donarijs honorant, & longissimis itineribus, insanissimo errore, quia Christum sibi præsentem non sentiunt, mortuorum crania & cineres inuisunt, & ab istis sanitatem & salutem sibi conferri precantur. Atque hîc quanat impostura vt faciant homines in mendacio confidere?

d Breuiar. secun. vsum Sarum in Missa de S. Recho.

e Ibid. Missa pro febribus.

f August. de ciuit. Dei, li 7. c. 3.

g Chemnic. in exam. concil. Trident. in exemplis inuocat. sanct.

h Ibid.

Nam craticulas ostentant, & carbones, & indusia, & asinorum vngulas, & calceos, & præsepia, & succinctoria, & nescio quæ miseræ plebeculæ ludibria, de quibus nihil antiquitas vnquam audiuit, & illi tamen sanctorum exuuias esse mentiuntur, & illas infando scelere populum venerari compellunt, & ex illis malorum & morborum leuamen promittunt. Quin & salem, & panem, & aquam exorcizant, [i] *vt sint in salutem credentium, & fiant illis sanitas animæ & corporis, & contra omnes morbos & vniuersas inimicorum insidias tutamen*; vt nihil illis metuendum esse videatur quibus tot vndique præsidia salutis conquisita sunt.

i Breuiar. in exorcis. aquæ, panis, salis.

21 Ita Christum ex omni parte confodiunt, & crucem eius euacuant, & aduentum in carne abrogant, & perinde omnia in sanctis & ceremonijs suis constituunt, acsi nihil Christus præ genere humano & Ecclesia sua præstitisset. Interim tamen vt olim [k] Israelitæ sacrum Iehouæ nomen idolis suis apponentes, & illis hoc prætextu sacra facientes, crassissimo errore, nihil se in religionem peccasse statuerunt: ita Pontificij dum animarum subinde falsa remedia de cerebro suo infinita fornicandi libidine confingunt, & quicquid prophanus quisque rabula delirat ad remissionem peccatorum salutare esse mentiuntur; factam Christo iniuriam, & blasphemiam omnem qua illum impiè proscindunt, probè transactam putant, quòd per Christum hæc omnia valere, & ab illo virtutem nescio quo influxu haurire prætendunt. Quasi verò quidlibet illis in religionem importare liceat hoc prætextu, quòd per Christum vim habeat ad salutem. Quin ergò asciscant ritus & superstitiones Turcarum & Paganorum, & reuocent explosas Iudæorum ceremonias, & eadem ratione defendant nihil se iniuriæ in Christum designare, quòd hęc nonnisi ab illo vim omnem mutuari decernant. Neque enim quicquam est siue tam impium & sacrilegum, siue tam ineptum & ridiculum, quod non Christi nomine peræquè fulciant & defendant, atque ineptias suas & sacrilegia, quibus virtutem redemptionis de Christi potestate nefariè communicant. Et illi certè nihil habent quod dicant, nisi de [l] Christo illa vim & efficaciam habere, & Christi nobis redemptionem & virtutem applicare. Atqui quid ita tandem nihil Apostoli de applicationibus istis præceperunt? cur illas vetus Ecclesia nesciuit, quæ tamen Christum appl cari sib debuisse non nesciuit? Sacrificium volunt, quo Christi sacrificium applicetur; & infinitas redemptiones excogi-

k Iudic. 17. 3. 1. Reg. 12. 28.

l Bellar. de Indulgent. li. 2. c. 4. & 7. & passim.

excogitant pro vna illa Christi redemptione applicanda. Quin ergo alterum quoque Christum requirant, qui huic Christo nostro applicando deseruiat; & illi denuò moriendum affirment, vt secunda mors priorem in effectum perducat. Atqui verò si medicina sit in eo quod applicat, quorsum medicina quę applicatur? si vera sit de sanctis nobisq; ipsis satisfactio & expiatio peccatorum, Christi satisfactio quid facit? quorsum opus est? Applicatur, inquis, altera per alteram. At altera quorsum applicatur, si Deo de altera satisfiat? Nempe mortua est Christi vis, & ad operandum inefficax, nisi applicatorijs istis malorum dæmonum adiumentis excitetur. Cùm verò fide Christum nostrum fieri ad iustitiam Scripturæ omnes abundè testentur, & [m] *ei testimonium perhibeant omnes Prophetæ, quòd per nomen eius quicunque in eum credunt habituri sint remissionem peccatorum*; cur in fide non acquiescunt quam à Deo docentur? cur Apostolo non assentiuntur; [n] *Credenti in eum qui iustificat impium fidem eius imputari ad iustitiam*; & [o] *iustificari nos gratis ex fide per redemptionem quæ est in Christo Iesu; quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius?* Quid ita multis crucibus opus est, cùm ab eodem Apostolo audiamus, [p] *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi?* & qui illum legunt expostulantem apud Corinthios, [q] *Num Paulus crucifixus est pro vobis*, quid crucifixos pro nobis narrant Petros & Paulos, & redemptores infinitos? Cur illorum pietati non satisfacit illud Apostoli Ioannis; [r] *siquis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris?* Quorsum enim reliqua, si sit *ipse propitiatio pro peccatis nostris?* Sed nimirum ex Antichristi spiritu se esse confirmant, per quem agit impostor Satanas vt homines auersis à Christo ipso oculis falso Christi nomine seducti in Scyllas & Syrtes incurrant, & animas suas ad scopulos & saxa collidãt, & dum se Christũ sectari putant, Christum pellant, & æternum sibi iudicium imprudenter accersant.

m Act. 10. 43.
n Rom. 4. 5.
o Cap. 3. ver. 24.
p Gal. 6. 14.
q 1. Cor. 1. 13.
r 1. Ioan. 2. 2.

22 Hactenus Antichristi Apostasiam exposuimus, & Ecclesiam Romanam eiusdem Apostasiæ ream egimus. Bellarminus verò quò labem hanc ab Ecclesia sua depellat, noua quædam de Antichristi doctrina confingit, quam existimari vult cum aperta & expressa nominis Christi negatione, & vniuersa religionis abdicatione fore coniunctam. [s] *Primùm negabit*, inquit, *Iesum esse Christum, & proinde oppugnabit omnia saluatoris*

s Cap. 14. de Antichristi.

 nostri

nostri instituta, vt Baptismum, Confirmationem, &c. & docebit nondum cessasse circumcisionem, sabbathum & alias veteris legis ceremonias. Id verò qui constat? *Quia,* inquit, *Antichristus natione & religione Iudæus erit, & à Iudæis pro Messia recipietur: ideò non prædicabit nostrum Christum, &c.* At fallit opus tuum, Bellarmine, debile fundamentum: nam quòd Antichristus Iudæus futurus sit, falsum esse suprà docuimus; neque certè probabilitatem habet vllam. At *probatur,* inquis, *secundò ex illo. 1. Ioan. 2. Quis est mendax nisi qui negat quòd Iesus est Christus? & hic est Antichristus.* Immo verò nos hoc argumento Pontificem Romanum Antichristum esse contendimus, qui Christi nomen agnoscit, vim omninò sustulit, & proinde Iesum esse Christũ verbo concedit, reipsa negat. Tu verò Antichristum ais palam & ex professo Christum negaturum. Quo vederis tacitè fateri Pontificem tuum ex consequenti Christum negare; tantummodo non esse Antichristum, quia palam & ex professo non negat. Sed falsum est quod ais, Antichristum palam & ex professo Christum negaturum; quia illum se ac suos Ecclesiæ nomine ostentaturum Augustinus, vt suprà vidimus, de veterum quorundam sententia confirmat. Neque enim Christum palam negabit, qui sibi ac suis Ecclesiæ Christi titulum arripiet. Quin potiùs vt olim apud Augustinum *aduersarius* ille *legis & prophetarum, ad Antichristum* vt ille ait, *pertinens,* ita quoque ipsemet Antichristus; [t] *sed nomine Christi, hoc est, Christianum se videri volens, superextollitur contra Christum.* Porrò Ioannes in Apocalypsi narrat illum [u] *habiturum cornua agni.* Agnus verò Christus est. Proinde Christi virtute se armatum iactitabit. Et [x] *cornua* ista *duo esse testamenta Scripturarum diuinarum* ex Primasio & Lyrano antè ostendimus: quod & confirmat Origenes, qui [y] *locum sanctum in quo stabit abhominatio desolationis,* hoc est, Antichristus, *Scripturas omnes* interpretatur *tam veteris quàm noui testamenti,* quibus abutetur nequissimus impostor, vt mendaciorum suorum verba propugnet. Qui verò duo testamenta profitetur, certè Christum ex professo negare non potest. Atque illud quoque addendum est, quod glossa communis obseruat, simulaturos Antichristi asseclas [z] *habere se miracula quæ Christus habuit & suis dedit.* Ex quo manifestum est Christi nomen in miraculis suis & mendacibus prodigijs adhibituros.

t August. cont. ad ver. leg. & proph. li. 2. ca. 12.
u Apoc. 13. 11.
x Primas. & Lyra. in Apoc. 13.
y Orig. in Math. tract. 29.
z Glossa ordin. in Apoc. 13.

23 At, inquis, *hæretici omnes dicuntur Antichristi, qui aliquo*

modo

modo negant Iesum esse Christum: ergò ipse verus Antichristus simplicitèr & omnibus modis negabit Iesum esse Christum. Ita tu fateris ab hæreticis negari Iesum esse Christum, qui tamen illud simplicitèr & expresse non negant. Ex quo confirmas sententiam nostram, Romanum Pontificem Antichristum esse posse, qui Iesum ex consequenti negat esse Christum, etsi verborum specie confiteatur Christum. Veruntamen quia reliqui Antichristi modo aliquo negant Iesum esse Christum, idcircò magnum illum Antichristum simplicitèr & modis omnibus negaturum contendis. Atqui argumentum tuum non valet. Manifestè namque Ioannes ostendit eundem esse oportere Antichristi Spiritum, qui fuit hæreticorum illorum quos suo tempore fuisse designat. * *Hic est*, inquit, *Spiritus Antichristi de quo audistis quòd venturus esset, & qui iam nunc in mundo est.* Quòd si ex eodem Spiritu loquatur, eodem modo Christum negabit, vt non Christi nomen ipsum oppugnet, sed fidem exterminet. Neque verò *iam tum in mundo fuisse* diceretur, nisi ijsdem omninò vijs & modis ad subuertendam Christi fidem operaturus esset. Sed iterum tamen vrges: *Per hæreticos diabolus dicitur operari mysterium iniquitatis, quia occultè illi Christum negant: at Antichristi aduentus dicitur reuelatio, quia ille palam Christum negabit.* At tuo ipso laqueo suffocaris. Nam ad mysterium iniquitatis occultam Christi negationem pertinere fateris. Atqui * *mysterium iniquitatis* vim ipsam Antichristi designat; quod cœperat olim diabolus per hæreticos & pseudapostolos operari, sed postea sub Antichristo complere debuit. Hoc est enim quod Apostolus intendit vbi ait, *Mysterium iniquitatis*, quod nempe sub Antichristo maximè vigebit, *ia n nunc operatur*, vt nimirum clanculum & per cuniculos in Ecclesiam irrepat. Quare Rupertus disertè Antichristum interpretatur [a] *operari mysterium iniquitatis.* Atque vt constet mysterium hoc iniquitatis Antichristi esse proprium, legimus in fronte meretricis, hoc est, Antichristi, scriptum esse, [b] *Mysterium: Babylon magna; mater abhominationum & fornicationum terræ.* Ex quo efficitur fraude mystica & palliata illum agere oportere, vt abhominationes suas & fornicationes in Ecclesia constituat, ac proinde Christi nomen adhibiturum vt illum homines admittant; non propalam & apertè negaturum, ne aduersentur & abhorreant. Iam verò Antichrist reuelatio non ad doctrinæ modum refertur, sed ad apertam regni possessionem.

* 1. Ioan. 4. 3.

* 2. Thess. 2. 7.

a Rupert. in Apoc. lib. 6. ca. 11.

b Apoc. 17. 5.

ſionem. Impedimentum Antichriſti reuelandi, de quo loquitur Paulus, patres imperium Romanum fuiſſe dixerunt, vbi nihil de Chriſto ſiue occultè ſiue palā negando, ſed imperij magnitudinem obſtitiſſe quominus in lucem prodiret, & locum ac principatum ſibi deſtinatum inuadere auderet. Reuelabitur ergò ſecundùm Apoſtolum Antichriſtus regnum palam & apertè occupando, non Chriſtum palam & apertè negando, quia regnum apud Chriſtianos obtinere non poſſet, qui Chriſti nomen palam & ex profeſſo deleret. De patribus quos affers mox videbimus. Quod de Chriſtianæ religionis publica ceſſatione ſub Antichriſto commemoras, ſuprà docuimus per tyrannidem Romani Pontificis, ſi rectè accipiatur, eſſe completum, & illum hoc argumento Antichriſtum comprobari.

24 Alterum tibi doctrinæ Antichriſti caput eſt, *quo ſe Chriſtum aſſeret in lege & prophetis promiſſum*; & vt mentem tuam planiùs exponas, *Antichriſtus*, inquis, *palam ſe & nominatim Chriſtum eſſe dicet, non eius miniſtrum aut vicarium.* At in hoc errare te conſtat ex ijs quæ modò dicta ſunt, quibus oſtendimus Antichriſtum, ad fraudes ſuas occultandas, Chriſti nomen agniturum. Id verò [c] ſuprà contendis ex Mathæi viceſimo quarto, vbi *Antichriſtus*, inquis, *dicitur affirmaturus ſe ipſum eſſe Chriſtum.* Nempe Chriſtus; *Multi*, inquit, *venient in nomine meo dicentes, Ego ſum Chriſtus.* Quem locum antè diximus ad notandos Iudæorum Pſeudochriſtos propriè pertinere, quibus authoribus inſana plebecula ſeditionibus incitata horribilem ſibi ſubinde calamitatem accerſijt, ſed illum tamen non dubitamus κατ' ἀναλογίαν ad Eccleſiæ quoque ſeductores eſſe referendum, quia quod illi verbo ipſo dixerunt ad Iudæos decipiendos, hoc iſti poteſtate dicunt ad fucum Chriſtiano populo faciendum. Neq; enim Chriſtus nudo vocabulo, vt abundè oſtenſum eſt, ſed adiuncta virtute definitur, vt qui virtutem nominis Chriſti ſibi rapit, perinde agere cenſeatur acſi orè dicat, *Ego ſum Chriſtus.* Quare cùm vnus Chriſtus Eccleſiæ doctor & propheta conſtitutus ſit, ab cuius ore pendere omnes, cuius doctrinæ acquieſcere oporteat, certè qui ſe nouum Eccleſiæ doctorem obtrudit, nouamq; fidei rationem excogitat, meritò ille ſubornatus quidam Chriſtus intelligendus eſt. Chriſtus veritas eſt: qui figmentis ſuis veritatem attribuit, dicit, *Ego ſum Chriſtus.* Chriſtus verbum eſt; qui pro Chriſto verbo ſua verba prædicat, dicit, *Ego ſum Chriſtus.*

c Cap. 1. de Antichriſto.

Christus. Proinde [d] Origenes, & post illum [e] Hieronymus, hanc Christi prophetiam in illis impletam interpretantur de quibus apud Ioannem legimus, [f] *Etiam nunc Antichristi multi sunt*, quorũ tamen nemo fuit, qui sibi Christi nomen ipsum vsurpare tentaret. Quin & illam Hieronymus ad omnes refert [g] *hæresiarchas qui sub nomine Christi docent ea quæ sunt contraria Christo.* Neque verò Satan ignorauit imposturas suas hac maximè ratione potuisse succedere Ex quo enim Christi nomen toto orbe celebratum est, satis intellexit haud facilè repertum iri qui assentiatur simpliciter dicenti, *Ego sum Christus*, ac proinde aliam sibi viam sensit ad efficaciam illusionis esse calcandam. Qua de re grauissimè Chrysostomus admonuit: [h] *Sciens diabolus tempore Apostolorum quia adhuc nouus erat Christus in mundo, quia veritas Euangelij eius adhuc erat ignota, quia Apostoli eius multis incerti, multos introducebat Christos in mundum, vt homines volentes venire ad Christum, per similitudinẽ nominis eius errantes transeant ad diabolum: & volentes ab eo exire impingant in eum. Quemadmodum si Rex in bello victus & fugatus ab alio rege, indueret indumentum regis illius victoris, & in parte sua simile signum erigat signo regis illius, vt ille populus schema victoris sui regis aspiciens & signum* partis ipsius, *dum putat se ad proprium currere regem, incurrat in manus aduersarij sui: sic & diabolus subornat ministros suos sub nomine Christi, vt volentes homines ire ad Christum, similitudine nominis tenebricati ad diabolum vadant. Postquam verò notitia Christi in toto orbe præualuit, & veritas Euangelij eius facta est manifesta, Christos eodem modo submittere non poterat; neque aliquid agit etiamsi submittat, quoniam omnibus manifestus est Christus, & Euangelium eius & Apostoli eius: sed alio modo submittit Christos, vt verba diuersorum hæreticorum introducta dicant vnumquodq; eorum, quia ego sum Christus vnigenitum verbum Dei.* Eò quoque spectat Origenes: [i] *Omnis sermo*, inquit, *qui profitetur expositionem scripturarum & fidem earum, non autem habet veritatem, rectè Antichristus esse intelligendus est veniens in nomine Christi, & dicens quòd ego sum Christus.* Non uult verba Christi simplicitèr intelligi; quippe haud multos fuisse siue tempore Apostolorum, siue pòst, qui eo modo se Christo asseruerunt; ac proinde referri huc, *omne verbum quod est à veritate extraneum, & se asserit verbum esse.* Ex quibus intelligimus nihil nunc facturum qui se palam & nominatim Christum affirmarit. Tectiùs agere Satanam, quàm vt submittat

tat

d ... tract. 27.
e Hieronym. in Mat. 24.
f 1. Ioan. 2. 18.
g Hierony. ibid.
h Chrysost. op. imperf. hom. 48.
i Origen in Mat. tract. 27.

tat quem prima facie mundus impostorem agnoscat, atque vt sententia illa Christi in Antichristo comprobetur, sufficere vt ille se Christum ostentet, non personam Christi mentiendo, sed potestatem occupando; non nomen sumendo, sed nouam fidem imperando. Quod vt faciliùs consequatur apud Christianos, etsi cum Christo bellum gerat, operam tamen Christo vicariam promittet, & ad Pyxides suas *Christi pharmaca* describet, quibus Christianarum animarum venena commendat. Ita nihil adhuc affers quo causam euincas, Antichristum se Christum ipsum affirmaturum esse.

25 Atqui patet, inquis, *ex illis verbis Domini: Ioan. 5. si alius venerit in nomine suo, hunc accipietis. Vbi Dominus*, inquis, *videtur de industria addidisse, In nomine suo, quasi praeuidens dicturos Lutheranos & Caluinistas Antichristum non venturum in nomine suo, sed in nomine nostri Christi quasi eius vicarium.* Nempe similes habent labra lactucas, & causae perditae nonnisi vmbrae pro argumentis esse possunt. Primò, locus ille planè nihil ad Antichristum, vt antè dictum est. Secundò, si caput elleboro purgasses, minimè fugisset tuam abs te sententiam euerti qui de Antichristo illud exponis quod diximus: *Multi venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus*, vbi clarissimè designatur Antichristum in nomine Christi nostri venturum esse. Postremò, qui hîc quoque defendis Antichristum celato nomine suo Christi nomen assumpturum, & Christum se nominatim dicturum, an tu somnias, qui illum eodem halitu affirmas non Christi nomine sed suo esse venturum? Nos alteram huius loci sententiam ostendimus suprà, quam tu quoque sequaris necesse est, quia tua ista, teipso teste, constare non potest. Caeterùm agnoscimus Antichristum se Christi loco suppositurum; se aliquo modo etiam Christum esse dicturum; sibi reuerentiam & honorem qui Christo debetur, Christi nomine postulaturum. Neque verò quicquam ampliùs ex scripturis euinci potest, vt vidimus, & quicquid ampliùs patres dixerunt, coniectura illi tantùm, non argumento & ratione dixerunt. Hoc verò totum in Romanum Pontificem ita competit, vt Antichristo nihil omninò propinquius, nihil similius cogitari possit. Nam ille se proprio Christi nomine [d] *caput Ecclesiae* profitetur, nec id modò, sed vnum & idem cum Christo caput esse denunciat, [e] *Ecclesiae*, inquit, *vnius & vnicae vnum corpus, vnum caput: non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet*

d Sext. de elect. & electi potest. c. fundamenta.
e Extrauag. de maior. & obed. vnam sanctam.

ſueuerat; nec Antiochus, etiam ad inſaniam vſque impius, qui tamen [t] Græcorum deos ſe colere ſimulauit: qualem principem Machiauellus inſtituit, qui [u] *nihil magis præ ſe ferat quàm religionem,* quem tamen vbi res poſtulat, de religione minimè ſolicitum eſſe vult. Hæc verò Antichriſti nota Romanos Pontifices ita depingit, vt nulli hominũ generi aut ordini meliùs vnquam accommodari potuerit, quibus dum ſe vices Dei gerere profitentur, de verbis Dei nihil eſt curæ, nihil conſcientiæ, quorum alij ſe diabolo totos tradiderunt; alij contemptu Dei & atheiſmo notantur; alij ſine lege & ratione vixiſſe memorantur; multi pro monſtris & portentis ſunt habiti: quibus nihil ſacrum eſt, nihil ſanctum, quod cum illorum inſtituto & peruerſa libidine non cõſentiat. Sed nolo lacunã hanc denuò mouere: nam totus hic locus ſuprà in actis Antichriſti copioſè explicatus eſt. Cæterùm quod ais, Antichriſtum *non paſſurum vllum Deum, nec verum nec falſum, nec vlla idola,* vt illum nomen Dei in vniuerſum aboliturum intelligamus, falſiſſimum eſſe tuipſe teſtis es, qui illum ais affirmaturum [x] *ſe Chriſtum eſſe in lege & Prophetis promiſſum, & ceremonias legis & Sabbata reuocaturum:* & ex Ambroſio affers, [y] *diſputaturum illum ex Scripturis ſe eſſe Chriſtum.* Neque enim omnem Deum explodet qui Scripturas aſſeret, qui Legem & Prophetas admittet, qui ceremonias legis & ſabbata procurabit, quiq; vt habet Hieronymus, [z] *ſimulabit ſe ducem fœderis & teſtamenti Dei.* Deniq; qui ex Scripturis diſputabit ſe eſſe Chriſtum, neceſſe eſt, velis nolis, agnoſcat Deum illum à quo Chriſtum Scripturæ omnes mittendũ eſſe conclamant. Porrò quod de idolis affers verum eſſe poterit, ſi idola eadem intelligas quæ à patribus intellecta ſunt. Neque enim idola illi alia quàm Ethnicorum numina cogitarunt, quæ quidem ab Antichriſto illo Romano non negamus eſſe reiecta; ſed minimè occurrerat illis neque diuinare poterant de ſuis & reliquorum ſanctorum nominibus nouos deos, noua idolorum numina fuiſſe fabricanda. Certè pro Ethnicorum idolis alia quędam fuiſſe ab Antichriſto ſubſtituenda, & in Eccleſiam inuehenda, manifeſta eſt Prophetia apud Ioannem, cui præterquam in regno Pontificio nihil in euentu rerum reſpondet, vel reſpondere fingi poteſt: [a] *Et non reſipuerunt reliqui homines ab operibus manuum ſuarum, vt ne adorarent dæmonia, & ſimulachra aurea, & argentea, & ærea, & lignea, & lapidea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare.*

t Hieron. in Dan. cap. 11.
u Machiauel. Princeps cap. 18.
x Cap. 14.
y Ambroſ. in Luc. cap. 21.
z Hierony. in Dan. cap. 11.
a Apoc. 9. 20.

Sententiam verò tuam locus ille Danielis maximè refellit, qui nouum Deum ab Antichristo introducendum affirmat, & maximo ceremoniarum splendore colendum. [b] *Et Deum*, inquit, *Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem ignorauerunt patres eius colet auro & argento, & lapide pretioso rebusq; pretiosis.* Quo perappositè describit Missæ sacrificium, & panaceum illud numen Pontificium, quo fortitudo illorum omnis & potentia continetur. In quo tantum habent fiduciæ, vt, prout quidam eorum in Imperij conuentibus sæpiùs contestati sunt, [c] *quiduis potiùs pati possint, quàm Missæ sacrificium sibi eripi.* In quo præsidium sibi omne esse putant ad implorandum in concilijs numen, ad exercitus in acie præmuniendos, ad sanctos sibi promerendos, ad animas ab infestatione dæmonum custodiendas, ad morbos & pestilentias amouendas, ad porcorum & pecudum sanitatem procurandam, ad fruges à noxijs flatibus conseruandas, ad omnem omninò gratiam viuis & mortuis impetrandam. Quod tanti esse putant, vt quemadmodum olim [d] Israelitæ inaures suas aureas vitulo aureo fabricando consecrare non detrectarunt, ita illi aurum & argentum suum, & pretiosissima quæq; Missæ deuoueant, & altaria, scyphos, pyxides, vestimenta, omnia splendidissima conquirant, nec vllis sumptibus parcant, aut quicquam nimis charum habeant, quod huic furfuraceo deiculo excolendo deseruiat. Dedicarunt illi palatia, possessiones, patrimonia, hæreditates, neque quicquam tanti erat vt Missis redimendis non exponeretur, maximum se putantes animarum propugnaculũ nactos, si sat illis Missarum impenderetur. Hunc deum, patribus ignotum & inauditum, Pontifex in loco suo constituit, & cùm reliquum omnem veri numinis contemptum & exerceat ipse, & alijs impunè esse patiatur; huic numini qui vel leuissimum puluerẽ contumeliæ aspergit, qui frustulum hoc consecratum vultu aut verbo lædit, ignibus illum & immanitate omni persequitur, & diris suis ad infernum vsque deturbat.

b Dan. 11. 38.

c Chemnic. in exam. concil. Trident. de Missa.

d Exod. 32. 3.

28 Periclitatur iam Missa tua, Bellarmine, ni subuenias, neque quicquam obstabit quominùs pro Antichristi numine habeatur. Quid tu ergò tandem vt hoc periculum auertas? Certè quæ affers falsa sunt, stulta, inepta, neque vllo modo cum verbis Danielis conciliari possunt. *Primò*, inquis, *per Deum Maozim potest intelligi ipse Antichristus.* Hic verò quia vides responsionem istam cum vulgata versione conuenire non posse, repudias

dias illam, & in concilij Tridentini anathema incurris. Ibi namque legitur: *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur.* Atqui verò seipsum Antichristus venerari dici non posset. Sed te non patimur ita diffugere. Versio quæ ex concilij decreto tibi *authentica* esse debet, [e] *quam nullo prætextu reijcere præsumas*, Antichristum dicit *veneraturum* Deum Maozim. Seipsum autem nemo veneratur. Deus ergò Maozim Antichristus ipse dici non potest. Vt tamen habeas quod velis, quid lucraris? Legendum vis, *Glorificabit Deum Maozim*; & *glorificabit*, inquis, *seipsum cùm se ab omnibus adorari faciet.* Atqui adhuc non assequeris quod contendis: nam proximis verbis additur, *& Deum quem non cognouerunt patres eius glorificabit.* Num tu enim ita insanis, vt *Deum quem non nouerunt patres eius* ipsum intelligas; quasi propheta dicere voluerit ipsum patribus suis ignoratũ fuisse? Quin potiùs Mosen attende, qui vbi Israelitarum idola circumscribit, *Deos* appellat [f] *quos non coluerunt patres eorum*, & inde Antichristi Deum idolum intellige. Et certè luce clarius est designari fictitium numen ab Antichristo excogitatum, & in scenam productum, vt illi omnes tanquam idolo Babylonico honorem deferant. Atque hîc quoque pro *glorificabit*, legit versio tua vulgata, *Colet Deum quem ignorauerunt patres eius auro & argento.* Atqui tu non negaueris absurdum esse, vt dicatur Antichristus seipsum colere auro & argento, &c. Postremò sequitur paulò pòst, hæc illum facturum in munitionibus Maozim *cum Deo alieno quem agnoscet*, quemadmodum Hebraicè habetur. Vbi extra omnem controuersiam videmus futurum, vt Antichristus Deum alienũ agnoscat, id est, idolo alicui palàm reuerentiam & religionem exhibeat, quia Deos alienos Scriptura nonnisi idola nominat, & falsa numina quæ ipsa sibi superstitio consecrauit.

e Concil. Triden. sess. 4. cap. 1.

f Deut. 32. 17.

29 Perbellè verò sentiens responsionem istam tuam inualidam & ineptam esse, alteram cudis nihilo meliorem, & Deum Maozim diabolum interpretaris. *Mihi magis placet*, inquis, *Antichristum magum futurum, & more aliorum magorum occultè diabolum ipsum, cuius ope mirabilia faciet, adoraturum.* Et tibi nihil non placet, vtcunque absurdum & improbabile, modò ad subterfugium vsui esse possit. Sed dicere te oportuit quî tandem diabolo aptari posset elogium illud, *Deus quem ignorauerunt patres eius*; quo constat nouum aliquod idolum, non antiquum dæmonem designari. Deinde, quî quæso diabolum colit auro &

& argento? Ecquis alicubi diabolum ipsum auro & argento coluisse reperitur? Non præcipit ille aurum & argentum, sed stipulatur & soluit, semper cum suis paciscens [g] *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Cæterùm tu, Bellarmine, infælicissimam habes causam, vbi nihil ferè dicas quod non tibijpsi plagam infligat. Nam quod ais Antichristum magum futurum, in Romanos Pontifices optimè quadrat, è quibus ita multos constat magicis artibus, & familiari cum dæmonibus conuersatione, infames fuisse. Quod verò addis existimare te *Maozim* non esse nomen Dei, *sed loci cuiusdam munitissimi & secreti in quo erunt præcipui thesauri Antichristi, & in quo diabolum adorabit*; existimationem tuam cùm contextus ipse Danielis refutat, qui expresse *Deum Maozim* nominat, tum Hieronymus, qui apud Esaiam nomen illud exponens, [h] *Quod*, inquit, *in Danielis extrema visione legimus Deum Maozim, non vt Porphyrius somniat, Deum viculi Modin, sed robustum Deum & fortem intelligimus:* quem nimirum cultores sui fortem & robustũ esse præsumunt. Eum glossa interlinearis, ad Antiochi historiam respiciens, Iouem, Pagninus Martem interpretatur: nos ad Antichristum applicantes, *Missæ* numen exponimus, quod vnum Iouis & Martis, & reliquorum omnium numinum partes implere censetur. Postremò, vt ostendas ipse nonnisi friuolas & incertas esse responsiones tuas, subiungis: *Quòd necessariò dicendum sit Antichristum esse ipsum Deum Maozim, vel si est aliquis alius, non nisi in occultissimo loco & clam omnibus ab Antichristo adorandum, cogunt nos verba ipsa Danielis, quæ alioqui secum ipsa pugnarent. Si enim nullum deorum curabit, quomodo palam idola colet?* Ita tibi res omnis incerta est, & nihil constat quominus Deus *Maozim sit aliquis alius*, qui neque sit diabolus, neque Antichristus, & labor ille omnis quo aliud asserere conaris, teipso teste, frustra consumptus est. At inquis, si est aliquis alius, nonnisi occultissimo loco & clam omnibus adorandus est. Quid ita verò? *quia alioqui verba Danielis secum ipsa pugnarent, si enim nullum deorum curabit, quomodo palam idola colet?* Nempe eodem modo quo priuatim Deum illum colet, si est aliquis alius quem colet. De quo Deo ex tuo argumento similitèr dici posset, si neminem deorum curabit, quomodo priuatim & in occulto aliquem colet? sed colet in speciem siue priuatim siue publicè, quem reipsa non curat, & formam aliquam religionis extrinsecùs præ se feret, cui religio nulla,

[g] Mat. 4. 9.

[h] Hierony. in Esa. li. 9. cap. 30.

videlicet & Christi vicarius Petrus, Petriq; successor. Quare assumit ipse sibi quæ per sacras Scripturas nonnisi Christi esse possunt. Nam ad potestatem Romani Pontificis accommodantur illa, [f] *Data est mihi omnis potestas in cœlo & terra*; & *Dominabitur à mari vsque ad mare, à flumine vsque ad terminos terræ:* & illud apud Solomonem, [g] *per me Reges regnant*, vnde ad Papam imperij Romani moderationem pertinere concludunt: & illud quoque quod de Christo solo legitur apud Ioannem: [h] *De plenitudine eius omnes accipiunt.* [i] Gregorius septimus aptauit sibi quæ de Christo psalmo secundò scripta sunt, *Quare fremuerunt Gentes, &c.* Alexander quintus iam moriturus, Christi valedictionem impudenter vsurpat, [k] *Pacem meam do vobis; pacem meam relinquo vobis.* Innocentius quartus reprehensus à Roberto Grosthed Episcopo Lincolinensi, quòd dispensationem Præmonstratensibus & alijs concesserat, qua censura omni & castigatione immunes essent, tanquam Christi priuilegio se defendit, [l] *Quid ad te de gratia mea? fecimus eis gratiam. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Et tu, Bellarmine, quid aliud Pontificem quàm Christum esse dicis, qui rectè [m] *sponsum Ecclesiæ* dici defendis, sed tamen, si dijs placet Romanis, *minus principalem*; pulchrè Romanas coniuges instituens, vt si qua seruulum depereat & ei se prostituat, factum excuset, quòd ei pareat quidem tanquam marito, sed tamen minùs principali. Sic enim tibi visum est illudere sententiæ Bernardi [n] admonentis Eugenium ne se sponsum Ecclesiæ putaret, sed amicum sponsi; & Ecclesiam *non suã* sed *Domini suã sponsam* esse cogitaret. Porrò tua quoque illa sunt: [o] *Papa Christũ nobis repræsentat qualis erat dum hic inter homines viueret: Papa habet illud officiũ quod habuit Christus cùm in terris inter homines humano more viueret.* Tu ergò Pontificem, etsi non simpliciter, tamen quodam modo; etsi non persona, loco tamen & officio, Christum esse dicis. Quod quia nouitatem habet apertam & manifestam, nec vllam habet vel leuissimam vmbram antiquæ traditionis (quis enim vnquam de Romano Pontifice ita locutus est?) planè conuincit illum esse quem Scriptura testatur Christi nomen sibi sumpturum, & hoc elogio se commendaturum, *Ego sum Christus.* Et quidem huic toti prophetiæ satisfactum patres in Romano Pontifice non dubitassent, si illum vnquam intellexissent in hanc elationis insolentiã fuisse venturum.

26 Tertiò, inquis, *affirmabit se Deum esse, & pro Deo coli volet,*

[f] Ceremon. eccl. Rom. lib. 1. cap. 8.
[g] Ibid. cap. 2.
[h] Durand. lib. 2. de minist. & ordi.
[i] Baleus de act. Rom. Pont. lib. 5. in Gregor. 7.
[k] Platin. in Alexandr. 5.
[l] Matth. Paris. in Henr. 3.
[m] De Roman. Pontif. lib. 2. cap. 31.
[n] Bernard. epist. 237.
[o] De Roman. Pontif. lib. 5. cap. 4.

non solùm vsurpando aliquam Dei authoritatem, sed ipsum nomen Dei. Ita probè conscius quàm hæc omnia Romanum Pontificem attingant, exceptiones interponis frigidissimas quidem, & quæ nihil obstant quominus ille Antichristus haberi debeat. Nam qui illam sibi authoritatẽ vsurpat vt dictatis suis tanquam diuinis legibus obtemperari iubeat, & ita se *supremum in terris numen* ostentat, vt cœli simul & inferni potestatem sibi vendicet; nihil illi deest vt Apostoli prophetiam adimpleat, & se pro Deo venditare rectè dicatur. Quòd si illud non sufficiat, scimus illum se Deum apertè proclamare, vt antè vidimus, & ita se gessisse in Ecclesia, vt illum sui Deum appellare non dubitarint, & ille hunc honorem sibi habitum non repudiarit.

27 *Postremò,* inquis, *se solum Deum esse dicet, & oppugnabit omnes alios Deos, id est, tam Deum verum quàm etiam falsos Deos & idola.* Sed hoc citata à te testimonia non probant. Quod enim attinet ad illud Apostoli, [p] *Extollet se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*, nihil impedit quominùs de illo dicatur qui sibi plùs obsequij quàm Deo vindicat, etsi Deum ore profiteatur, quod Romanum Pontificem fecisse luculentèr ostensum est. Certe Hieronymus *abbominationem desolationis* ad *Antichristi aduentum* referens & *hæreticum sermonem in Ecclesia stantem* interpretans, ita subiungit: [q] *De hac abbominatione hæretica peruersaq́; doctrina dicebat Apostolus, quòd homo iniquitatis & aduersarius eleuet se contra id omne quod dicitur Deus & religio, ita vt audeat stare in templo Dei, & ostendere se tanquam ipse sit Deus.* Extollet se ergò Antichristus, authore Hieronymo, contra id omne quod dicitur Deus, non omnem omninò deitatis opinionem exterminando, sed hæreticas doctrinas contra vnicam Dei veritatem asserendo; non religionem prorsus abolendo, sed religionem arbitrio suo tanquam ipse sit Deus, cuius vnius præscripto religio consistit, superbè imperando. Alterum locum affers ex Daniele: [*] *Deum patrum suorum non reputabit, nec quenquam deorum curabit.* Verùm ibi describitur Antichristus, qualis priuata conscientia & domesticis moribus, non qualis publico instituto futurus est. Nam publicè religionem aliquam colere videri volunt, qui tamen nullo tenentur metu numinis, quominus in omnem impietatem & scelus erumpant. Non curauit quenquam deorum rex Assyrius, [r] viribus suis & consilijs omnia attribuens, qui tamen [s] Nisrocho deo suo ceremoniam quandam implere consueuerat;

p 2. Thess. 2. 4.

q Hieron. ad Algas. quæst. 4.

* Dan. 11. 37.

r Esa 10 13.

s 2. Reg. 19. 37.

nulla, nullus Dei timor in corde est, qua ratione de quibusdam Apostolus dixit; [i] *Profitentur se nosse Deũ, factis autem negant.* Itaque absq; figmento tuo Danielis verba constant optimè, vt nullum Deum curet, qui tamen per hypocrisin externum aliquem religionis colorem mentiri non renuit. Quod Põtifex tuus facit, & templa tanquam Christo construere videri vult, in quibus nonnisi *Deum Maozim*, idolum suum, cum indignissima Christi contumelia veneratur; aut si hoc non assentiris meminisse debes ex ordine Pontificio quam plurimos adulteros, incestos, simoniacos, sacrilegos, periuros, magos, & flagitijs omnibus coopertos numina vestra qualiacunque publico ritu coluisse, qui tamen desperato malitiæ furore palam ostenderunt de numine aliquo nihil se pensi habuisse. [i] Tit.1.16.

30 Atque hactenus assumptio demonstrationis nostræ per vniuersam Antichristi descriptionẽ integra cucurrit, cuius partes omnes in Romanum Pontificem conuenire comprobatum est. Vbi quia nihil est violentum, nihil coactum aut contortum, nihil non vltrò profluum ex principijs illis, ex quibus Antichristi certa notitia petenda est; nihil dubito quin attentus lector, etsi alioqui fortasse in Pontificẽ propensior & benignior, suspẽsus euadat, & cogitabundus apud se loquatur, planè miraculum esse vt Pontifex Romanus iustissimo vbique passu in Antichristi vestigijs incedat, nec sit tamẽ Romanus Pontifex Antichristus. Cęterùm quia definitũ à definitione separari non potest, inconcussa stabit conclusio quam intendimus, nec vllis arietibus Pontificis expugnanda: *Cui notæ omnes Antichristi cõueniunt, is est Antichristus: Romano Pontifici conueniunt notæ omnes Antichristi. Pontifex ergo Romanus est Antichristus.* Illum patefecit nobis Deus verbo suo, & magis magisq; patefacturum non dubitamus, vt tandem toti orbi execrabiles fiant imposturæ illius. Interim ille rabidus canis pònat in cœlum os suum, & importunis latratibus omnipotentem illum lacessat & prouocet, permissa illi hac insaniendi potestate [k] *donec impleantur verba Dei.* Festina Domine, vt impleantur verba tua, & quod facere iam cœpisti perfice, vt principes Christiani orbis iugum Antichristi tandem pertæsi, meretricem illam excorient, & carnes eius vorent, & admotis ignibus exurant eam, vt fornicationum suarum meritissimas pœnas luat, & fumus eius ascendat in æternum. Amen. [k] Apoc 17.17.

FINIS.

Line 4
A 18 8



ANTICHRISTI
Demonstratio,
CONTRA FABVLAS
Pontificias, & ineptam ROBERTI BELLARMINI de Antichristo *disputationem.*

¶ Authore ROBERTO ABBATTO, Oxoniensi, olim è Collegio *Baliolensi*, sacræ Theologiæ professore.

HILAR. *cont. Arian. & Auxentium.*
Quisquis Christum qualis ab Apostolis prædicatus est negat, Antichristus est.





LONDINI
Excudebat *Robertus Barkerus*, Illustrissimæ Regiæ Maiestatis *Typographus.*
ANNO DOM. 1603.



INCLYTISSIMO ET SVMMA VIRTVTE Principi IACOBO, Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Regi potentissimo, fidei defensori, &c.

(***)



Nter suffragia nobilitatis & *acclamationes plebis, & Ordinum omnium de Patre patriæ suscepto gratulationes, liceat nobis quoque ranunculis, inclytissime Rex, è studiorũ officinis tanquam è specubus & cauernulis obsequia nostra contestari, & imperio vestro diuinitùs (quod quis in tanto omnium tam repentino consensu non viderit?) constituto, fælicitates omnes & salutes & securitates*, Vitam prolixam, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, orbem quietum, & quæcunque hominum sunt & Cæsarum vota *& optata, comprecari. Atq; inter illas apparatuum magnificentias & splendores, & variorum officiorum strepitus & pulueres, quibus vndique omnes tanquam de cælo delapsum principem certatim excipiunt, locum aliquem concedere dignare blandioribus Musarum alloquijs, vt qui à tumultu forensi alieni latemus in angulis, quòd aliter non possumus, stylo saltem & literario* — Tertull. Apolog. cap 30.

munere publicis istis tripudijs & triumphis symbolum nostrum apponere audeamus.

Et quis est omnium tam ingratus, tam ab homine remotus, qui maximo cum gaudio non recogitet, non ab intimis præcordijs agnoscat, quàm singulari beneficio te Deus huic Reip. nostræ principem donarit, gente nostra oriundum, indole ad imperij dignitatem expolita, literarum studijs ad eximiam prudentiæ facultatem instructissimum, mansuetudine amabilem, iustitiæ studio & conscientia laudatissimum, summisq; regalium virtutum dotibus & ornamentis maximè conspicuum? quem Deus ab ortu ipso, & ante ortum, tanquam maximo reip. Christianæ compendio nasciturum, è maximis periculis ereptum mirabilitèr conseruauit: quem vnius hactenus gentis consultissima gubernatione ad tanti iam imperij molem sustinendam præformauit: quem pro ea qua es pietate ac fide, vniuersi nobis veræ religionis & Ecclesiæ quæ nos Christo deuotos gremio suo per tot iam annos tam placidè confouit, nutritium & parentem promittere possimus? Quæ in morte serenissimæ principis Elizabethæ, *beatissimæ in æternum memoriæ, vulnere accepto grauissimo, quod progenies illa viperarum, factio Hispanica & Pontificia, iam olim lethale futurum præominata est, audito nomine* Iacobi *regis ita repentè conualuit, vt vix sensisse malum suum, certè momento diram plagam firmiori & certiori valetudine commutasse videretur. Et certè quantus antè pauor, quæ trepidatio in omnium penè cordibus inueterauerat? quæ voces auditæ?* Haud mihi post *Elizabetham* principem viuere contingat: qui motus, quæ seditiones, quanta confusio, de iure regni quanta contentio secutura est? *Quanquam enim exploratissimum erat iure gentium, & more patrio, quid hac in causa statuere par esset; tamen silentium illud de regni successione lege decretum dubitatum est quò spectaret, & tan-*

quam

quam ex equo Troiano grauissimam calamitatem genti nostræ portendere iamdiu & parturire visum est. Postquam verò auribus nostris Celsitudinis vestræ nomen insonuit, illa omnis caligo quàm repentè dissipata est? quàm lætamur omnes? quàm cupidè arripimus? quàm gratulamur nos tantæ fælicitati superstites? quanta animorum quies & tranquilla pax; quòd non alterius in potestatem committimur, quàm cuius obsequio conscij sumus nos legibus omnibus diuinis & humanis obligari? quàm religiosè prouoluimur in genua, & gratias immortales diuinæ misericordiæ debitas ab imo pectore prædicamus? Denique rei nostræ seruit optimè, tę rege in Elizabethæ locum succedente, quod olim de obitu Henrici secundi Mathæus Parisiensis vsurpatum commeminit:

Mira canam, sol occubuit, nox nulla secuta est.

Quare animis ex repentina illa consternatione redintegratis, iterum accingimur operi nostro, vt Spartam nobis à Deo donatam excolamus: iterum in bellum egredimur, & freti tanti ducis auspicijs denuò machinas admouemus, vt Pontificiarum arcium celsitudines demoliamur, & Antichristianæ perfidiæ muros & propugnacula, quibus ille magnam adhuc Ecclesiæ partem captiuam includit, fortitèr & animosè destruamus.

Et eò quidem fortiùs includit, quo speciosiùs impietates suas & idololatrias simulato prætextu pietatis & fidei conuestit & tegit. Nam quod hæreticis omnibus & impostoribus consuetum est, ad venenorum pyxides pharmacorum titulos adscribere, Christumque atque Ecclesiam Stentoreo gutture vociferari, nec aliud tamen agere quàm quod Christo & Ecclesiæ aduersum & infestum sit; hoc Ecclesiæ Romanæ familiare cumprimis est, quæ mentitis coloribus fefellit per tot secula, & fallit adhuc orbem terrarum: cuius ambrosia nonnisi absynthium est, & nectar venenum; quæ religionem vocabulo prætendit, re destruit; quæ pacem promittit, & cum Deo pacis bellum exercet,

ercet: quæ dum cælum spectare iubet, in Syrtes & Symplegadas inducit, & conscientiæ naufragio præcipites in infernum impellit: quæ quò crassiùs & tetriùs per apostasiam degenerauit, eò impensiùs & laboriosiùs à parasitis suis ornatur & pingitur, vt purpurissis & cerussis incrustáta sponsæ pulchritudinem referre videatur, quæ insana stuprorum licentia & fæditate, squalida iam & effæta meretrix, & planè putrida facta est.

Qua in re gratificatur illi maximè Iesuitarum improbus labor & diligentia, quibus nihil est intentatum quo ruentem iniquitatis suæ mole Babylonem fulcire quouismodo se posse confidant. Qui vt rem suam quoquo modo promoueant, non contenti religionis officia tractare, in negotia etiam politica petulantèr se immittunt, rerump. status appendunt, de principum causis decernunt, regnorum hæreditates interuertunt, proditiones & bella meditantur, nihil suspicantibus venena submittunt, vt per illos nec regibus nec hominibus esse liceat, qui nefarijs illorum consilijs impedimento sunt. Neque verò obscurum est quibus illi artibus præoccupare apud nos populariumsuorum animos, & ab Anglorum stirpe regia, & iure hæreditario Maiestatis vestræ, stulto prætextu, quali non ita pridem Guisium ducem Galliæ regnum applaudentibus illis affectasse meminimus, in alienigenarum admirationem traducere conati sunt. Qui postquam intelligunt consilia sua quàm in irritum ceciderint, rodunt, opinor, præ insania linguas suas, atque vtinam in æternum rodant, fruente interim Iacobo *principe sibi ac suis Angliæ regno, & cœlum sibi in terris ædificante, dum illi scelere & perfidia viam sibi muniunt in infernum. Nec meliore quidem successu reliquam operam impendunt qua explosas hæreses & damnatos superstitionum ritus asserere conantur, vtque illis fidem & authoritatem attribuant, miris subtilitatum & sophismatum præstigijs ludunt, &*

dedecus

dedecus suum, *vt ille loquitur*, ingenio obumbrant. *Cæterum agendo quàm nihil agant, & ambitioso magnorum voluminum apparatu nonnisi lituras scribant, disputatione ista de Antichristo liquidò constare poterit, quia si causam hanc obtinuerimus, Esse Romanum Pontificem Antichristum, de reliqua controuersia dubitandi non erit relictus locus, quia de Antichristi doctrina, quin perniciosa sit & impia, dubitari non potest. Hanc verò causam stare à nobis, & miserrimas esse collectiunculas illas quibus* Bellarminus *præ cæteris maculam Antichristiani nominis à Pōtifice Romano depellere conatur, abundè, opinor, hoc opere nostro demonstratum est.* Tertul. cont. Maxion. lib. 1.

Quod quale quale est, auspicijs Regni vestri sacrum esto, sanctißime princeps; haud ita dignum fortasse quod in lucem prodeat, sed ita dignum, si patrocinio tantæ Maiestatis non videbitur indignum. Ac cum tibi omnes omnia debemus; tum hoc inprimis, quicquid est officij, Serenitati vestræ præstandum monuit Ioannis de Baliolo *nobilißimi quondam Scotorum regis, cuius ad te meritorum insignia cum regni succeßione quodam iure descendunt, gratißima memoria; cuius scilicet impendijs bonarum literarum studijs innutritus sum, alumnus iampridem Collegij illius quod ille Oxoniæ honorificum, & planè regium suæ in gentem nostram beneuolentiæ testimonium, reliquit. Cuius gymnasij vestri, & quidem præ cæteris vestri, memoriam aliquantulam & pios aspectus, vtinam dignus sim, terræ vermiculus, qui augustißimæ Maiestati vestræ commendare non dubitem, vt societas illa literarum subsidijs amplificata, magis magisque seruiat emittendis operarijs in messem dominicam, qui huic negotio quod agimus strenuè incumbant, & Christo contra Antichristum pugnanti suppetias ferant. Interim etsi tibi hac in causa, Rex inclytißime, monitore non sit opus, cui, suprà ferè quàm principem credere est, in rebus diuinis exercitato tota res ista satis perspecta*

specta est; dignare tamen vt libellus iste fretus Regio fauore fidentius in publicum se offerat, & oblatrante sophistarum impudentia confirmet scire volentibus Romanum Pontificem esse verissimè Antichristum, signiferum illius apostasiæ quæ faciem visibilis Ecclesiæ sordidare debuit, & gentes omnes in vnam perfidiæ coniurationem complicare.


Te verò vnum illud adhortamur, & flexis genibus obsecramus (& tamen quorsum currenti calcar addimus?) vt quod cæpisti facere magis magisq; facias, vt Ecclesiæ Romanæ pestes & contagia depellas, & aduersus tricipitem illum Cerberum, inferni ianitorem, prælia domini depugnes, idq; operam des quod à regibus terræ se Deus expectare denunciat postquam Babylonicæ meretricis iugum excusserint: Apoc.17.16. Odio habebunt illam & desolatam facient, & nudam, & carnes eius comedent, & ipsam igne concremabunt. *In quam rem qui te hactenus intelligimus cura omni & cogitatione tam vehementèr incubuisse, dubitare non possumus quin futurum sit vt primis postrema respondeant, & ysdem perpetuò vestigijs insistens, ad Christi honorem diligentèr aduigiles & exterminium Antichristi, manumq; apponas medicam sanandis languoribus illis, quibus Ecclesia nostra de tanta illa superiorum temporum ægrotatione nondum perfectè conualescens, laborat adhuc aliquantulum & claudicat, & addi sibi ligaturas & firmitatem plurimùm desiderat. Atque eò te extimulat tanta ista diuinæ bonitatis accessio, quæ quò subliniorem te constituit, & Maiestate ac potentia cum summis principibus coæquauit, eò magis expectat vt magnitudinem hanc atque amplitudinem ad gloriam nominis sui promouendam, veramq; illius religionem excolendam adhibeas, & constantèr promittit affuturam tibi seruienti Iesu Christo manum Iehouæ, ad conterendos hostes omnes exteros & domesticos, illosq; cornu ferreo comminuendos, qui dixerunt in cordibus suis,*

suis, Lapidetur & aspiciat in Sion oculus noster, *& perturbatos amnes nostros questui sibi hoc tempore futuras sperarunt.* Mich.4.11.

Benedictus Deus in secula & in æternum qui spes eorum ridiculas fecit, & nos è leonum & luporum faucibus eripuit, nec exposuit nos prędę dentibus eorum. *Atque idem* Psal.124.6. *te Deus, Rex illustrissime, perpetuò conseruet, & à clancularys insidys & Pontificiorum gente improba defendat, quorum clandestina consilia publicos sanguines scribunt; qui re*bus sic stantibus *malè secum agi putant in beneuoli & amici habeantur, distractis & collapsis, quod iam spero desperant, capitalitèr hostes sunt: qui cecidisse sentientes expectationem suam, dimidiata nunc verba subsibilant, nec audent eloqui cogitationes suas quibus extentas iam buccas se daturos somniarunt. Disperde Deus cogitatus eorum & consilia, quod hactenus fecisti: fatiscant & computrescant in foraminibus oculi eorum dum Ecclesiæ tuæ calamitatem expectant: corrobora verò quod operatus es in nobis, & quem dedisti nobis principem suscipe & sustine dextera tua, vt virtutem tuam sibi adesse persentiens procedat quò illum vocas in fortitudine Ielouæ, gladio femur accinctus quo propensos & beneuolos tueatur & protegat, refractarios & rebelles cõprimat & contrucidet, vt Maiestate atq; opibus, & subditorum obsequio & beneuolentia confirmatus, vniuersam hanc remp. summa cum fœlicitate & pietate quamdiutissimè administret, quousq; fortunis & annis satiatus astra conscendat ibi cum Christo regnaturus in æternum.* AMEN.

Maiestati vestrę addictissimus
& obsequentissimus,

ROB. ABBATTVS.



¶ Carmen de obitu serenissimæ principis *Elizabethæ* & fœlicissima substitutione *Iacobi* regis.

Prosopopœia lugentis Angliæ, & Serenissimam Principem ELIZABETHAM *morituram compellantis.*

HEu: moreris? moreris? quid de me fiet *Eliza*?
Cuius in exitium iam circumfusa Leonum
Turba instat, veterésq; iras, & fœdera spreta
Vlcisci parat Hispanus, coniunctáq; voto
Sacrilego Papistarum gens improba tandem
Conceptas diro iaculatur pectore flammas?
Heu moreris? regnumq; tuum sine rege relinquis?
Disiectumq; gregem nullo pastore luporum
Dentibus exponis, matres vt funera natos
Optent esse suos, & se; trepidæq; perosa
Luce sibi tenebras quęrãt, postquam omnia cernunt
Sanguinibus conspersa meis iuuenumq; senumq;
Et sua crudeles sæuire in viscera fratres.
Heu: moreris? quid iam? quid de me fiet *Eliza*?

Serenissimæ Principis ELIZABETHÆ *responsio ad suam Angliam.*

QVid trepidas, gens chara Deo? q̃uid luctibus istis
Est opus? & quare morituram in pace moraris?
Post


Post septem annorum decades, iustissima vitæ
Tempora, quando vltrà labor est vita ipsa dolórq;,
Tu me maturam cælo constringier vltrà
Terrenis vinclis regniq; laboribus optas?
Quin mitte vt terram pertæsa satisq; potita
Nomine Reginæ, cælestia regna capessam.
At tu quid mentem vanis terroribus imples?
Quiduè lupos narras, tumidosq; furore leones?
Haud frustrà expansas toties ad sydera nostras
Crede manus: fusasq; preces in Numinis aures.
Nec regnum sine Rege putes, quem stemmate sacro
Anglorum, & nostro tam clarum sanguine mōstrat
Vna maris clausura, & gens contermina fundo,
Lingua eadem, quā nunc regnum concurrere in vnū
Quā pulchrū est? quātúmq; addit tibi pōdus honoris?
Illum ergò venerare Deo miserante creatum
(En gerit impressum rubicunda pelle leonem)
Nobilitate, armis, doctrina, Relligione,
Consilio insignem, regísq; hoc nomine dignum.
Qui tantam imperij molem, nunc impare nostra
Ætate hac, animo forti validísq; lacertis
Sustentare queat, placidéq; hos ferre labores.
Ille leonum vngues franget, dentésq; luporum
Vipereúmq; genus, reptantésq; orbibus angues
Opprimet, & pacem genti firmabit opimam.
Ac veluti magno in populo cum concita feruet
Seditio, & passim vulgus parat arma, furensq;
Discursat, volitantq; enses in vulnera crebri,
Et sibi quisq; timet, sua iam discrimina pendit,
Conspicuum bonitate virum fors siqua repentè
Obtulerit, mox accurrunt, comitérq; salutant;
Et verba illiùs suspensis auribus omnes

Arripiunt, repetuntq; statim sua limina lęti,
Et sibi quisq; canit, sua iam tuta omnia gaudet.
Haud aliter rex ille tuus perplexa tuorum
Tempora, quę infandas cędes, violenta latronum
Agmina promittunt, hostilésq; vndiq; pugnas
Et dubias hominum mentes formidine tristi
Conficiunt, dum nemo sibi sat saluus habetur
Et mortem iam quisque sibi meditatur adesse,
Ille inquam sedata dabit, cum nomine passim
Audito applaudent omnes, & voce sonabunt
Viuat rex, ô rex *Henrici* sacra propago
Viue diu, adiunctis animis ad vota precantes
Nec quisquam audebit mutire aut hiscere contrà.

O me beatum illo hęrede principem.
O te beatum Angliam tanto principe.

Ad





Ad Serenissimum Regem IACOBVM gratulatio.


MActe ergò virtute tua, rex Inclyte, perge
Fœlix esse tibiq; tuisq; vt secula nobis
Aurea decurrant, & te Saturnia regna
Concelebrent, atque Astræam te rege morantem
In terris tota hæc cantet nunc insula, vestris
Auspicijs pietate vigens & religione
Confirmata, vt propitius tibi rector Olympi
Cœlo fœcundos imbres demittat ab alto
Et creet aspectus pratisq; satisq; benignos,
Cunctarum vt nobis accrescat copia rerum,
Sitq; Deus nobis qui iam Deus esse probatur.
O pater, ô hominum custos, hæc otia nobis
Longa dato, Regemq; tuum tua dextera saluum
Protegat, insidiasq; omnes, & sanguine mista
Concilia authorum in carnes & viscera cudat.
Quiq; animos hominum fingis simul atq; refingis,
Flecte animos ad te nostros, vt pectore puro
Grates diuino referamus munere dignas,
Et vitæ innocuæ castæq; litamine nostra

Assidue

Aßiduè pietas cœlestes imbuat aras.
Viue IACOBE *diu fœlix, & pace triumpha,*
Perpetuoq́; tibi deuinctos eße tuorum
Fac animos, gratúsq; Deo super omnia viue.
Tuq́; HENRICE *spei nostræ pars altera, viue,*
Quæ Reges didiciße decet, tu disce, patremq́;
Fer oculis, & cura illum virtute referre,
Quemq́; tibi scripsit monumentũ et pignus amoris
Perpetuum ne te pigeat versare magistrum.
ANNA *Deo dilecta nimis quàm prædicat orbis*
Te natu, te coniugio, te prole beatam.
ANNA *venis, nobis gratißima, pacis oliua,*
Pacem enixa vtero nostram, tibi mille salutes
Optamus, tibi sint de aduentu gaudia mille.

Elenchus





Elenchus Capitum in subsequenti Demonstratione.

Habitus

¶ANTI-





¶ ANTICHRISTI DEMONSTRATIO

Contra fabulas Pontificias, & ineptam ROBERTI BELLARMINI de Antichristo disputationem.

CAP. I.

Iudicium de origine & progressu errorum de Antichristo: cuius veram notionem ostenditur non ex patribus sed ex Scripturis explicari debere.



Ntichristi totam historiam Papistæ nobili stratagemate verterunt in fabulam, vt ad vmbras & spectra quædam inania intenti homines dum hostem è longinquo falsum expectant, à vero Antichristo intus in Ecclesia per hypocrisin regnante inscientes occupentur. Antichristi vocabulum intelligunt formidabile omnibus & inuisum esse. Nihil se facturos putant ni suspicionem omnem exosi nominis astutè depellant. Id ergo agunt conatu quo possunt omni & vltimo, sed casso & irrito, & dum quasi in vndis periclitantes omnem virgulam arripiunt qua se vel ad momentum subleuent, frigidas nescio quas ineptias & somnia proponunt, quibus constare volunt nonnisi per calumniam Antichristi nomen ad Romanum Pontificem accommodari. Qua in re Satan illis operam suam egregiè nauauit, qui cùm intelligeret ab initio maximam sibi ab Antichristo ad perdendas animas opportunitatem suppetituram, nihil egit studiosiùs quàm vt illũ celaret, vt quem notum horrerent homines & refugerent, eundem ignotum sequerentur in pręceps, & consortes facti scelerum

illius communem cum illo perditionem sortirentur. Id vt tutiùs ageret & certiùs, singulari fraude falsam Antichristi notionem informauit, & mentitis coloribus callidè depinxit, vt verum illum Antichristum, orbis & Ecclesię pestem, minimè suspectum haberent homines, postquam nonnisi putatiuum hunc & imaginarium Antichristum, anile terriculamentum, merum Satanæ ludibrium, expectare didicissent. Atque huius fraudis administros habuit hæreticos & impostores illos qui ab ipsis vsque Apostolorum temporibus corrumpere fidem & virginalem Ecclesiæ pudicitiam expugnare tentarunt. Qui vt fæliciùs spargerent errores suos & venena prauorum dogmatum latissimè propagarent, nihil consultius aut compendiosius esse iudicarunt, quàm si abstrusam & à communi captu remotam scientiam & occultæ sapientiæ [a] *profunditatem* ostentando, magnam sibi apud popularem inscitiam opinionem & authoritatem compararent. Et certè nescio quo errore plus valet plerumque apud vulgus hominum superba loquacitas de rebus non intellectis futilitèr & ineptè deblaterans, quàm sobria pietatis exhortatio & [b] *sermo ille sanus qui reprehendi non potest*, quo vno ratio omnis animæ secundùm Deum ædificandæ continetur. Vilet qui de fidei ratione, communibusque vitæ officijs piè instruit; ille magnus est & eruditus qui de angelis & cœlo Empyreo philosophatur, attrita fronte docens quod ipse nescit, & ex aliorum inscitia sibi scientiæ laudem impudentèr vsurpans. [c] *Nihil tam facile*, ait Hieronymus, *quàm vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit, plus miratur.* Quare vanitatem hanc & humani ingenij leuitatem inimicus ille probè perspectam habens, hùc aptauit conatus suos, & operarios dolosos submisit qui prurientes aures stulta grandiloquentia titillarent, & mirabiles abditarum rerum sensus promittendo curiosas mentes tanquam fascino quodam subuersas occuparent. Traditionem occultam & nonnisi perfectis competentem præ se ferunt: Paracletos & enthusiasmos & afflatus atq; illuminationes cœlestes mentiuntur: de parabolis & allegorijs inaudita quædam mysteria interpretantur: peregrinis & ampullatis nominibus ludunt; neque quicquam omittunt quo possint, quæ [d] *hæreticorum omnium semper intentio fuit, captare gloriam de singularitate scientiæ.* Ac de Antichristo quidem materia erat lasciuientibus ingenijs aptissima, cuius nomen postquam in

Ecclesia

[a] Apoc. 2. 24.
[b] Tit. 2. 8.
[c] Hieron. epist. ad Nepotianum.
[d] Bernar. in Cant. ser. 65.

Ecclesia percrebuisset, cœptum est inquiri quis ille & qualis futurus; vbi & quando venturus; quid & quibus & quousq; facturus esset, & curiosa temeritas quod erat in Scripturis obscurius & Prophetiæ tenebris inuolutum, euolui sibi voluit & explicari, vt tanquam sub oculis Antichristum haberet, & illum clara luce conspicuum intueretur. Quare ad hanc petulantiam hæreticorum impostura se accommodans & arborem interdictę adhuc scientiæ maximo cum fructu gustandam adpromittens, commentitium quendam Antichristum è somnijs suis & Iudæorum fabulis edolauit, & insolentissima temeritate certissima dogmata de rebus incertissimis, quia longè post futuris, pronunciare ausa est. Ac ne prorsus authoritate carere videretur, sacrarum Scripturarum testimonia quædam detorsit ad ineptias suas, vt humanas præsumptiones pro diuinis oraculis habendas esse persuaderet. Hinc illa manarunt, Antichristum fore Iudæum & nasciturum ex tribu Dan: templum Hierosolymis instauraturum; ibi sessurum; ibi illum Iudæos veneraturos; deinde prælium cum gentibus facturum; subiugaturum sibi Orbē terrarum, & hæc omnia tribus annis & dimidio confecturum.

2 Has fabulas & alias nonnullas quas *Bellarminus* perridiculus sophista demonstrationū nomine proponit, Papias vt videtur primus arripuit, qui miserrimo errore plùs traditione viuæ vocis quàm consignatis Scripturarum tabulis acquiescens, malefidis Apostolicorum virorum sectatoribus vltrò se fallendum præbuit: qui non attendens subornatos esse iam tum à Satana mendaces quosdam & perfidos qui Apostolorum nomina figmentis suis prætexerent, in eo totus erat [c] *vbi quisquam veniret qui seniorum assectatorem* se diceret, *vt verba seniorum exquireret, quid* Andreas, *quid* Petrus, *quid* Philippus, *quid* Thomas, *vel alius quisquam ex discipulis Domini*, *quidq;* Aristion *& senior* Ioannes *discipuli Domini dixerint*. Quibus dum fidem adhibuit & porrò exiguo iudicio prędítus Apostolicas disputationes perperam accepit, minùs rectè considerans quæ ab illis per hypodigmata & figuratè dicta sunt, multas fabulas & peregrinas doctrinas in Ecclesiam inuexit, nec ipse modò errauit, vt notat *Eusebius*, sed quamplurimis post se Ecclesiasticis viris ad antiquitatem eius respicientibus errandi occasionem suppeditauit. Illum secutus est *Irenæus*, & eius authoritate permotus *Chiliastarum* hæresin è *Cerinthi* fontibus haustam amplexus est, cum qua dum Iudaizat,

[c] Euseb. hist. li. 3 cap. 36.

& [f] *Apocalypsin* atq; alias Scripturæ sententias, vt testatur *Hieronymus*, ad literam exponit, non dubiũ est multas de Antichristo fabulas, quas simul imbibit *Irenæus*, fuisse coniunctas. Cæterum de mille annis terrenæ fœlicitatis post resurrectionem futuris, repertus est *Dionysius Alexandrinus* qui reprehenderet *Irenæum*, & libro aduersus illum eleganter scripto figmentum illud irrideret; de Antichristo verò, quia incertiora erant omnia, haud facilè repertus est, quantum quidem apparet, qui somnijs illis contraeundum putaret. Vnus apud *Gennadium* commemoratur *Iacobus* sub *Maximino* confessor, Episcopus *Nisibenus* sub imperio *Constantini*, qui [g] diuinis Scripturis *compressit ora eorum, qui præsumptuosa suspicione de aduentu Antichristi vel Domini nostri inaniter philosophati sunt*. Et illa *Chiliastarum* phantasia, etsi erat absurda, & doctissimè refutata, non caruit tamen assertoribus suis, & *Apollinarium* pro *Irenæo* respondentem, *non solùm suæ sectæ homines*, [h] *sed & nostrorum*, ait *Hieronymus*, *plurima sequitur multitudo*. Proinde quæ de Antichristo conficta sunt, quia manifesta in illis fidei præuaricatio non apparuit, nihil mirum est insedisse tenaciùs & apud posteros tanquam verissima præualuisse, quæ maiorum & quidem tanti nominis virorum authoritate suscepta & firmata sunt.

f Hieron. in præfat. lib. 18. in Esaiam.

g Gennadni. Catal. illust. virorum.

h Ibid.

3 Enimuero apud antiquos superstitio illa plus satis inualuit, qua piaculum esse credebatur ab illorum instituto & sententia recedere qui priùs in Ecclesia celebres fuissent, qui quidem quò propiùs aberant à prima fidei propagine, eò liquidiùs & accepisse vera & sensisse videri possent, & tamen dum toti ab vberibus Ecclesiæ non pendent, & incauta credulitate fucata sapientiæ specie plus æquo mouentur, pro vero fidei lacte suxerunt interdum errorem, & multa tradiderunt quæ ne Pontificijs ipsis maximis errorum veterum propugnatoribus, satis probata sunt. Atque hæc magna corruptelæ occasio fuit, dum quæ initio à magnis viris temerè dictata sunt, eorum authoritate tanquam pronunciata Catholica vel suscepta prorsus apud posteros, vel certè haud facilè improbata sunt. *Hieronymus* etsi probè sciens Chiliasticum illud delirium absonum quiddam & à Scripturis alienum prædicasse, tamen dum suorum temporum superstitioni nimium concedit, manifestam hæresin quàm timidè, quàm verecundè redarguit? [i] *Quæ licet non sequamur*, inquit, *tamen damnare non possumus, quia multi Ecclesiasticorum virorum & martyres*

i Hieron. in Iren libr. 4. cap. 19.

tyres ista dixerunt. Et vbi de *Victorini* explanatione in Apocalypsin sententiam rogatur: [k] *Periculosum est*, inquit, *& obtrectatorum latratibus patens de egregij viri opusculis iudicare. Nam & anterior Papias Hierapolites episcopus, & Nepos in Aegypti partibus episcopus de mille annorum regno, ita vt Victorinus, senserunt.* Ita præpostera vetustatis opinio, & magnorum nominum admiratio, libertatem iudicandi sustulit, vt inuidiæ calumnia non vacaret, qui egregiorum virorum sententias, etiam vanissimas & falsissimas improbaret. Hac ratione Pelagiana labes vires & incrementa maxima cepit. [l] *Plures sunt in Ecclesia*, inquit Hilarius, *qui authoritate nominum in sententia tenentur, aut ad sententiam transferuntur.* Quare Pelagium haud facilè repudiarunt, [m] *quòd retractatis priorum de hac re opinionibus*, ait Prosper, *penè omnium par & vna* pro dogmate illus sententia inuenitur. Quare Augustinus cum hæreticis confligens, & causas ad viuum resecans, vbi antiquiorum patrum præiudicio grauatur, disertissimas aduersùs illorum testimonia exceptiones nonnunquam interponit, vt Scripturis solis quæstionem decidat. Vbi Cyprianum Donatistæ afferunt, [n] *Nos nullam*, inquit, *Cypriano facimus iniuriam cùm eius quaslibet literas à canonica diuinarũ scripturarum authoritate distinguimus.* Vbi Ambrosium Pelagiani opponunt, [o] *Quamlibet sanctus & doctus vir, nequaquam tamen authoritati canonicæ Scripturæ comparandus.* Et de omnibus: [p] *Ego*, inquit, *in huiusmodi quorumlibet hominum scriptis liber sum, quia solis canonicis debeo sine vlla recusatione consensum.* Intellexit vir sanctissimus in patrum scriptis iudicio ac delectu opus esse, nec tutò ingredi posse, qui superstitiosa leuitate mox admirantur & probant quicquid in vetustis chartis impressum, & antiquorum nominum celebritate commendatum est.

k Hieron epist. ad Anatol. apud Sixt Senen biblio sanct. lib 4. in Victorino.

l Hilar Epist. apud August. to.7.

m Prosper. epist. ibid.

n August con. Crescon. lib. 2. cap. 31.

o Cont. Pelag & Celest. li. 1. ca. 43.

p De nat. & grat. cap. 61.

4 Porrò ad superstitionem desperatio quoque accessit, quæ fregit animos & intercepit conatus illos quibus assurgere posteriores quique ad maiora debuerant, de egregiorum virorum lucubrationibus & scriptis non inertiam amplexi, sed ad maiorem iudicandi diligentiam & industriam excitati. Atqui plerisque longè alius erat animus, quo eos quibus se adiunxerant ita putarunt absoluisse omnia, vt nihil sibi vltrà perquirendum iudicarent; nihil putarent certius à quoquam aut sanius excogitari potuisse. Itaq; desperatio negligentiam peperit, qua [p] *multos qui acie ingeniorum satis erant instructi piguit in fulgorem veri-*

p Ludou. Viues de causis corrupt. artium.

tatis intentè aspicere; eos qui dicebantur aspexisse secuti sunt. Inde errores priorum traditi ad posteros & confirmati, dum tantis de rebus malunt alijs posteriores credere, quàm ipsi iudicare. Origenis illæ speculationes & allegoriæ quanta ingenia cum quanto fidei dispendio fascinarunt, quasi in illo vno spiritus sanctus vim omnem & opes suas explicuisset, & frustra deinceps cuiquam alteri in sacris scripturis enarrandis elaborandum esset? *Cyprianus* dum *Tertullianum* subinde [q] *magistrum* appellitat, & iudicio illius plus nititur quàm suo, ab illo fragmēta quædam *Montani* transcribit, & satisfactionibus ac ceremonijs ab illo confictis plùs æquo benignus est. *Bernardi* auditores malè habuit, quòd [r] *post patres nouus expositor* lectionem quandam Euangelicam interpretari præsumeret, & ea causa multorū fratrum indignationi se obnoxium ostēdit. Atq; huiusmodi *Momos*, & *Aristarchos*, & *Grunnios* quamplurimos *Hieronymus* expertus est, [f] qui illum in vertendis sacris libris fructuosissimè laborantem vellicarunt, quòd corrigi non posse putarent quæ superiorum temporum opera & studio prodijssent. Neque verò *Augustinus* nihil hac in parte peccauit, qui illum ab opere tam necessario deterruit quoad potuit, quòd [t] *nihil in Hebræis codicibus inueniri putaret, quod tot interpretes illius linguæ peritissimos fugere posset.* Et *aut obscura sunt*, inquit, *aut manifesta. Si obscura, te quoque in eis falli potuisse non immeritò creditur. Si manifesta, superfluum est te voluisse explanare quod illos latêre non potuit.* Sed illum vir doctissimus dilemmate suo reuincit: [u] *Respondeat mihi prudentia tua, quare tu post tantos & tales interpretes in explanatione Psalmorum diuersa senseris. Si enim obscuri sunt Psalmi, te quoque in ijs falli potuisse credendum est. Si manifesti, illos in eis falli potuisse non creditur, ac per hoc vtroq; modo superflua erit interpretatio tua: & hac lege post priores nullus loqui audebit, & quodcunq; alius occupauerit, alius de eo scribendi non habebit licentiam.* Atqui verò industriæ nunquam deest, quod post summos authores aut emendet aut addat, aut si non rebus ipsis, saltem luce rerum & varia tractatione gratum sit. Quòd ni posteriora quæque tempora in superiorum ingenijs & laboribus nimium acquieuissent, haud dubium est quin multò fœliciores sacrarum literarum tractatores & interpretes proferre potuissent. Quod & nostro seculo factum videmus, quo Pontificij ipsi fatentur, [x] *plurima in* Mosi *libris & hymnis* Dauidicis *prophetarumq; vaticinijs esse doctorum hominum diligentia multo accuratiùs quàm vsquam antea explicata.*

q Hieron. in catal. script. ecclef.

r Bernar. super Missus est hom. 4. in fine.

f Hieron. præfat. in Iob & Esaiam.

t August. Hieronymo epist. 8. & 10.

u Hierony. apud August. epist. 11.

x Andrad. in defens. fidei. Triden. li. 2.

5 Cæterùm quæ diximus omnia in hoc Antichristi negotio, vt in vna re aliqua, maximè contigerunt. Nam si oculos vel paululùm aperuissent homines, & suam quamcumq; iudicandi facultatem adhibuissent, rescissent optimè multa quæ ab antiquissimis scriptoribus de Antichristo asseruntur, de tam infirmis, tam nullis argumentis esse profecta, vt illa constare posset nonnisi ab impostoribus & hęreticis inuenta esse, aut certè nonnisi per summam negligētiam tantis ingenijs obrepere potuisse. Quin & qui alioqui perspicaces & nasuti videntur, hîc tanquam euulsis oculis plerunque cæcutiunt, & cum *Homero* dormitant, & ipsi sibi non constant, & alij aliorum sententias prorsus euertunt. Receptum est antiquitùs, Antichristum nasciturum ex Iudæis & de tribu *Dan*. Quid ita verò? Quia tribus illa apud *Ioannem* in Apocalypsi non commemoratur vbi consignantur electi ex omnibus tribubus Israelis. Atqui neque tribus *Ephraim* ibi memoratur: quî minùs Antichristus de tribu *Ephraim* quàm de tribu *Dan?* Minimè verò, quia de illo quoque *Iacob* vaticinatus est: [y] *fiat* Dan *coluber in via, cerastes in semita, &c.* & *Ieremias:* [z] *A* Dan *auditus est fremitus equorum eius, &c.* Ita quidem *Irenæus* & tota patrum gens; sed longè aliud & certiùs quidem *Hieronymo* visum est, locum [a] alterum de *Sampsone*, [b] alterum de *Nabuchodonosoris* in Iudæam aduentu intelligi oportere. Quod ita certum est, vt *Bellarminum* ipsum planè pudeat antiquæ vanitatis, & [c] agnoscat locis illis conuinci non posse, quod tamen veteribus tanto consensu visum est. In quo erratum esse reliqui quoque patres facillimè animaduertissent, si iudicio suo magis quàm *Irenæi* fide statuere voluissent. Porrò *Hieronymum* fefellit traditio illa, quòd Antichristus è Iudæis futurus esset, qui tamen quod apud reliquos consectaneum erat & coniunctum, sessurum illum Hierosolymis in templo Iudæorum, improbauit, & in Ecclesia sessurum interpretatus est: quod si attentè cogitasset, & illud quoque alterum de Iudæorum Antichristo protinus abnuisset. Sed in eo plùs & negligentiùs erratum est, quòd Antichristi regnum tribus annis & dimidio præcisè determinant, & numerum dierum apud *Ioannem* decretū esse profitentur, [d] *dies mille ducentos & sexaginta*, & tamen apud *Danielem* de Antichristo quædam intelligunt quæ cum isto calculo conuenire non possunt. [e] *Vsquequo visio, & iuge sacrificium & sanctuarium & fortitudo conculcabitur? Et dixit ei, Vsque ad vesperam & mane dies*

bis

y Gen. 49. 17.
z Iere. 8. 16.
a Hieron. quæst. Heb. in Genesim
b Idem in Ierem. lib. 2. cap. 8.
c Cap. 12. de Antichristo.
d Apoc. 11. 3.
e Dan. 8. 13.

f Hieron. in Dan. cap. 8.

bis mille trecentos. [f] *Hunc locum plerią; nostrorum,* ait Hieronymus, *ad Antichristum referunt.* Itane vero? Atqui dies bis mille trecenti sex annos & amplius efficiunt. Vbi ergò illud, Antichristum nonnisi tres annos & dimidium, dies mille ducẽtos & sexaginta regnaturum? Et Antichristo quoqúe attribuunt quod capite vltimo *Danielis* habetur, [g] *A tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium & posita fuerit abhominatio in desolationem, dies mille ducenti & nonaginta.* Quî id verò? cùm Antichristum credendum sit dies nonnisi mille ducentos & sexaginta substiturum. Quæ ita nullo modo conciliari possunt, vt ecstasin passi videantur qui hæc tam dissentientia cogunt in vnum, & omnia simul Antichristi causæ seruire compellunt. Quanquam & illud quoqúe nonnihil est quòd Antichristi tempus ita definiunt, & tamen ea narrant de regno Iudæorum adipiscendo, de templo Hierosolymitano ædificando, de orbe terrarum occupando, de Christi fide & cultu per totum orbem subuertendo, quæ nemo sanus vnquam credidisset in illis temporum angustijs expediri potuisse. Deniq; illud *Hilarij* vbi de Antichristo suscipiendo loquitur, [h] *Proprius iste Iudææ erit error,* quis existimet homini verba sua cogitanti excidere potuisse, cùm tam apertè scriptura denunciet facturum Antichristum *vt* * *bibant omnes gentes de vino iræ fornicationis eius, & errent in veneficijs illius?* Plura sunt eiusmodi apud veteres à primis ferè temporibus accepta, quæ si attentè posteri animaduertissent, & ad seuerioris iudicij stateram appendissent, castigassent ipsi libros suos, & longè alias nobis de Antichristo sententias prodidissent.

g Dan. 12. 11.

h Hilar. in Mat. can. 25.

* Apoc. 18. 3, 23.

6 Enimuerò nihil illis de Antichristo certum, nihil exploratum fuisse, palam ostendunt variæ & repugnantes sententiæ, quas siue falsas confingunt, siue veras coniectant, dum alij aliorum traditionibus acquiescere non possunt. De [i] numero nominis Antichristi quot ineptiæ prodierũt, dum suo quisq; cerebro indulget, de fontibus ipsis mysterij rationem haurire non curat? De Antichristi sede quàm variè locuti sunt? [k] *In Templo Hierosolymitano sessurum,* ait Cyrillus, *non in Ecclesia:* Oecumenius verò, [l] *in Ecclesia, non in Templo Hierosolymitano:* Chrysostomus, [m] *non solùm in Templo Hierosolymitano, sed etiam in Ecclesiis.* Et tamen alibi [n] *dubitabilem* esse ait interpretationem illam de Templo Hierosolymitano, quemadmodum etiam *Augustino* [o] *incertum* est, vtrum in Templo illo an in Ecclesia dicendum sit.

i Apoc. 13. 17.

k Cyril. Hierosol. catech. 15.

l Oecumen. in 2. Thess. cap. 2.
m Chrysost. in 2. Thess. hom. 3.
n Oper. imperf. in Matt. hom. 49.
o August. de ciu. Dei, lib. 20. cap. 19.

De

De Antichristi quoq; natura prodigia locuti sunt. [p] Alij *Neronem* esse putarunt denuò in orbem postliminio rediturum: alij putarunt [q] diabolum vel dæmonem futurum, quod sensit [r] *Hyppolytus* quidam, non antiquus ille Portuensis Episcopus, sed alter quidam suppostitius, heri natus ex incubo, qui quia puduit illũ nominis sui, deponenda censuit oua sua in nido alieno. Alij porrò, in quibus est [s] *Hieronymus*, etsi non diabolum putarunt, in eo tamen diabolum *corporaliter habitaturum* statuerunt. Duos porrò [t] testes quos aduersùs Antichristum decertaturos vulgò persuasum est: alij de duobus Testamentis exponunt, vt postea patebit: alij *Enoch* & *Eliam* intelligunt: alij cum *Elia Mosen* coniungunt; alij *Ieremiam*: *Hieronymus* Iudaizare putat, qui ad literam interpretantur. In tanta opinionum varietate, in tam distractis sententijs, quis Antichristi certam notitiã expectet, vbi qui sibi plurimorum iudicio standum arbitretur, nihil reperiat nisi quod vnus aliquis initio dixit, quem reliqui postea animi causa magis quàm certa ratione, magistrum & authorem secuti sunt?

7 Quanquam in hac incertitudine, dum aduentum Antichristi meditantur, & coniecturas quiq; suas exponunt, incidunt interdum in aliqua, quæ si comparentur cum Scripturis, certam Antichristi rationem informant, vt de illo ampliùs dubitari non possit. Nam quòd [u] Babylonem apud *Ioannem* Romanæ vrbis figuram portare aiunt; quòd Antichristum [x] sub occasu Romani imperij venturum; quòd imperaturum [y] decem illis regibus quibus imperium illud Romanum dispertiendum esset; quòd quidam [z] in Ecclesia sessurum affirmant; quòd illum Irenæus [a] Latinum fore verisimili coniectura suspicatur: hæc si accepta de fõtibus suis, & collata inter se ad rerum euentus accommodentur, insignem illum aduersarium ita conspicuũ reddunt, vt de illo non minùs constet, nisi sponte nostra cæci esse velimus, quàm solem constat meridie lucere. Quæ verò definitionibus istis de fermento hæreticorum, & priuatis hominum opinionibus admista sunt, ea non dubito quin ad [b] *efficaciam illusionis* pertinere debuerint, vt qui sacris oraculis non contenti, fidem sibi de placitis humanis petendam iudicarẽt, haberent in Patrum scriptis ad quod impingerẽt, & in incredulitate sua duriores & obstinatiores efficerentur. Nam quod rectè Tertullianus de Scripturis; [c] *Non periclitor dicere ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent*, cùm legam

p August. de ciui Dei, lib. 20. cap. 19.
q Hieron. in Dan. cap. 7.
r Hippol. orat. de consummat. mundi.
s Hieronym. in Dan. cap. 7.
t Apoc. 11. 3.
u Tertul. contra Iudæos.
x Idem de resur. carnis.
y Hieron. in Dan. cap. 7.
z August. de ciuitat. Dei. lib. 20. cap. 19.
a Iren. lib. 5.
b 2. Thess. 2. 11.
c Tertul. de de præscr. aduersus heret.

oportere hæreses esse, quæ sine Scripturis esse non possunt, hoc multò magis de Patrum scriptis affirmare audeamus, sic esse Dei voluntate disposita, vt quibus Christum è Scripturis callere non sufficit, è Patribus fallantur de Antichristo, & ei se submittant quem Scripturæ describunt, dum non alium illum futurum credunt quàm à Patribus acceperunt. Quod in alijs quoq; nonnullis fidei capitibus contigisse non dubitamus, cùm tam multa videamus apud Patres quæ superstitioni aditum aperiunt, & patrocinari videntur erroribus illis, quibus Antichristus orbem terrarum sibi subiectum & captiuum tenere debuit. Nam tantum illum seductorem instrumenta seductionis habere oportuit, nec veram fidem excludere valere, nisi in promptu ratio esset, qua mendacijs suis speciem veritatis & colorē afferre posset. Quare quod diuinis oraculis satis commodè assequi non potuit, humanis erroribus obtinere voluit, vt quæ veritate non posset, præscriptione temporis, & antiqua saltem consuetudine commendaret. Nam id inprimis Satanę curæ fuit, vt ab initio fundamenta regni sui substrueret, & corruptelis suis gratiam & authoritatem conciliaret. Quod ita calidè molitus est, vt Patribus ipsis nonnunquam fucum faceret, & specie quadam probabilitatis induceret ad ea probanda, quæ pòst illorū authoritate ad maximam pietatis iniuriam in Ecclesia retenta sunt. Qui etsi veram fidei doctrinam scriptis suis luculentissimè cōplexi sunt, & arma nobis abundè suppeditant quibus apostatarum & hæreticorum imposturas oppugnare possimus: tamen dum zizania quædam interserunt, & traditiones ac præsumptiones suas & alienas cum sanctissima Dei veritate coniungunt, arenas & calces præparasse videntur, quibus perfidiæ muros construeret Antichristus, & Babylonem suam ædificaret, qua Ecclesiā Christi ferreo tyrannidis suæ sceptro subiugaret.

8 Quare ne vlla nos antiquitatis fallat opinio, præmonendos curauit spiritus sanctus, [d] *mysterium iniquitatis* olim sub Apostolis operari cæpisse, & [e] iam tum Antichristi spiritum in mundo fuisse, vt falsa esse posse quæ videntur antiquissima, ac proinde de antiquis iudicium habendum esse sciamus, & quod Apostolicæ scripturæ testimonium non habet, etsi vetustate cum Apostolis certare posse videatur, non tamen ab Apostolis, sed à mysterio iniquitatis & Antichristi spiritu profectū esse non dubitemus. Id quod vel vno exemplo moneri possumus, quo Satan

d 2. Thess. 2. 7.
e 1. Ioh. 4. 3.

Satan viuentibus adhuc Apostolis perniciosam cœlibatus opinionem, horribilem postea ecclesiæ pestem, & prodigiosæ turpitudinis occasionem insinuare conatus est. Nam [f] presbyter quidam in Asia librum quendam tùm edidit quem inscripsit *Periodum Pauli & Teclæ*, in quo finxit Paulum Iconij prædicantem de virginitate, Teclam nobilem puellam in concione præsentem tantùm permouisse, vt nuptias quibus desponsata esset, recusaret, & voto se virginitatis obstringeret, & ob id ad iudicem raptam & ab illo damnatam nec ignibus cremari, nec à bestijs occidi potuisse, & postea comitem Apostolicæ peregrinationis extitisse. Ac presbyter iste conuictus apud Ioannem Apostolum quòd author esset libri, & confessus se hoc amore Pauli fecisse, loco deiectus est, & liber eius damnatus, atque inter fabulosa & Apocrypha computatus est. Quæ tamen fabula postea quantos viros fefellit, Cyprianum, Ambrosium, Epiphanium, Augustinum, qui pro vera historia librum illum susceperunt, eoque ad superstitiosam virginitatis admirationem vehementer allecti sunt. Ita maturè hostis ille rem suam egit, & Apostolicis nominibus pestifera consilia callidè ornauit, vt sanctissimorum virorum plus satis credula simplicitate, dum fraudes & dolos eius haud facilè suspicantur, faciliùs abuti posset. Et vidit ille quidem haud magni momenti ad fraudem esse potuisse, si hæreticorum tantummodò exosa nomina occupasset; ac proinde vt efficacior esset illusio, in illorum se chartas & commentarios clanculũ insinuauit, quorum, quia in Ecclesia insignes habebantur, maior apud posteros authoritas & existimatio futura esset. Itaque offudit illis tenebras interdũ, & hic illic astu circumuentos de via deduxit, vt ex illorũ erratis posterior ætas ruinæ grauioris & manifestæ apostasię occasionem habere posset. Qui tamen dum simplici errore, non maligna pertinacia de via discedunt, & quanquam stipulas & ligna superædificant pro auro & argento, subinde ad fundamentum respiciunt & in eo consistunt, iacturam operis sui faciunt, quod ignis verbi dei absumit & distruit, ipso verò salui facti sunt. Itaque quod de Cypriano & patribus Africanis dixit olim Vincentius Lyrinensis contra Donatistas, idem nobis de reliquis contra Papistas vsurpare licet: [g] *O rerum mira conuersio: authores eiusdem opinionis catholici, consectatores verò hæretici iudicantur: absoluuntur magistri, condemnantur discipuli: conscriptores librorum filij regni erunt,*

[f] Tertul. de baptismo. Hierony. in catal. script. eccles. in Luca.

[g] Vincent. Lyrinens. aduersus hæres.

aßertores verò gehenna suscipiet. Itaque nihil mouemur quòd stipulas & paleas suas Pontificij de patrum segete creuisse contendunt, neque mox Antichristi aliquid esse desinet, quod à patribus quibusdam receptum affirmatur, quia in illo Apostasiæ seminario quo patrum quoque agri nonnihil conspersi sunt, non Antichristum quidem adhuc, sed dispositionem esse oportuit ad regnum Antichristi. Quæ postea sub Papatu consummata, fefellit illos qui sententias suas de patrum scriptis quàm de scripturis sacris instituere maluerunt. Qui dum sementem illam erroris ab antiquitate perceptam carnalis ingenij gremio confouerunt, messem superstitionis ingentem ediderunt, & de febricula patrum teterrimam Ecclesiæ pestem enixi sunt. Quorum errorem sequantur necesse est qui scripturas de patrum tantummodo sententijs exponunt, non patrum sententias & dogmata ad scripturarum iustissimam & æquissimam stateram & lancem appendunt. Quod non ita dicimus quasi non intelligamus in scriptis antiquorum illorum grande momentum esse ad lucem scripturis afferendam: sed id tantùm volumus, literas illas scripturarum ancillas esse debere, non Dominas: non iudices qui sententiæ necessitatem imponant, sed indices qui admoneant, vt dissentire liberum sit, si quòd indicare videntur in scripturis ipsis inueniri non possit. Quod cùm patres ipsi nos tam vehementèr hortentur & moneant, eosdem profectò ipsos contra nos testes habituri sumus, si præsumptam ex illorum obliquitate aliqua perfidiam contra manifestam dei veritatem superbè sequamur. Atque hæc tenenda nobis est regula in causa illa peruestiganda quam proponimus. Neque enim de Antichristo vel Antichristi dogmate rectè sentire poterimus, nisi sacris scripturis quæstionem omnem ita sistamus, vt nihil apud nos authoritatem obtineat quod non ex illis fundamentis certissimis argumentis extructum sit: fiet enim alioqui, vt Antichristi falsa notione præoccupati, decipi nos ab impostoribus Ecclesiæ vocabulo sinamus, & pro Christo Antichristũ nomen Christi mentientem, adoremus. Quod vidit Chrysostomus, siue ille quicunq; author erat Operis imperfecti, quem Chrysostomi nomine interdum adduco, [g] Ecclesiæ Romanæ & maximorũ apud illam authorũ exemplũ secutus, qui locum apud Mattheum exponens, *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes*, ita sententiã reddit; [h] *id est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad scripturas. Montes*

g Sixt. Senen. biblioth. sanct. lib. 4.

h Chrysost. op. imperf. hom. 49.

Montes sunt scripturæ Apostolorũ aut Prophetarum. Et quare iubet in hoc tempore omnes Christianos conferre se ad scripturas? Quia in tempore hoc ex quo hæresis obtinuit Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neq; refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi scripturæ diuinæ. Antea enim multis modis ostendebatur quæ esset ecclesia Christi & quæ gentilitas: nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere quæ sit vera ecclesia Christi, nisi tantũmodo per scripturas. Quare? Quia omnia hæc quæ sunt propriè Christi in veritate, habent & hæreses in schismate: similitèr ecclesias, similitèr scripturas diuinas, similitèr episcopos cæterosque ordines clericorum, similitèr baptismum, eucharistiam & cætera omnia, denique ipsum Christum. Volens ergò quis cognoscere quæ sit vera ecclesia Christi, vnde cognoscat in tantæ confusione similitudinis nisi tantummodo per scripturas? Item antea & per signa cognoscebantur qui erant veri Christiani, qui falsi. Quomodo? falsi aut non poterant facere signa, sicut veri Christiani, aut talia non poterant qualia veri Christiani, &c. Nunc autem signorum operatio omninò leuata est: magis autem & apud eos inuenitur qui falsi sunt Christiani fieri ficta. Sicut autem Petrus *apud* Clementem *exponit, Antichristo etiam plenorum signorum faciendorum danda est potestas. Item ex moribus ipsis prius intelligebatur ecclesia Christi quando conuersatio Christianorum aut omnium aut multorum erat sancta quæ apud impios non erat. Nunc autem aut tales aut peiores facti sunt Christiani quales sunt hæretici aut gentiles. Adhuc autem & maior continentia apud illos inuenitur quàmuis in schismate sint, quàm apud Christianos. Qui ergò vult cognoscere quæ sit vera ecclesia Christi, vnde cognoscat nisi tantummodo per scripturas? sciens ergò Dominus tantam confusionem rerum in nouissimis diebus esse futuram, ideò mandat vt Christiani qui sunt in Christianitate volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant nisi ad scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ sit vera ecclesia, & per hoc incident in abhominationem desolationis quæ stabit in sanctis ecclesiæ locis.* Planè diuina sententia, & animaduersione omni dignissima, quam integrã subijcere volui ad disputationem hanc nostram præmuniendam aduersus calumnias Papistarum, vt intelligant nos optima ratione, & patribus ipsis probatissima docere, controuersiam omnem de Antichristo non de hominum quorumcunque coniecturis, sed de scripturis diuinis definiendam esse: illic periculum esse, ne in abho-

minationem desolationis per errorem incidamus; hic tantummodò nos securos esse, & veram Christi ecclesiam cui nosmet adiungere debeamus, ab Antichristi turba distinguere doceri. Quod tamen ne desperatione dictum videatur, quasi de Antichristo ea disseramus quæ nusquam hactenus in Ecclesia audita sunt, rem totam patrum testimonijs ita munitam constituemus, vt qui assertiones nostras & Pontificias vtrinque de patribus acceptas inter se contulerit, & ad scripturarum iudicium reuocarit, planè perspiciat, nos veras & germanas patrum sententias; illos tantummodò opiniones temerè susceptas, adeoque etiam hæreticorum leuissima somnia consectari. Quare vt tandem causam ipsam agamus, demonstrationem Antichristi quam præfixo titulo pollicemur, ita proponimus: *Cui notæ omnes Antichristi conueniunt, is est Antichristus. Romano Pontifici conueniunt notæ omnes Antichristi: Romanus ergo Pontifex est Antichristus.* Maior controuersiam non habet; in minori sudabit opera nostra. Certè Antichristi nomen, locus, tempus, habitus, actus, doctrina, quibus sex articulis continentur omnia quæ in hoc negotio dicenda sunt, omnia demonstrant Romanam ecclesiam esse Antichristi synagogam, Pontificem Antichristum, fidem eius perfidiam, statum apostasiam. Quod vt planè liqueat, de singulis ordine suo videamus.

CAP. 2.

De nomine Antichristi literali & mystico quod asseritur non esse proprium sed appellatiuum: contra Bellarmin. *de Rom. Pontif. lib. 3. cap. 1. 2. & 10.*



Ntichristum ex etymologia nominis [a] *Christo contrarium*, siue Christi aduersarium interpretamur. Cuius vocabuli primus author *Ioannes* Antichristos appellans non hostes extraneos sed domesticos hæreticos, vsum illius ita nobis aperuit, vt Antichristum non quemcunque aduersarium, sed illum tantùm intelligamus, qui [b] *sub nomine Christi, hoc est, Christianum se videri volens, superextollitur contra Christum.* Ita minores illi Antichristi dicti: Ita vnus ille maior cæteris, cuius in cæteris pictura quædam & imago præuisa est. Neque verò reijcimus quod

a August. in 1. Ioan. tract. 3. Hilar. lib. cont. Arianos & Auxent.

b August. cont. aduersar. leg. & proph. lib. 2. cap. 12.

vir doctissimus *Wolfangus Musculus* eruditè animaduertit,[c] *Anti- christum dici non solùm qui Christo aduersatur, verumetiam illum qui pro Christo Ecclesiæ se obtrudit.* Quod vellicat quidem *Bellarminus* & rodit more suo, quia videt eo Pontificis sui causam periclitari, sed certo argumento refellere non potest. Certissimum est enim præpositionem ἀντὶ non oppositionen solùm aut æquiualentiam, quæ agnoscit *Bellarminus*, sed etiam vnius rei pro altera substitutionem denotare. Exemplum habemus apud Euangelistam,[d] *si piscem petierit*, μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; *num pro pisce*, siue *loco piscis dabit ei serpentem?* Allusit fortasse ad Græcorum illud adagium ἀντὶ πέρκης σκορπίον: *pro perca* (pisce) *scorpionem.* Cuiusmodi illa quoque sunt, ὁ βοῦς ἀντὶ οἰκέτου πένησι: *bos pro seruo*, siue *serui loco est pauperibus.* ἀντὶ χαρίεντος ἰατροῦ κακὸς ποιητὴς καλεῖσθαι ἐπιθυμεῖς: *pro venusto medico malus poeta dici cupis.* Eandem in compositione vim habet. ὁ βάλανος, *glandem* significat: ἀντιβάλανος, pillulam quam [e] *gallam* appellant, quam quercus glandis loco profert. ἀντίσποδος, cinerulam metallicam designat: ἀντίσποδος, [f] *quod simili virtute pollet vt in spodij locum sufficiatur.* ἀντίφρουρος, *qui est loca loco custodis.* Sic ἀντιστράτηγος, ἀντιβασιλεύς, *qui vicem & locum imperatoris & regis* siue obit siue vsurpat. Iam verò de substitutione nihil omninò *Bellarminus*; subordinationem tantummodò negat. Falso illud quidem, quod ipse non nescit, quia dicuntur οἱ ἀντιβασιλεῖς de quibus ipse ait: [g] *Rex mittit proreges ad prouincias*, quos quia mittuntur à rege & nomine regis, & nonnisi delegata ab illo potestate, omnia exequuntur, regi non æquales sed subordinatos & subiectos fateatur necesse est. Sed quorsum tandem exceptio illa de subordinatione? Neque enim nos de subordinatione laboramus; quibus longè abest vt illum quem Antichristum esse dicimus, Christo subordinatum intelligamus. Satis ad causam est, vt præpositio ἀντὶ substitutionem quamcunque notet, siue à seipso quis per vim & fraudem subornatus, siue ritè ac legitimè subordinatus sit. Quare nihil impedit *Bellarmini* disputatio, quin magnum illum Antichristum complexa significatione dictum intelligamus, qui cùm Christi sit aduersarius & æmulus, se tamen, vt fallat immunius, in Christi locum supponit, & Christi se vices & partes agere profitetur, vt arbitrentur omnes ei se tanquam Christo & Christi nomine famulatum & obsequium præstare teneri. Certe proditoribus solenne est principum suorum nomine copias conuocare & conscribere, quas contra principes suos

c Wolf. Muscul. loc. comm. de minist. eccl. siz.

d Luk. 11. 11.

e Plin. hist. natur. lib. 16. ca. 6. & 7.

f Dioscor. lib. 5. ca. 46. Plin. hist. nat. li. 34 ca. 13.

g De Rom pont. li. 3. cap. 20.

ſuos educant, vt nihil mirum ſit ſi perfidus iſte, qui citra Chriſti nomē parùm ſe apud Chriſtianos profecturū intelligit ni Chriſti nomen ſe induat, & eius in terris partes agere præ ſe ferat. *Antiochus Epiphanes* in quo typum Antichriſti fuiſſe Antiquitas iudicauit, cùm regnum Ægypti *Ptolomeo* puerulo relictū ſpe iam atq; opinione tanquam expoſitā ſibi prædā deuoraſſet, rem ſibi arte tractandam ſentiens, nonniſi tutorē ſe agere velle, & [h] *pueri rebus prouidere* ſimulauit. Verùm hoc prætextu *prudentes cogitationes eorum qui duces pueri erant, ſua fraude ſubuertens, Ægyptum omnem ſibi ſubiugauit.* Quidni Antichriſtum ipſum pari ratione facturum putemus, vt tutelæ nomine Chriſti regnum occupet, & dùm ſe res Chriſti curare fingit, ſacrilega vſurpatione in rem ſuam omnia conuertat? Et Antichriſtum quidem cùm prætextu nominis Chriſti venturum ex illis [i] Antichriſtis conſtat quos *Ioannes* commemorat; *Pſeudapoſtolis, Ebionitis, Cerinthianis, Nicholaitis* & cæteris, quibus conſuetum erat omnibus Chriſtiani nominis velamenta conquirere, & contra Chriſtum Chriſti fidem & diſciplinam oſtentare. Quum enim per illos affirmat magnum illum quem quærimus Antichriſtum iam [k] tum in mundo extitiſſe, docet eiuſdem cum illis ingenij futurum, & talem eſſe epectandum qui ſpecimen quod in illis præceſſit imitetur & adimpleat, & nomen Chriſti contra veram Chriſti fidem, ſplendidiùs tamen & aſtutiùs mentiatur.

h Hieron. in Danie. cap. 11.

i 1. Ioan. 2, 18.

k 1. Ioan. 4. 3.

2 Hæc verò notatio nominis Antichriſti, ſi illam integram accipiamus, (qui volet, ſimpliciùs interpretetur Antichriſtum, Chriſto aduerſum) quadrat in illum optimè, quem eſſe verum illum Antichriſtū (Deo iuuante) demonſtrabimus; Romanum dico Pontificem, qui ſe eſſe caput Eccleſiæ Chriſti, Chriſti vicem implere, Chriſti munus in terris obire gloriatur: ſe illum eſſe cui Chriſtus Eccleſiam ſuam *cum* [l] *plenitudine poteſtatis* (in qua regalis Chriſti honor eſt poſitus) *tradidit gubernandam*: interim verò Chriſtum quoad poteſt de regno deturbat; Chriſti leges refigit, vt figat ſuas: Chriſti nomē relictū in vocibus expungit è cordibus, vt pingat ſuum, vt plus reuerētiæ Pontifici habeatur Chriſti nomine, quàm ipſi Chriſto; plùs illius placito pareatur & iuri Canonico quàm Chriſti Euangelio; plùs metuatur fatuus ignis illius ſiue bullatus ſiue purgatorius, quàm ignis æternus. Quod autem excipit Bellarminus, Rom. Pontificem *non ſe hoſtem & æmulum Chriſti, ſed vicarium & famulū profiteri*, planè frigidum

l Bulla Pij 5. contra Elizabetham reginam.

frigidum est & puerile suffugiū, cùm possit qui se vicarium prædicat, agere perduellem, & hostis esse qui voce tamen & vultu amicus est. Neque verò est vlla perfidia capitalior, aut cum Antichristi negotio coniunctior, quàm quæ mellitis verbis fraudem occultat; quæ dum osculum prætendit, gladium intorquet in viscera; dum inuitat ad epulas, venena præparat, & diræ mortis exitium meditatur & struit. Num illud (Bellarmine) Romanum Pontificem excusat quo minùs Antichristus habeatur, quia *se Christi famulum & subiectum Christo in omnibus fatetur?* Ecquid aliud agit hoc ipso quàm *Arius* & *Eutiches* & *Nestorius*; immo quàm *Marcion* & *Manichæus*, & reliqua omnis hæreticorum turba? quos si confodere velis tanquam mendaces & perfidos, necesse tibi est per illorum latera tuum quoque Pontificem vulnerare. Næ tu es argumentis miserrimè destitutus, qui tam stultè arguis; Pontifex se Christi famulum & ei se in omnibus subiectum fatetur; igitur Antichristus, id est, Christi aduersarius esse non potest: cùm sit hoc Satanæ familiare, [m] *transfigurare se in Angelum lucis*, & domesticis Christi hostibus, qualis est Antichristus, maximè compendio ad fraudem esse soleat, Christi se interim famulos, illiq; per omnia subditos profiteri: [n] *Non est vir in domo; non est Christus*, inquiunt, *corporaliter in Ecclesia: surgens enim à mortuis ascendit in cælum, nobisq; ministerium gubernandæ Ecclesiæ, suam videlicet domum reliquit*. Quod sibi Pontifex tuus, vt est hæreticorum omnium facilè princeps, speciali prerogatiua suū esse pretendit. Cæterum vt dicam paucis, Antichristum certissimum est per summam hypocrisin rem acturum, vpote quem venturum edocti sumus * *in omni deceptione iniquitatis, ita vt* * *seducat, si fieri possit, ipsos electos*. Quare dubitari non potest quin eam sit rationem adhibiturus, quæ est ad fallendum expeditissima & tutissima. Nulla est autem ad fraudem via procliuior & opportunior apud Christianos, quàm vt Christi se vicarium & famulum prætendat, & illius auspicijs omnia facere pre se ferat. Ita illum orbis Christianus propensiùs admittet, quem siquidem apertè se Christum ostentet, resistentem sine dubio & impietati ac blasphemiæ tam manifestæ, repugnantem habiturus est. Neque enim possibile est, inueteratam per tot secula Nominis Christi celebritatem deperire subitò, & ex animis hominum atq; opinione reuelli, vt nouo Christo, nuper nato, terræ filio cultus & veneratio deferatur. Quare

m 2.Cor.11.14.

n Hieron. in Prou.cap.7.

* 2.Thess 2.10.

* Matt.24 24.

quòd Pontifex se Christi vicarium & famulum prædicat, nihil impedimenti affert quominùs idem ipse sit Antichristus. Nam quod ais, Bellarmine, Antichristum affirmaturum se esse Christum, Pontificem autem non se Christum vllo modo dicere, aut ei se parem facere, falsum pariter & otiosum est. Nam Christum se aliquo modo dicit, qui se esse dicit [o] *sponsum &* [p] *caput Ecclesiæ*, quod nonnisi Christus est; se [q] *Christum nobis repræsentare qualis hic erat inter homines; habere illud officium quod habuit Christus, cùm in terris inter homines humano more viueret.* Veruntamen vt se Antichristus Christum dicat, non vocibus agitur sed rebus ipsis. [r] *Non audio quid sonet*, ait Augustinus, *sed video quid viuat. Opera loquuntur, & verba requirimus? Quis enim malus non bene vult loqui?* Bene loquendo tegit improbitatem Antichristus, quam vsque ad cœlos opera proclamant, vt quantumlibet in Deum insaniat, tamen haud facilè illum orbis suspectum habeat artificiosa pietate Sirenum cantus dulcissimè modulantem. Cæterùm illa omnia quæ commemoras Antichristi propria, Christum abnegare, Se Christum prædicare, Extollere se supra omne quod dicitur Deus, postea demonstrabimus, non sono verborum, sed rerum momento ponderari, vt qui Christum ex cerebro suo fingit, aliamq́; fidem Christi nomine conscribit; qui Dictatoria potestate diuina omnia sibi subijcit, & sua decreta cogit obseruantiùs quàm Christi præcepta seruari, qui denique sibi arripit quouis modo quod nonnisi Christi est, supra Numen se efferre, & se in Christi locum substituere dicatur, etsi non enunciet conceptis verbis, *Ego Deus; Ego sum Christus.*

o Extrau. Ioan. 22. cap. Cum inter. in glossa.
p Extrau. de maior & obed. cap. vnam sanctam.
q Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 5 cap. 4.
r August in epist. Ioan. tract 3.

3 Est autem aliud Antichristi nomen mystico numero præsignatum à Ioanne, cuius inuestigatio iam olim torsit antiquos, & doctorum hominum sensus plurimùm exercuit. De quo tamen aliquid in coniecturis illorum temporum Deus extare voluit, quod rectà nos, siquidem attendamus, ad illius mysterij explicationem deducat. Locus est apud *Ioannem* in Apocalypsi: [r] *Qui habet intelligentiam, computet numerum bestiæ: numerus enim hominis est; & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Vbi cùm *numerum hominis* appellat, talem proculdubio esse significat, qui ab homine possit ratione & ingenio peruestigari. Porro *numerum bestiæ* versu superiore, vt alibi quoque designat esse [s] *numerum nominis bestiæ*, vt sciamus infirma esse, nec constare posse quæ homines

r Apoc. 13. 11
s Apoc. 15. 2.

nes alioqui eruditi pro hoc numero siue ad initium siue ad durationem Antichristi applicando disputarunt.

4 Cæterùm de nomine Antichristi definiri nihil poterit, nisi illud primò expediatur, non proprium nomen & singulare requirendum esse quod vni tantùm conueniat, sed appellatiuum quod multis commune sit. Quod enim affirmat *Bellarminus* Antichristum [t] *vnum quendam hominem & singularem* esse debere, non à vero solùm, sed etiam à verisimili prorsùs abhorret. Id vt constet, sciamus oportet visione [u] *bestiæ* apud *Ioannem* Romanę vrbis statum & principatum vniuersum designari. Quod post maximos authores *Bellarmino* quoque visum est, qui [x] bestiam illam *Danielis* in *decem cornua* exeuntem cum ista confundit, & disertè, quia sic necesse habuit, de Romano imperio interpretatur. Huius autem bestiæ *septem capita* numerantur, quæ ab Angelo de *septem regibus* Romanis exponuntur. Vbi de regum nomine semel & semper admonendum est, non eos tantummodo reges dictos esse qui communi stylo scribuntur reges & nominantur, sed principes quoscunque politicos qui summum penes se magistratum & regimen habent. Tales erant Romæ primò nomine ipso reges, post regis nomen expulsum Consules, Tribuni, Decemuiri, Dictatores quibus numerus regum quinarius expletur. De septem ergo illis regibus [y] *quinque ceciderant ante Christum*; *sextus in aduentu Christi eminuit*; septimus in occasu sexti venturus esset. Iam verò *quinque illi reges* qui ceciderant ante Christum, & *sextus* quem Christus regnantem inuenit, non singuli reges, aut sex homines singulares, sed principatus sex, & succedentium in singulis principatibus regum; hoc est, summorum illius reipub. moderatorum series & decursus intelliguntur. Quæ nunc ergò ratio persuadeat, vt cùm sex illa capita priora de regum successione singula accipiantur, septimum, quod Antichristũ omnes exponunt, de singulari homine tres duntaxat annos & sesqui regnaturo intelligamus? Quod quidem eò minùs probabile est, quia in septimo illo rege docemur [z] *imaginem* sexti esse repetendam. Imperium enim Romanum *Bestia* dicitur; Antichristi status *imago Bestiæ*. Status ergo Antichristi referre debet imperium Romanum, vt caput eius vnum sit, non vnitate personæ, sed singularum personarum vnius post alteram in eandem potestatem successione. Porro illa orbis dementatio qua gentes omnes & populos & reges inducet

t Cap. 2.

u Apoc. 13. 1. & 17. 7.

x Cap. 5. de Antichristo.

y Anglorhemen. annot. in Apoc. 13. 1.

z Apoc. 13. 14.

Antichristus, vt stupra cum ipso & fornicationes exerceant, non vnius seculi opus est, non opera vnius hominis, sed insinuata paulatim & sensim apostasia perficienda est. Quum enim [a] *fornicationes* legimus, quum meretricem audimus, non tam vim & coactionem, quàm sollicitationes, & blandimenta, & lenocinia, & meretricias artes cogitamus. Si repentè Antichristus nouum Deum ostentet, si fidem nouam procudat, noua mysteria obtrudat, refugerint illum gentes & abhorruerint, nec erit tam expeditum orbem terrarum peregrinitate dogmatum & fidei nouitate perculsum sacris suis hactenus inauditis obligare. Obstupescit enim ad motus repentinos animus humanus, & quæ conscientia religionis insederunt, haud facilè nisi tractu temporis & longa negligentia, & instillata quasi guttatim malitia remouentur. Quod illi non animaduertunt qui Antichristum vnum hominem & triennalem nobis narrant, quem vix credibile est cum suis natiunculam vnam aliquam ab auita impietate tam subitò amouere, & ad sua nouarum deuotionum sacrilegia posse deducere.

a Apoc. 17. 2, 5.

5 Quod tamen Bellarminus præ cæteris asserere conatur, Scripturarum testimonijs abutens vt fidem faciat Romano Pontifici nomen & rationem Antichristi conuenire non posse. Id affirmat primùm ex verbis Christi apud Ioannem: [b] *Ego veni in nomine patris mei & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Hic verò locus, *Bellarmine*, quid tandem ad Antichristum? Tu nomina quidem apponis quorundam qui de Antichristo illum exponunt, sed non mouemur nuda nominum authoritate sine momento rationum: quanquam rationem quoque afferre videri vis, cùm verè nullam afferas. *Dominus*, inquis, *opponit sibi alium hominem, hoc est, personæ personam, non regnum regno, nec sectam sectæ, vt patet ex illis vocibus, Ego, alius: me, illum, in nomine meo, in nomine suo, sicut ergò Christus vnus & singularis homo fuit, ita quoque Antichristus esse debet.* At qui tandem constabit hîc personam personæ, hoc est, vnum vni opponi debere? Christus quidem vnus est, nec potest intelligi præterquam vnus: at *alius à Christo* infinitam habet significationem, & poterit hunc & illum & alterum notare, & distributiuè omnem qui Christo aduersus est. Itaque clarissima exit sententia, *si alius venerit in nomine suo*, hic aut ille aut quicunque, illum recipietis. Et *alium* quidem cùm dicitur numero singulari,

b Ioan. 5. 43.

lari, pluraliter tamen intelligi posse patet ex eo quod alibi legimus apud Ioannem; vbi quod dicit Christus, [c] *Alius est qui seminat, alius qui metit*, mox mutata sententia reddit: *Alij laborauerunt & vos in eorum labores introistis*. Et Apostolus Paulus vbi Iudæum appellat [d] *ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium*, pluralia ista *cæcos, tenebricosos, insipientes, infantes* numero singulari concludit, *Tu qui alium doces, teipsum non doces*. Christus quoque cùm dicit: [e] *Ego sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis: Mercenarius autem videt lupum venientem & dimittit oues & fugit*; an quia sibi vni & singulari *Mercenarium* singulari quoque numero opponit, idcirco tibi vnam aliquam & certam personam mercenarij vocabulo notare videtur? Quod si non dixeris & vtique non dixeris, nec illud nisi peruersè asserere poteris, *aliũ* in verbis Christi de vnico tantùm homine sumi debere, quia Christus se singulariter ex vna parte nominat, *alium* ex altera. Quid autem moramur qui teipsum habemus contra te confitentem, *alium* istum de multis accipi oportere? Tuipse namque de Antichristo exponis quod apud Matthæum legimus: [f] *Multi venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus*. [g] *Matthæi*, inquis, *vicesimo quarto Antichristus dicitur affirmaturus seipsum esse Christum*. Quod si de Antichristo exponendum sit, *Multi venient in nomine meo, &c.* certè Antichristus non vnus & singularis, sed alius & alius in multitudinem vsque intelligendus est. Et est quidem in altero horum locorum alterius explicatio, & quod apud Ioannem legitur, *si alius venerit in nomine suo, &c.* idem ipsum est quod apud Matthæum habetur, *Multi venient in nomine meo, &c.* Vtroque notantur propriè præstigiatores illi qui Iudæis postea fraudem fecerunt, quales fuisse legimus *Simonem Magum*, & *Theudam*, & Ægyptium illum, & *Barchocebam*, & reliquos illos magos & impostores, qui dum se Christos & Prophetas & liberatores confictis quibusdam miraculis ostentarunt, cæcam & insanam Iudæorum turbam ad seditiones incitarunt, & hostium manibus perdendos tradiderunt. Et hoc quidem iustissimo Dei iudicio, vt qui verum Messiam & seruatorem impiè repudiassent, quasi veterno quodam correpti & communi sensu quodammodo priuati, vltrò se nefarijs seductoribus illudendos exhiberent. Quæ autem videtur illorum locorũ repugnantia, *Multi venient in nomine meo*, & *alius veniet in*

[c] Ioan. 4. 37.
[d] Rom. 2. 19.
[e] Ioan. 10. 11.
[f] Mat. 24. 5.
[g] Cap. 1. de Antichristo.

in nomine suo, facilè conciliatur, si prout *nomen* ambiguæ significationis est, in altero loco intelligamus nebulones illos sibi quemque Christi seu Messiæ nomen indituros: in altero venturos illos non patris nutu, imperio, voluntate, tanquam illius voluntatem Christi exemplo facturos, sed motu suo, suo cerebro, & sui furoris amentia impulsos. Quo tollitur altera exceptio *Bellarmini* ludentis, vt solet, amphibolijs, & lectori caliginem offundentis. *Omnes*, inquit, *Falsi Prophetæ venerunt in nomine alterius, non in nomine suo.* Ier. 14 *falsi Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos. At hîc dominus loquitur de vno quodam qui veniet in nomine suo, id est, qui non agnoscet deum aliquem, sed extollet se, vt Paulus ait, super omne quod dicitur Deus.* Atqui non debebas, *Bellarmine*, Christum cum falsis prophetis coniungere pro via mendacijs tuis & fraudibus munienda. Certè quod Christus ait, *Ego veni in nomine patris mei*, & quod alibi quoque de Christo dicitur: [h] *Benedictus qui venit in nomini domini*, diuisum quiddam habet & proprium quod falsis Prophetis attribui non potest. Vaticinantur illi quidē in nomine Domini, quia nomen Domini vaticinijs suis obtendunt, semper habentes in ore, [i] *Hæc dicit Dominus*. Sed *non misi eos*, dicit Dominus, eoque veniunt *in nomine suo*, nullius scilicet præterquam sui nominis authoritatem habentes. Christus ergò venit in *nomine patris*: missus scilicet à patre, mandatum habens à patre, virtute patris suffultus & verè munitus authoritate nominis illius Quod ergò dicitur *alius veniet in nomine suo*, ad legem oppositorum intelligendum est: veniet nimirum suis auspicijs, arbitrio suo, nullum habens à Domino mandatum quo nomen eius iustè pro se opponere, sibique fidem & authoritatem vendicare possit. Quod cùm pseudoprophetis omnibus commune sit, nihil est cur hîc statuas disignari aliquē qui hoc iudicio à reliquis omnibus discriminandus sit. Immo venturum Antichristum more pseudoprophetarū omnium *in nomine domini*, tuipse non diffiteris, qui de Antichristo accipis, vt suprà dictum est, quod habetur apud Matthæum: *Multi venient in nomine meo, &c.* & inde colligis quòd *Antichristus seipsum esse Christum affirmaturus sit*. Quòd si sepulto suo nomine, Christi sibi nomen & Dei, vt tu vis, arrepturus sit, & se Christum ac Deum affirmaturus, quò vestra omnium defensio semper tendit, qua tu illum ratione *in nomine suo* venturum interpretaris, nisi quam à nobis habes traditam loci

h Mat. 21. 9.

i Ezech. 13. 6. 7.

loci illius ſententiam ſequaris? Ineptiſſima eſt enim expoſitio tua; *veniet in nomine ſuo*, id eſt, *nullum Deum agnoſcet ſed extollet ſe, &c.* cùm eum defendas dei nomen vſurpaturum vt extollat ſe, quia in ſuo nomine non ſatis ſe præſidij habiturum confidet. Quàm verò falsò affirmes Antichriſtum Deum nullum agniturum, poſtea, ſi Deus voluerit, demonſtrabimus ſuo loco. Interim vbi ais, *Chriſtus hic dicit, Antichriſtum à Iudæis pro Meſſia recipiendum: conſtat autem Iudæos vnum & certum hominem ſingularem expectare*, præſumis arte ſophiſtica quod tibi probandum eſſet, & de quo probationem nullam afferre potes. Neq; enim quicquã habes vel hîc vel alibi de ſcripturis quo confirmes Antichriſtum à Iudæis pro Meſſia vel quoquo modo recipiendum eſſe. Hunc autem locum de multis illis intelligi Iudæorum Pſeudochriſtis magnarum illis calamitatum authoribus iam declaratum eſt, vt nihil adhuc habeas quo ſingularem tuum & ſolitarium Antichriſtum propugnare poſſis.

6 Quod verò proximè affers de Græci articuli poteſtate, ita mehercle puerile eſt & ineptum, vt planè pudere debeat te tantum hominem tam ſupra modum delirare. *Apoſtolus*, inquis, *ad* Theſſalonicenſes loquens de vero Antichriſto, loquitur de certa quadam & particulari perſona, vt patet ex articulis græcis, ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας: ὁ ἄνομος &c. vt enim docet *Epiphanius*, *articuli græci contrahunt ſignificationem ad vnam rem certam, ita vt* ἄνθρωπος *ſignificat hominem in communi*, ὁ ἄνθρωπος, *hominem ſingularem.* *Epiphanij* verò ſententia, *Bellarmine*, longè aliter ſe habet quàm tu vrges: [k] *Vbi*, inquit, *articulus additus eſt in vno aliquo determinato ac manifeſtiſſimo, omnino confirmatio propter articulum contingit. Citra articulum verò de vno quocunque tandem indefinitè accipiendum eſt: veluti verbi cauſa, ſi dixerimus* βασιλεύς, *id eſt, rex, nomen quidem ſignificauimus, ſed non clarè eum qui determinatur, oſtendimus. Regem enim dicimus & Perſarum & Medorum & Elamitarum: ſi verò diximus addito articulo*, ὁ βασιλεύς, *minimè ambiguum eſt ſignificatum. Nam rex de quo quæritur, aut de quo dicitur, aut qui cognoſcitur, aut alicuius imperium habens per articulum indicatur. ſic etiam cùm dixerimus* ἄνθρωπος, *id eſt, homo, &* ὁ ἄνθρωπος. Iam quod *Epiphanius* eruditè monet, tu improbè peruertis, & manifeſta fraude, quod apud illum eſt *certum & determinatum*, tu indiuiduum & ſingulare eſſe prætendis. Verum quidem eſt quod ait *Epiphanius*, vbi de re certa & determinata agitur, rem illam certam

k Epiphan. hær. 9. Samaritæ.

certam de qua dicitur, aut quæritur adiectione articuli demonstrari solere. Non est verum quod tu affers, vbicunque reperitur articulus adiunctus rem certam demonstrari, aut quæ certa demonstratur, indiuiduam & singularem esse oportere. ἄνθρωπος hominem communitèr notat, & totam speciem comprehendit: articulus adiunctus, ὁ ἄνθρωπος, interdum abundat & restringendi
l Luc.4 4. vim nullam habet, vt Luc.4 4. οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος; l *Non ex solo pane viuet homo:* interdum hominem certum & indiuiduũ
m Ioan 19. 5. quasi digito monstrat, vt *Ioan.19.5.* m ἴδε ὁ ἄνθρωπος: *ecce homo:* interdum certæ rationis aut cõditionis hominem hunc aut illum
n Matt.12.35. indefinitè significat, vt *Matt.12 35.* n ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος &c. ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά: ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος &c. ἐκβάλλει πονηρά. *Bonus homo &c. profert bona: malus homo &c. profert mala.* Qua tu ergò fronte dicis propter adiunctum articulum nonnisi singularem hominem intelligi debere? Cæterùm vt liqueat tibi error tuus, & tergiuersandi locus nullus relictus sit, verte mihi epistolam ad Hebræos, vbi capite
o Heb.9.7. nono ita legeris: o *In secundum (tabernaculum) semel quotannis*
p Vers.25. μόνος ὁ ἀρχιερεύς, *solus pontifex ingreditur.* Et iterum ibidem: p *Non vt sæpe offerat semetipsum,* ὥσπερ ὁ ἀρχιερεύς, *sicut pontifex ingreditur in sacrarium quotannis &c.* Nonne vides, licet addito articulo, non vnum aliquem è Pontificibus, sed totam Pontificum seriem & successionem denotari? Quid ni ergo ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας &c. non vnum aliquem hominem & singularem, sed certam hominum seriem designet in eadem cathedra pestilentiæ sibi inuicem succedentium?

7 Eadem opera ruit quod astruis ex Epistola *Ioannis. Primæ* Ioannis *secundo*, inquis, *sic legimus*, ἠκούσατε ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν: *vbi articulum*, inquis, *præponit Antichristo propriè dicto: sine articulo verò effert nomen Antichristi communitèr accepti: apertissimè indicans Antichristum propriè dictum esse vnam personam certam: Antichristum verò communitèr acceptum non esse certam personam, sed in genere omnes hæreticos.* Nos verò libentèr tibi concedimus articulo vim restrictiuam attribui debere, vt ὁ ἀντίχριστος certum quendam Antichristum designet, ab illa Antichristorum promiscua turba distinguendum. Immo si id velis tuis verbis, agnoscimus certam hîc personam indicari. Nam in corpore ciuili vel Ecclesiastico, quale est de quo nos agimus, certa persona non vno continetur hominis indiuiduo, sed hoc aut illo loco perpetua successione quemcunq; designat. Singuli

homines

hominesmoriuntur, corpus manet & membra certis officijs & nominibus distincta. *Moses*, vbi scripsit in lege, [q] *adducendum esse ad sacerdotem qui de lepra mundatus est*, certam personam vocabulo *sacerdotis* indicauit; vnicum hominis indiuiduum non dixit. Qui ministrum Ecclesiæ in certis causis consulendum præscribit, personam definit certam, quam tamen subeunt successiuè plures homines singulares. Nos ergò certum illum Antichristum, siue certam personam quæ Antichristi vocabulo subiacet, Pontificem Romanum esse contendimus, nec tibi grammatica tua quicquam subsidij feret quominus vt ὁ ἀρχιερεὺς de tota serie Pontificum Iudæorum, ita ὁ ἀντίχριστος de tota Pontificum Romanorum successione dici possit. Quum verò pronomen *ille* vim græci articuli ad viuum exprimat, quid est quod dicere quemquam impediat de Romano Pontifice, Ille, ille est qui Ecclesiam vexauit & perdidit; qui legibus suis Christi leges euertit: qui imperatores & principes calcauit, vt citra impedimentum in Ecclesia tyrannidem exerceat; qui tamen non singularem aliquem Pontificem, sed integrum apostatarum illorum ordinem velit intelligi? Quanquam vt argumentũ tuum futile & ineptum esse sciatur, illud porrò obseruamdum est, Antichristi nomen adiuncto articulo interdum efferri, vbi tamen de magno illo Antichristo magis quàm de cæteris intelligi non debet. Locus est 1 Ioan.2. [r] *Quis est mendax nisi qui negat Iesum esse Christum?* οὗτός ἐστιν ὁ ἀντίχριστος: *hic est Antichristus.* Et alter Epist. 2. [s] *Multi impostores ingressi sunt in mundum qui non confitentur Iesum Christum in carne venisse:* οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος. *Hic est seductor & Antichristus.* Quibus locis manifestum est *Ioannem* de illorum quoque temporum hæreticis agere, & nomine τοῦ ἀντιχρίστου nihil aliud velle quàm pro egregio quodam impostore & Antichristo habendum esse quemlibet eorum quos permultos fuisse narrat, qui negarent Iesum esse Christum, vel Iesum Christum in carne venisse. Tantum verò abest vt ibi vnus ille tantummodo Antichristus intelligendus sit, vt [t] loca illa *Augustinus*, *Oecumenius*, *Aquinas*, ex glossa communi de *Simone Mago*, de *Valentino* hæretico, de *Iudæis*, de omnibus exponant qui *mandatis domini Iesu Christi obtemperare contemnunt.* Quare tu fumos nobis vendis, *Bellarmine*, planè dignus qui fumo pereas. Et tamen quasi magnum aliquid attulisses, nescio qua perfrictæ frontis impudentia dicere non vereris: *sanè mirum est neminem aduersariorum qui ta-*

q Leuit. 14.2.

r 1 Ioan.2.22.

s 2. Ioan. ver. 7.

t August. in 1. Ioan trac. 3. Oecumen. Thom. Aquinas in 1. Ioan. ca 2. & in secundam.

men linguarum peritiam iactant hoc animaduertisse. Ego verò tibi respondeo quod olim *Augustinus Iuliano* : [x] *Doleo sic te abuti eorum ignorantia qui gracè nesciunt, vt eorum qui sciunt iudicium reueritus non sis.* Quid enim? An tibi pro argumento esse debuit in causa grauissima, quod puerulus quisque de schola coarguit & falsum esse deprehendit? Atqui mendacia nisi de mendacijs fulcimentum non habent, & [y] *qui semel verecundiæ fines transierit, eum oportet benè & gnauitèr esse impudentem.*

x August. contr. Iulia. Pelag. li. 5. cap. 2.

y Cicero. fam. epist. lib. 5. ep. 12.

8 Quòd porro adducis loco quarto & quinto ex *Daniele* & *Ioanne*, *Antichristum non vocari vnum regnum sed vnum regem*, vt illum vnum hominem esse confirmes, pariter vt cætera, otiosum est & causæ tuæ debilitatem prodit. Certum est enim apud *Danielem quatuor reges*, non quatuor homines reges, sed quatuor regum series indicare; & eodem modo, *vnum regem*, non vnum hominem regem, sed totam regum in vno principatu successionem designare. Quare quod est Hebraicè, *quatuor reges*, vulgata versio tua [z] *quatuor regna* vertit, vt eôdem recurrere intelligas, siue quatuor reges, siue quatuor regna interpreteris. Illud quoque in confesso est [a] *vnius regis* appellatione apud *Ioannem*, aliàs binorum consulum, aliàs tribunorum & decemuirorum plurium decursus, aliàs totam Romanorum imperatorum successionem sigillatim comprehendi. Ergò etsi Antichristus more scripturæ *vnius regis* appellatione notetur, nihil tamen obstat quominus vt in cæteris, ita in Antichristi regno successio multorum esse possit.

z Dan. 7. 17.

a Apoc. 17. 10.

9 Sed tamen ais ex *Caluino*, cui adiungis quoque *Cyprianum* & *Hieronymum*, Antiochum *illustrem apud* Danielem *figuram gerere Antichristi. sed* Antiochus *Illustris certa quædam & singularis persona fuit: igitur Antichristus certa quædam persona esse debet.* Id verò assentimur eo sensu quo antè dictum est, & est Romanus Pontifex certa semper & singularis persona, vt nihil in eo sit cur illum non arbitremur esse Antichristum. Tuo sensu, vt Antichristus vnicus homo sit, seipso contentus & successorem non habens, falsissimum est, & ab argumento tuo sequelam non habet. Neque enim necesse est in typo numerum præcedere, sed rationem & modum rei figuratæ. Vnus *Abel*, teste *Augustino*, [b] *totam Dei ciuitatem peregrinantem in terris, & ab impijs aduersa patientem præfigurat. Hieronymus* apud *Malachiam* in vno *Elia* [c] *chorum omnem Prophetarum intelligit.* Tibi *Melchisedec* sacerdotij

b August. de ciuit Dei. lib. 15. cap. 15.

b Hieron. in Malac. cap. 4.

cerdotij figura est, non solum Christi, sed etiam [d] Christianorum, vt te quoque impiè facias sacerdotem secundùm ordinem *Melchisedec*. Quòd si in vno typus multorum esse possit, quid obstat quominns vnus *Antiochus* Antichristum loco quidem & officio vnum, personarum verò successione multiplicem adumbret? Et certè habet illa *Antiochi* historia quiddam coniunctum cum Antichristo, nec omninò repudianda censemus quæ antiqui patres ad hanc causam accommodarunt, modò ea mittamus quæ quia sunt personarum & locorum & temporum illorum circumstantijs quasi vinculis ligata, contineri debent finibus suis, nec trahenda sunt vltra historiam cum qua propriè coniuncta sunt. Quod illi dum non attenderunt, & omnia omninò in Antichristo locum habere iudicarunt, quædam finxerunt de prælijs & regnis Antichristi, quæ mirum est à tantis viris tanta negligentia vel cogitari primùm vel postea confirmari potuisse. Vt autem typum hunc Antichristi rectè capiamus, animaduertendum est voluisse Deum vt in populo Iudæorum, & in vrbe & in templo Hierosolymitano singulare quoddam specimen Ecclesiæ futuræ, & imago Templi spiritualis eluceret. Quando ergo regnum Antichristi funestum ecclesiæ & fatale esse debebat, eatenus in *Antiocho* statuimus Antichristi typum esse debuisse, quatenus illi cum sanctuario & populo Dei, in quibus ecclesiæ figura præcessit, negotium & res esset: quod extra hunc ambitum est, nulla ratio est cur putemus ad Antichristi typum pertinere. Itaque quæ de *Antiochi* furioso numinis despectu, de cultu Dei & iugi sacrificio abolendo, de deo alieno & patribus ignoto substituendo; de sanctuario polluendo & prophanando; de immani illius superbia & sanctorum persecutione dicta sunt, ea non incommodè possunt post *Antiochum*, vt pòst videbimus, ad Antichristi tyrannidem & impietatem accommodari. In reliquis verò multa sunt quæ de *Antiocho* facilem habent expositionem, & de veteris historiæ luce perspicuam; de Antichristo nonnisi coactam & violentam, nec vllo modo cum veri Antichristi ratione congruentem. Iam quæ postremò *Bellarminus* affert, *Antichristum instrumentum diaboli electißimum fore, ita vt plenitudo omnis malitiæ in illo inhabitet, & cum tres duntaxat annos & dimidium regnaturum*, eorum alterum verum esse postea docebimus, & in Romano pontifice comprobatum: alterum omninò falsum, nec posse conuenire cum Antichristo illo

[d] De Missa. lib. 1. cap 6.

quem ſcripturæ nobis expectandum proponunt.

10 Poſtquam ergo conſtat Antichriſtum vnum aliquem hominem & ſingularem eſſe non poſſe, ſequitur nomen illius non perſonale & proprium, ſed appellatiuum & ab adiuncto aliquo ſumptum eſſe debere. Id *Ioannes* numero contineri ſignificat: [c] *Numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* De illo numero *Irenæus* ſui temporis coniecturas exponit quæ in euentu rerum habent omnes aliquid quod animaduerſione noſtra dignum ſit: vna de ſcripturis illam habet lucem vt certam illa veritatem contineri non dubitem. [f] εὐάνθας *nomen,* inquit, *hunc habet numerum.* Idem eſt acſi dicas: *fœliciter & pulchrè florens*, & ſtatum regni Pontificij luculentiſſimè deſcribit, ditionis amplitudine, plenitudine poteſtatis, immenſitate opum, ædium magnificentia, ſatellitum ſplendore, delicijs hortorum, agrorum vbertate, pratorum amœnitate vbique fere orbis terræ florentiſſimum. Certè quicquid habet hic mundus delicatum & ſuaue, ſiue immunitatem laboris & otij quietem; ſiue opiparam & exquiſitam ferculorum & epularum inſolentiam; ſiue venerum dulces ſine vinculo varietates; ſiue ſpectabilem multitudini pompam & gloriam: quicquid deniq; ineſcandis ſeruit hominibus & libidini titillandæ, id totum in Pontificis caput & clientelam effuſũ eſt, ita vt habitus ille etiam qui mundi renuntiationem adpromitteret, maximis alumnos ſuos ſeculi voluptatibus & vitijs innutriret.

c Apoc. 13. 18.

f Iren. aduer. hæreſes. lib. 5.

11 Alterum nomen apud *Irenæum* eſt τεῖταν quod ille putat *omnium fide digniſſimum, quia diuinum nomen putatur, vacabulum ſolis, nomen idolorum quæ apud Græcos & Barbaros publicè adorantur, continens oſtentationem quandam vltionis & vindictæ.* Quàm ſcitè verò depingit idolum illud Romanum quod tam importunè, tam impiè venerantur: illum quem Iubilæos & ſolemnitates agentem tanquam Peſſinuntiam quandam deam ſublimem humeris circumgeſtant, prælato ſibi ſacramento tanquam igne *Perſico*; illum qui ne nomine ipſo carere videatur, *ſe* [g] *maius illud luminare,* hoc eſt, ſolem eſſe gloriatur, *quod diei,* hoc eſt eccleſiæ regendæ conſtitutum eſt: qui Gigantæa magnitudine columnas ipſas orbis terrarum quaſſauit & fregit: & ſuperba vindictæ libidine principes & magnates ita perterruit, vt vix in aduerſum hiſcere aut mutire auderent. Hæc verò etſi diuina quadam prouidentia concepta & conſcripta videri poſſunt, & non numerum modò propoſitũ expleant, ſed illius etiam quem

g Decret. Greg. de maior. & obe. cap. ſolitæ.

Antichriſtum

Antichristũ esse dicimus formam quandam & imaginem ad viuum exprimant, non habent tamen è scripturæ fundamentis illam authoritatem vt in ijsdem prorsus acquiescere possimus.

12 Tertium vocabulum λατεῖνος rationem habet manifestam & dilucidam, & è vaticinio *Ioannis* vltrò profluit, vt non sit dubitandum quin Antichristus hoc ipso nomine dijudicandus sit. λατεῖνος, inquit ille, *numerum habet sexcentorum sexaginta sex, & valde verisimile est, quia verissimum regnum hoc habet nomen. Latini enim sunt qui nunc regnant.* Vbi qui rationem appositam diligenter expenderit & cum *Ioannis* historia contulerit, facilè ille senserit Irenæum ad veram intelligentiam nominis Antichristi quàm proximè peruenisse. Ego certè non dubito quin tota illa posterioris bestiæ descriptio, *Apoc.13. ver.11. & seq.* ab eadem repetita visione *Cap. 17.* lucem & interpretationem habere debeat. Ibi verò Antichristum intelligimus *regem* quendam futurum eo sensu quo antè dictum est. Atqui rex à regno nomen habet; vt Anglus, Gallus, Hispanus à suis quiq; regnis nomen obtinent. Itaque Spiritus sanctus postquam nomen Antichristi certo quodam numero contineri docuisset, quod quia regem illum esse oporteret, de regno eius sumendum esse, facilè quiuis intelligeret, regnum quoque designare voluit quod nomine suo numerum illum præstaret; in quo porro regnum Antichristi firmandum esset; ac proinde ex quo nomen eius petendum & totum illud mysterium explicandum constaret. Regnum autem Romanæ ciuitatis apertè describit. Eius enim & non alterius cuiusquam sunt septem montes de quibus ait: [h] *Septem capita sunt septem montes super quos mulier sedet.* Inde Romanos *Tertullianus* [i] *vernaculam septem collium plebem* appellat. Inde sacrum illis & solenne [k] *septimontium, dies festus mense Decembri, quo in septem montibus sacra fiebant.* Neque verò quicquam apertius esse potest ad Romanam ciuitatem notandam, quàm quod habetur in fine capitis: *Mulier quam vidisti, magna ciuitas est, quæ regnum habet super reges terræ.* De illo regno Romano Irenæus: *Verissimũ regnum hoc habet nomen*, λατεῖνος: *Latini enim sunt qui nunc regnant.* Regnum ergo de quo loquitur *Irenæus*, est bestia illa quam describit *Ioannes* in Apocalypsi. λατεῖνος autẽ nomen ẽst verissimi illius regni quod memorat *Irenæus*. λατεῖνος ergo nomẽ est bestiæ illius quam *Ioannes* describit in Apocalypsi: [l] *Indicatum est autem Ioanni*, ait Athanasius, *ex hac bestia futurum esse Antichristum.* Et id

h Apoc.17.9.

i Tertul. in Apol. cap.05.

k Tertul. de idolatria. Annotat. in Tertul. ex Festo & Sueton.

l Athan. in synopsi.

id quo tandem modo indicatum eſt? Hoc ipſo, nempe quòd Antichriſtus ſuo loco & tempore caput illius beſtiæ futurus narratur. Nam *ſeptimum caput beſtiæ* nemo eſt qui Antichriſtum non intelligit. Cùm verò caput illum futurum conſtet eiuſdem beſtiæ cuius erant ſex priora capita, quam regnum Latium ſiue Romanum eſſe manifeſtum eſt, caput eum futurum conſtat regni Latini, & Romanæ ciuitatis principatum habiturum. Priùs verò quàm ſeptimũ illud caput exurgeret, regnum Romanum, orbis imperio celeberrimum, coarctandum erat ſuis finibus, & orbis imperio deſtituendum. Quo facto, ſuos Chriſtus admoneri voluit Antichriſtum illum fore, qui poſt imperatorem, ſextum regem regni Latini, ſeptimus in eo ſucceſſor futurus eſſet: ad quem, inquam, regnum Latinum, ſucciſo capite ſexto, dominatu iam orbis amiſſo perueniret. Iam verò regnum Romanum, ſiue Latinum præter Pontificem nemo iamdiu poſſidet. Ille vrbem Latinam ſeu Romanam occupauit, & imperatore prorſus extruſo, mentita donatione ſuam & ſui tantùm iuris eſſe denunciat; [m] *Romanam ciuitatem cum ducatu ſuo, & ſuburbanis & territorijs eius montanis & maritimis, littoribus & portubus; ſeu cunctis ciuitatibus, caſtellis, oppidis ac villis in Thuſciæ partibus, &c.* Hac ratione *Bellarminus* illum * *principem politicum eſſe, & gladio temporali* territorio Romano præeſſe, & iure quoque poſſe præeſſe defendit. De Antichriſto ergo quid hæſitemus, qui principem Latinum inuenimus, quum ex principatu Latinæ gentis poſt imperatorem agnoſcendus ſit Antichriſtus? Certè qui Latinum & ſeptimum audimus, de Antichriſto, niſi ſponte velimus, errare non poſſumus. Qui de regno Latino futurum Antichriſtum intelligimus, & illius regni ſeptimo principatu potiturum, ſextum verò principatum cum imperatore Romano ſucceſſiſſe; citra omnem controuerſiã ſtare videmus, quòd Pontifex Romanus, Chriſti ſe vicarium oſtentans, ipſiſſimus ſit Antichriſtus. Qui vt ſibi nomen hoc haud fruſtra inditum eſſe confirmet, de nomine ſuo ſuos omnes Latinos, ſua omnia Latina eſſe vult. Inde Eccleſia ab illo dependens *Latina Eccleſia* dicta eſt. [n] *Sedes Apoſtolica Eccleſia Latina eſt.* Liturgia publica Latina eſſe præcipitur: preces in vſu priuato Latinæ ſunt; fora Latina, Latina diplomata; ſcripturæ [o] authenticæ ex concilii decreto nonniſi Latinæ. Denique ita totus in Sacris Latinus eſt, vt vulgo noſtro conſuetum ſit, veterem, vt appellant, Eccleſiæ ritum, *Latinæ Legis* vocabulo commemorare.

m Diſt.63. Ego Ludouicus.

* Bellarm. de Rom. Pont. lib.5. cap.9. & 10.

n Conſtantinop. ſynod. 8. Sub finem.

o Trident. concil. ſeſſ.4. cap.2.

13 Restat nunc Bellarminianas exceptiones examinare, quibus fidē huius nominis quoad potest euertere conatur. Ac primò de coniecturis istis non inquirimus quæ sit *Irenæo* probata maximè, sed quā inueniamus cum sacris oraculis & rei veritate maximè congruentem. Rationē habet hoc nomen de Scripturæ fontibus petitā, reliqua non habent. Sed tamen Bellarminus, *coniectura*, inquit, *Irenæi quæ tunc aliqua erat, modò nulla est.* Quid ita verò? *Ipse dicit probabile esse Antichristum vocandum Latinum, non quia dominabitur in Latio, sed quia Latini erant qui tunc regnabant latissimè, & orbem totum tenebant.* At ineptè cur illud interponis, *non quia dominabitur in Latio?* An tibi tam expers mentis videtur *Irenæus*, vt Antichristum Latinum putaret dicendum quia Latini tum regnum habebant, cùm tamen ipsi cum regno Latino nihil rei futurū esset? Certè nomen Antichristo dabunt res suæ non alienæ: nec vel fingere potes, cur ille Latinus appellandus *Irenæo videretur*, nisi quia regnū Latinæ gentis ei cessurum esset. Perge verò. *Cùm enim Antichristus potentissimus rex esse debeat, sine dubio occupabit potentissima regna quæ tunc inueniet.* Et erit quidem Antichristus rex potentissimus, non tamen imperij iure, non ciuili ditione regni temporalis, quia simul cum illo decem reges ex imperio iam dissipato exituri sunt, & suis quique regnis simul cum illo potituri: sed potestate alterius cuiusdam iurisdictionis, cuius nomine [p] *potestatem suam ei subdituri sunt*, & ceruices suas quodammodo præbituri. Quæ tu vltrà somnias de regnis & potentia Antichristi, nonnisi mera figmenta sunt, & firmamentum nullum habent. Ecquid ampliùs? *Potentissimum autem regnum est Latinorum*, ait Irenæus. *Ipsi enim nunc verissimè regnant.* Tu tandem quid ad hoc? *sanè coniectura ista hoc tempore nihil valet. Nam Latini non amplius regnant in toto orbe terrarum: sed Turcæ sunt qui verissimè regnant, & apud nos Hispani & Galli.* Bene habet: ita tu tandem tuo fune strangularis. Verè dicis, quanquam contra te, Latinos regnum orbis terrarum non amplius tenere. Nam illud quidem frangi oportuit, vt pòst dicemus, vt locus daretur Antichristo. Postquam ergò cecidit regnum illud, & locus Antichristo ex illo tempore factus est, cur tu, quod inde necessariò conficitur, venisse Antichristum fateri detrectas? *Regnant Hispani, Galli, &c.* quia imperij Romani prouincias in decem regna dispertiri. Atqui verò simul cum illis regnis regnum Antichristi eminere oportuit. Cur tu ergò qui reges illos agnoscis,

p Apoc.17.13, 17.

Antichristum

Antichristum adhuc exoriturum expectas? Inter hanc verò imperij Romani dissipationem Roma ipsa neruus regni Latini regno iam orbis exuta cui cecidit? Cui nisi Pontifici? qui regalia eius omnia obtinuit & totam sui iuris esse contendit, vt Romani regem suum, id est, Latinum præter Pontificem norint nullum. Itaque quoscunque authores habuit *Irenæus*, certè temeraria illorum coniectura non fuit, qui quum agnoscerent Antichristum diuulso imperio in regno merè Latino succedere debuisse, *Latini* nomen Apocalyptico illo numero implicatum censuerunt, vt inter multos reges ex imperij prouincijs eminentes qui rex Latinus esset, eo modo quo dictum est, cui cæteri reges non imperij nomine, sed, quod experti sumus, Ecclesiæ obsequium præbituri essent, hunc omnes tanquam carbone notatum horrerent, & ipsum esse Antichristum iudicarent.

14 Adhuc tamen repugnat *Bellarminus*: *Nomen* inquit *Latini vt significat Romanum non scribitur per* ei, *sed per simplex* iota, *& tunc non reddit illum numerum.* At si ad antiquam linguæ Latinæ scripturam recurramus, friget exceptio tua, *Bellarmine*, nec labefactat vllo modo sententiam nostram. Nam *i* longum, vt obseruauit Io. Scapula, [q] *proferebatur antiquis Romanis vt hæc diphthongus* ei *&* e *inclusum habebat*, quod animaduertit ille *tempore Ciceronis vsitatum fuisse, & vetustiores Latinos, vbi* i *longum esset, semper* ei *scripsisse, & in vetustis inscriptionibus hanc scripturam extare, celeberrimei, veis, preimus, pro celeberrimi, vis, primus: & in numismatis antiquis leibertas, Serueilius, eidus*; quæ nobis sunt *libertas, Seruilius, idus*, *&c.* Inde *Quintilianus*: [r] *Diutiùs durauit vt* e. i. *iungendis eadem ratione qua Græci* ει *vterentur.* Et hoc à *Lucilio* Grammatico in præcepto datum ait: *Iam puerei venere,* e *postremum facito atque* i. *Mendacei, fureique addes* e, *quum dare furi iusseris.* Quod [s] ex Nigidio quoque Iulius Scaliger obseruauit. Ergo quum Latinus per *i longum* efferatur, & *i longum* ex antiqua pronunciatione idem valeat atque *ei*, certè qui græcè scribit λατεῖνος, nihil nouum adducit; sed veteris orthographiæ regulam seruat. Etsi verò illa scripturæ ratio iam olim exoleta esse cæperit, & ea nunc per *i* dicantur, in quibus *ei* antiquitus sonare consueta est, tamen vt *i* nostrum eandem vim habere videatur, vsus obtinuit vt [t] quæ græcè scripta sunt per *ei* sequente consonante, ea nos vbi Latina facimus, plerunque per *i longum* enunciemus, vt Ἀτρείδης, Atrides: Ἀριστείδης, Aristides: εἰκονεία, Iconia:

q Ioan. Scapula in append. ad Lexicon de recta pronunciat. linguæ grecæ. Idem Iustus Lipsius de vet. pronunciat. cap. 8.

r Quintil. institut. Rhet. lib. 1. cap 7.

s Iul. Scalig. de causis ling. latinæ, lib. 1, cap. 24.

t Iul. Scalig. de causis ling. lati. lib. 1. cap. 27.

εἰκόνες, Icones: εἴδωλα, idola: & ſexcenta huiuſmodi. Viciſſim ergo de Latinis græca facientes, i longum percommodè reddimus per diphthongum *ei*, vt non λατῖνος, ſed potiùs λατεῖνος ex veteri conſuetudine rectè ſcribatur.

15 Vbi porro dicis nomen λατεῖνος *ſi erit Antichriſti, proprium ei futurum & maximè vſitatum*, vtrunque de te ſine ſcriptura dicis. Quod ais proprium nomen eſſe debere, iam antè refutatum eſt. Quod adiungis maximè vſitatum fore, neceſſitatem habet nullam. Neque enim propria nomina ſunt ſemper vſitata, communia multò minùs. De Chriſto dictum eſt: [u] *Vocabis nomen eius, Immanuel*, nec tamen vſitatum erat Chriſtum hoc nomine vocare. Neque [x] *orientem* ſiue *germen*; neque [y] *admirabilem*, neque *conſiliarium, &c.* quem tamen his nominibus prophetæ inſignitum tradiderunt. Nihil eſt ergo quod addis, *Nec vllus vnquam Papa vocatus eſt proprio nomine Latinus, nec eſt hoc nomen vſitatum: numquam enim Papæ ſe Latinos vocant, ſed ſolùm epiſcopos aut Papas.* Nam illud eſt quod nos quærimus, an ſit Pontifex gentili nomine *Latinus*, & poſt imperatorem caput Latinæ gentis. Quod ſi eſſe illum reperiamus, hoc ipſo nobis citra quæſtionem erit Antichriſtus. Parem habet vanitatem quod de *Romano* affers. *Romanus nomen fuit vnius ſolius Pontificis qui tamen non potuit eſſe Antichriſtus, cùm non vixerit niſi menſibus quatuor: alioqui autem nomen eſt commune.* Neque enim nos Antichriſtum vno Pontifice terminamus: & eſt multorum Pontificum nomen commune quod deſideramus. Tale tu *Romanum* eſſe fateris, & nos libenter accipimus. *Romanus* enim in ſtylum Pontificis tui ſemper incurrit: Pontificem Romanum dicimus, epiſcopum Romanum. Quando ergo λατεῖνος rectè vertatur teipſo teſte *Romanus*, certè Pontifex qui perpetuo ſtylo Romanus eſt, & nomine Pontificis vrbis & Eccleſię Romanæ principatū obtinet, hoc ipſo *Latinus* eſt ille quem quærimus, & eo quoque Antichriſtus.

16 Verùm inquis, *ſi ſolum hoc nomen λατεῖνος vel Romanus efficerent numerum 666 aliquid dicerent aduerſarij: at innumerabilia nomina inueniuntur quæ hunc eundem numerum reddunt.* Et redderent Bellarmine quum tuus ille Antichriſtus adueniret, ſiquidē eſſet qui veniret. Num hac ratione putaueris non eſſe illum ſuo nomine cùm venerit æſtimandum? Tu Antichriſtum venturum expectas; nos veniſſe certi ſumus. Da veniam vt quantumlibet nomina reperiuntur plurima quę numerum illum iuſtè conficiunt,

[u] Mat.1.23.
[x] Zacha.3.8.
[y] Eſa.9.6.

ficiunt, illud tamen ſequamur, quod ſcripturæ lucem habet aliquam, & rerum euentu probatiſſimum inuenitur. Quod enim affers ex Irenæo, *certiſſimum eſſe* pro nomine Antichriſti dijudicando *prophetiæ adimpletionem ſuſtinere*, piè ab illo & ſapientèr dictum amplectimur, & ex illius conſilio poſt mille iam & quadringentos annos prophetiam illam adimpletã experti, de nomine Antichriſti fidenter pronunciamus, & illum nobis in Romano Pontifice notiſſimum execramur. Neque refert quòd tibi ac tui ſimilibus non ſit notus Antichriſtus. Neque enim qui Antichriſti ſunt, illum Antichriſtum eſſe iudicabunt. Tu quoque tibi ſponte cæcitatem inducis, & quod vides, videre diſſimulas, tantò grauiori iudicio, quantò te pluribus erroris inſtrumentum præbes. [z] *Iuſtificata eſt tamen ſapientia à filijs ſuis*, & notus eſt Antichriſtus quemadmodum notus eſt Chriſtus *reliquijs & electis*: iſte vt audiatur, & per illum viuatur: ille vt horreatur, ne per eum in mortem incurratur. Scribas & Phariſæos & principes quamlibet eruditos & prudentes Chriſtum agnôſſe non legimus, quia incommodum ſibi putarunt vt Ieſus pro Chriſto haberetur. Nec vllo modo ferunt Cardinales & Ieſuitæ vt de Antichriſto conſtet, quia vident non futurum è re ſua vt Pontifex Romanus pro Antichriſto habeatur. Vtrique miſeram plebeculam fefellerunt & fallunt, & ignorantia compeditos tenent, & [a] *claues regni cælorum* penes ſe habentes, *nec ipſi introeunt, nec alios permittunt volentes intrare*.

z Mat.11,19.

a Luc.11,52.

17 Sequitur argumentum tuum inſolubile, quod verè diſſolutum eſt & nullam partem integram habet. *Si Antichriſtus*, inquis, *veniſſet & eſſet Romanus Pontifex, certò conſtaret de nomine eius à Ioanne prædicto. At de nomine Antichriſti adhuc maxima controuerſia eſt. Igitur Ioannis vaticinium nondum eſt impletum: proinde Antichriſtus non venit, nec eſt Romanus Pontifex*. Propoſitio verò tua, Bellarmine, non conſtat. Nam cùm Antichriſtum nobis pluribus indicijs hiſtoria ſacra deſcribat, quibus ita pingitur vt oculatum hominem fallere non poſſit, ex illis de Antichriſto conſtare poterit, quantumuis nomẽ aliquod illius myſticum & arcanum explicari adhuc fortaſſe non queat. Lateat in obſcuro nomen ad tempus: ſatis proſpectum eſt ſaluti noſtræ, quòd ille nobis innoteſcit cui nomen illud quodcunque fuerit, cùm in lucem venerit, aptatum iri præmonemur. Neque verò prophetiæ omnes mox atque impletæ ſunt dilucidæ ſtatim om-

nibus numeris euadunt & cuiuis obuiæ. Multa dicuntur apud Danielem, quæ ad priscam historiam spectant, quorum qui certam sententiam se assecutum præsumit, temerarium se forsitan & præcipitem ostendet. Multa dicuntur apud prophetas de Christo quæ iam impleta esse confidimus, quæ tamen ex illa verborum caligine qua teguntur explicare, doctissimorum hominum non exercet modò, sed superat facultatem. Eodem modo multa reor in Apocalypsi de rebus iam præteritis esse conscripta, quæ ita tamen manent occulta & abdita, vt difficillimum sit certam eorum intelligentiam diuinare. Quod non ideo dictum volo, quasi putem nomen Antichristi ex illo numeri arcano euolui non posse. Nam abundè, ni fallor, manifestum fecimus numero illo Romanum Pontificem, caput & principem Latinæ gentis & Ecclesiæ demonstrari. Falsum est itaque quod assumis de Antichristi nomine à Ioanne prædicto non constare. Quanquam enim controuersiam de eodem tu magnam commemoras, illa tamen apud tuos maxime consistit: nostrorum magno consensu definitum est, Pontificis tui gentile nomen quo Latinus siue Romanus dicitur, illo mysterio contineri. In quo si habes vnum aut alterum à communi reliquorum iudicio dissidentem, haud illud magnum est, quum vix quicquam ita receptum sit, de quo alitèr cum probabilitate sentiri posse videtur, à quo non interdum inter doctissimos vnius aut alterius sententia diuertit: Quanquam in rebus obscuris perscrutandis prodest admodum varias aliter atque alitèr sentientium opiniones audiri, quia conflictu illo sententiarũ & rationum ianuam plerunque contingit aperiri veritati. Quod postquam in hoc ænigmate factum est, clarissima prodijt sententia quam amplectimur & defigimus, Romanum hîc Pontificem indicari. Quare ex fundamentis quæ hactenus iecimus, ego tibi, Bellarmine, argumentum repono, solubile an insolubile penes te ac tuos esto. Septimus regni Latini principatus status est Antichristi: Papatus est septimus status regni Latini: Papatus ergò est status Antichristi. Regni Latini rex septimus est Antichristus: Pontifex est rex septimus regni Latini: est ergò Pontifex Antichristus.

CAP. 3.

Quòd Antichristi sedes in Ecclesia, non Hierosolymis, sed Romæ, esse debeat. Refutantur quæ à Bellarmino *in aduersum disputantur cap. 12. de generatione Antichristi, & cap. 13. de sede Antichristi.*



Ocus Antichristi communis est, & proprius. Communis, Ecclesia: proprius, vrbs est & Ecclesia Romanâ. De illo Apostolus, [a] *sedebit in templo Dei.* Vbi tamen Pontificij *templum Hierosolymitanum* exponunt, & pertinacissimè defendunt Antichristum ibi regnum habiturum, & in templo illo sessurum. Atque hùc testimonia *Bellarminus*, ab obuijs quibusque subsidium petens, auidè conquirit, & modò id dicant, nihil pensi habet quo iudicio, quo argumento dicant. [b] *Ciuitas Hierusalem in æternos cineres collapsa est*, vt habet *Hieronymus*, & templum eius de fundamentis excisum. Ne rudera quidē eius aut ruinæ supersunt, quia compleri necesse fuit quod Christus prædixit: *Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.* Ac ne fallat nos opinio templi instaurandi, præmonet nos apertè spiritus sanctus futurum, vt [c] *desolatio illa*, velit nolit *Bellarminus*, *ad consummationem & finem vsque perseueret.* [d] *Vsque ad finem seculi*, ait Theodoretus, *cōsummatio desolationis sine vlla mutatione permanebit.* Quod intellexerunt Iudæi quum malis auspicijs [e] templum sibi reficere tentarunt, ludente Domino conatus eorum, & insanas operas flammis vltricibus & terræ motibus disturbante. Quo tempore *Cyrillus* Episcopus *Hierosolymitanus* de [f] *prophetia* Danielis *& Christi prædictione* securus, in eo perstitit *nullo modo fieri posse, vt ibi à Iudæis lapis super lapidem poneretur.* Porro structura tantæ molis quàm non conueniat cum infinitis illis occupationibus Antichristi quasi vno momento per totum orbem transigendis, commodior erit postea dicendi locus, vbi de tempore Antichristi dicturi sumus. Quanquam vt aliud templum admittatur ædificandum, certè quod Antichristus nouo opere, suo nomine, sibijpsi colendo, quia præter seipsum, nullum vt illi volunt Deum agnoscet ædificaturus est, id vt insolentissima dicendi ratione *templum Dei* ab Apostolo appelletur, probabilitatem habet nullam, nec vllo modo potest cum recta ratione coiunctum videri.

a 2. Thess. 2. 4.

b Hieron. in Ierem. lib. 4. ca. 19.

c Dan. 9. 27.

d Theodoret. in Daniel, orat. 9.

e Ruffin. hist. eccles. li. 1. ca. 37. Theodoret. hist. lib. 3. cap 20.

f Ruffin. ibid.

2 Quid

2 Quid autem sibi velit *templum Dei* nemo poterit interpres Apostolo ipso melior, nemo certior inueniri. Ille ergo compellans [g] *omnes qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi*, [h] *Nescitis*, inquit, *vos esse templum Dei?* [i] *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* [k] *Vos estis Templum Dei viuentis.* Quia namque in templo illo *Hierosolymitano* figura Ecclesiæ præcessit, Apostolus typi nomine ad ἀντίτυπον translato, Ecclesiam ex [l] *viuis lapidibus* constructam *templum Dei* nominauit. Qui ergò templum Dei non aliud quàm Ecclesiam interpretatur, quum Antichristum ait in *templo Dei sessurum*, quid aliud intelligi vult, quàm Ecclesiæ Cathedram arrepturum, & imperandi omnia potestatem sacrilega superbia vsurpaturum? Iam verò aduersùs luculentam Apostoli expositionem de Ecclesia & templo spirituali, quid opponunt alios quoscunque, nullo scripturæ testimonio, sententiam Apostoli ad templum *Hierosolymitanum* referentes? Quod ex Papiæ fœcibus haustum *Irenæus* Ecclesiæ propinauit; primus quod sciam qui fabulam hanc de templo Hierosolymitano scripto prodidisse reperitur. Qui etsi erat vir omni laude dignissimus, & quædam de Antichristo prodidit quæ animaduerti plurimùm debent, tamen dum Papiam nimium admiratur, quædam zizania quoque permiscuit, quæ à tritico dominico sunt circumspecto iudicio segreganda. Aduersùs illum olim vir eloquentissimus [m] *Dionysius* Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus elegantem scripsit librum, teste *Hieronymo*, & inter cætera somnium illud de *instauratione templi* refutauit. Porrò *Chrysostomus* etsi noluit opinionem illam de templo Hierosolymitano, propter *Irenæi* fortasse antiquitatem & authoritatem, omninò repudiare, correxit tamen aliquantulum & rectæ sententiæ tramitem signauit, docens *sessionem* illam in *templo Dei* non ad *templum Hierosolymitanum solummodo, sed etiam* [n] *ad Ecclesias* accommodari debere. Cuius testimonium *Bellarminus* partim ridiculo subterfugio, partim manifesto mendacio eludit. [o] *Veteres*, inquit, *Patres Latini & Græci per aliquot secula nunquam Ecclesias Christianorum templa vocauerunt, sed oratoria vel basilicas, vel Ecclesias, vel domos orationis, vel Martyria.* Quid ad rem, sophista? Esto quòd necdum Christianorum oratoria dicuntur templa? Num te latet Ecclesias Apostolica phrasi dictas esse non ædes aut oratoria, sed ipsos hominum cætus & societates? & in illis sedere Antichristum, quum in illis siue per vim, siue per fraudem spiritualem

g 1.Cor.1.2.
h Cap.3 16.
i Vers.17.
k 2.Cor.6.16.
l 1.Pet.2.5.
m Hierony. in Esaiam. lib. 18. in prolo.
n Chrysost in 2.Thess.hom.3.
o Cap.13.

p Hillar.lib.con. Arian.&Auxent.

suam tyrannidem exerçet? Quanquam in [p] *Ecclesiæ quoque tectis & ædificijs*, vt habet *Hilarius*, Antichristus sessurus est, potestate regiminis, non actu præsentiæ corporalis: & num in illis sedens, quia templa non dicuntur, non sedet in templo Dei, qui habet in illis Ecclesiam & plebem Christianam idolomanijs suis & prophanis ritibus obsequentem? Nugas agis *Bellarmine*, & lædis illam quæ de te magna habetur existimationem, qui scopis istis dissolutis ruinas tuas fulcire conaris. Quanquam non nugaris modò, sed etiam palam & apertè teipso conscio mentiris. *In scriptura*, inquis, *Noui Testamenti per templum Dei nunquam intelliguntur Ecclesiæ Christianorum, sed perpetuò templum Hierosolymitanum. Cum ergo Apostolus scribens Antichristum sessurum in templo Dei, diceret aliquid quod vellet intelligi ab ijs quibus scribebat, & illi tunc non intelligerent nomine templi nisi templum Hierosolymorum, certum videtur Apostolum de illo esse locutum.* Tu verò *Bellarmine* causam agis turpem, quam tamen reddis improbè agendo turpiorem. Vide quæso præter illa loca quæ suprà citauimus, num hæc quoque de templo Hierosolymitano exponenda sint. [q] *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* [r] *seruiunt ei die ac nocte in templo eius.* [s] *Tunc apertum est templum Dei in cælo.* Quæ quum ad sanctorũ cœleste palatium & statum Ecclesiæ triumphantis referenda sint, vide qua tu fide dixeris in *scriptura Noui Testamenti per templum Dei perpetuò intelligi templum Hierosolymitanum.* Superiora autem illa grauissimè te feriunt, & impudentiam tuam manifestè coarguunt, quia planè conuincunt *Templum Dei* Ecclesiam esse Christianam, & eos ad quos scripsit Apostolus *Templi* nomine in promptu habuisse vt Ecclesiam intelligerent, & vt perierit in æternum templum Hierosolymitanum, stare optimè tamen vt Antichristus in Ecclesia dominationem obtinens, in *Templo Dei sedere* dicatur. Vtramque sententiam expendit *Hieronymus*, & nostram confirmat. [t] *Sedebit in templo Dei, vel Hierosolymis, vt quidam putant, vel in Ecclesia, vt veriùs arbitramur.* Vrget *Bellarminus* totis lateribus quod *quidam putant*; relinquit id quod *Hieronymus* librato iudicio secundùm Apostolum ipsum *veriùs arbitratur*. *Hieronymo* consentiunt ex veteribus nonnulli qui, referente *Augustino*, Antichristum intelligentes caput & corpus, [u] *sedebit* inquiunt, *Antichristus in templum Dei, tanquam ipse cum suis sit templum Dei quod est Ecclesia.* Vsqueadeo illum in Ecclesia futurum significant,

q Apoc.3.12.
r Ibid 7.15.
s Ibid.11.19.
t Hierony.ad Algas.quæst.11.
u August.de ciu. Dei.lib.20.ca.19.

cant, vt etiam Ecclesiæ titulum sibi ac suis vsurpaturus sit. Quin vt numero quoque testium pares simus qui sumus pondere superiores, audiantur & reliqui. *Chrysost.* op. imperf. [x] *Abhominatio desolationis stabit in sanctis Ecclesiæ locis:* Theodoretus; [y] *Dei templum Apostolus appellauit Ecclesias in quibus primam sedem arripiet Antichristus.* Ambrosius: [z] *In domo Domini in sede Christi sedebit. Oecumenius* adhuc expressiùs; [a] *Non dicit templum quod erat Hierosolymis, sed Ecclesias Dei.* Nec alitèr intellexit synodus Remensis quæ de Romano ipso Pontifice ait; [b] *Quid hunc in sublimi solio residentem, veste pupurea & aurea radiantem esse censetis? Nimirum si charitate destituitur, solaque scientia inflatur & extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens & se ostendens tanquam sit Deus.* Anselmus verbis aliquantulum dissentit, reipsa nihil, [c] *templum Dei* exponens *mentes fidelium* in quibus Antichristus *sedere* dicitur, dum eas erroribus suis occupat, & seductione in perfidiam abducit. *Aquinas* quoque hac in parte noster est, qui reiecta *Bellarmini* sententia de templo Hierosolymitano, [d] *exponitur*, inquit, *in templo Dei, id est, in Ecclesia, quia multi de Ecclesia illum recipient, vel secundum* Augustinum *quòd in templo Dei sedeat, id est, principetur & dominetur, tanquam ipse cum suis nuntijs sit templum Dei, sicut Christus est cum suis.* Noster est postremò *Ioannes Ferus* concionator Moguntinus: [e] *Templum Dei in mundo fidelium Ecclesia est. In hoc templo futuram prædicit Christus abhominationem antequam mundus finiatur.* Quare nonnisi vmbra est *Bellarmini argumentum insigne*, vt ipse appellat, quo Romanum Pontificem ait Antichristum esse non posse, quia *sedes eius non est Hierosolymis & in templo* Solomonis: non ab alio principio profectum, quàm quod patribus alijs [f] *incertum & dubitabile*; alijs temerarium, vt vidimus, & falsum visum est. Nos autem Apostoli vestigia sequentes, qui authoritate diuinæ vocis *templum Dei* Ecclesiam esse confirmat, ex ijs quæ dicta sunt sine vlla ambiguitate concludimus, Antichristum non foris apud Iudæos & Ethnicos, sed in ipsis Ecclesiæ intestinis esse metuendum, vtpote qui primarium in Ecclesia locum arrepturus sit, Christi sedem occupaturus, tanquam vicariam illi operam præstiturus, sibijpsi denique & suis peculiari quodam titulo nomen Ecclesiæ tanquam honorificum inscripturus.

x Chrysost. op. imperf. hom. 49.
y Theodoret. in 2. Thess. 2.
z Ambros. in 2. Thess. 2.
a Occumen. ibid.
b Synod. Remensis. cont. Arnulp. 2. cap. 28.
c Ansel. in 2. Thess. cap. 2.
d Thom. Aquin. ibid. lect. 1.
e Ferus in Mat. cap. 24.
f August. de ciu. Dei. li. 20. ca. 19.
g Chrysost. in ope. imper. ho. 49

3 Et quidem Bellarminus paululum tandem expergiscens aliquousque agnoscit quod volumus, sed ludit ambiguitatibus,

&

& legentibus illudit, & quodammodo veretur dicere quod se tamen sentire palam ostendit. *Verum est*, inquit, *sessurum Antichristum in Ecclesijs Christianorum.* Id verò quid tandem est? *Iubebit*, inquit, *omnia templa totius mundi conuerti in cultum suum, & in eis seipsum adorari faciet.* Quid? & hoc est, Bellarmine, quod patres agnoscunt sessurum Antichristum in Ecclesia Dei? Num tibi Mahometes in Ecclesia sedere videtur quia templa quæ erant olim Christianorũ occupauit, & Turcicis superstitionibus impiè repleuit? Næ tu sophistam agis, qui alterum horum ex altero interpretaris. [h] *Ecclesia*, inquit Augustinus, *locus dicitur in quo Ecclesia congregatur.* Inde Apostoli qui, teipso teste, *templa non habebant, sed solum in priuatis domibus loca quædam orationi & concioni destinabant*, tamen eadem loca * *Ecclesiarum* vocabulo nuncuparunt, quæ iterum cum vsu, simul quoque nuncupationem illam amiserunt. Itaque ædes illas quas inuaserunt Barbari, & ad sacra sua sacrilega conuerterunt, *templa* quidem dicimus communi nomine, sed *Ecclesias Christianorum* non dicimus, postquam ab vsu Christiano abrogatæ sunt. Num tu præter ædium illarum aliquam transiens dixeris, Hæc est Ecclesia Christianorum? Quin vt ille olim, [i] *fuit Ilium & ingens Gloria Teucrorum, &c. At nunc incensa Danai dominantur in vrbe:* ita tu dicendum putaueris: En hæc ædificia splendida & magnifica, olim Ecclesias fidelium, nunc lustra dæmonum & fana profana Paganorum. Sessurus est ergò Antichristus in Ecclesijs Christianorum, non quia ædificia vsurpabit quæ erant olim Christianorum; sed quia in publicis dominabitur conuentibus eorum, qui se etiamnum Christianos veteri vocabulo profitentur. Quod erit adhuc luculentius, si mentem suam nobis eloquatur Bellarminus. Dic sodes apertè, noli *Ecclesiarum* homonymia te tegere; num in *Ecclesia* sedebit Antichristus? Hoc ille timidè quidem, sed vtcunque tamen infercit, *sedebit in Ecclesia*, inquit, *non tamen vt episcopus, sed vt Deus.* Benè habet, sedebit ergo in Ecclesia. Et quid tu tum affers paulò antè Cyrillum & Damascenum planè negantes Antichristum in Ecclesia esse sessurum? sed hoc agis more tuo, qui prolixas sæpe disputationes, mox operam atque oleum vltrò perdens, vna quasi litura prorsus euertis. Accipimus autem quod dicis, *sedebit Antichristus in Ecclesia Dei.* Erit ergo Ecclesia Dei in qua sedebit, hoc est, vt Aquinas tuus exponit, *principabitur & dominabatur* Antichristus.

h August. in Leuit. quæst. 57.

* 1. Cor. 11. 18.

i Virg. Æneid. lib. 2.

Antichristus. Hîc te, Bellarmine, constrictum habemus, nec habes quà fugias. Antichristus in media Ecclesia regnabit, & se principem constituet eorum, qui quia sunt Ecclesia Dei, Deum se colere, & Christo nostro confidere præ se ferent. Neque enim Ecclesia Dei dicenda est, quæ explosa Christi fide, prorsusque abrogato Dei nomine aliud sibi numen accommodat, & se nouo dogmati captiuam tradit. Quid enim? num Ecclesiæ vocabulo communicant gentes illæ, quæ quum essent olim Christianæ, nunc in Mahometi cineribus & superstitione sepultæ sunt? Minimè id quidem. Nec erit ergo Antichristo Ecclesia Dei, quæ Deum abdicabit, & fidem Christi penitus extinguet. Sedebit autem Antichristus in Ecclesia. In illis ergo dominabitur, qui se Christianos agnoscent, & baptismi ritu veteri in externā Ecclesiæ societatem coalescent; eodem planè modo quo Arianismus olim sub titulo Christianismi omnes penè totius orbis Ecclesias occupauit.

4 Neque verò mouemur sophismate tuo, Bellarmine, qui nos, quia Pontificem in Ecclesia sedentem agnoscimus, & à vestra tamen communione segregamur, ideo schismaticos & Ecclesia extorres esse calumniaris. Neque enim Gallicana ditione excedit qui ob pestilentiæ contagionem relictis Parisijs Lugdunum se confert, vbi aëre vescatur salubriori: neque nos Ecclesia excessimus, quia Romana peste renuntiata, salutaribus Euangelij hortis inambulare maluimus. Ecclesia vniuersitas est omnium vndis Ecclesiæ tinctorum, & Christo domino quoquo modo seruientiū. Cuius partes aliæ saniores sunt; aliæ languescunt febribus; aliæ lethalibus morbis, vt Romana tua, & certissima morte conflictantur. Non ideò discessimus ab Ecclesia, Bellarmine, quia sentientes nos ab aëre vestro putrido periclitari, puriores auras appetiuimus: erat animus fugere duntaxat contagiones vestras; in Ecclesia verò, Deo iuuante, per veram Christi fidem perpetuò permanere. Et quidem eandem nosmet Ecclesiam profitemur quæ olim fuimus, nec aliam, sed alteram duntaxat, quia perpurgatam vepribus & spinis quibus vineam domini perfidia vestra conseuerat: eandem, sed Romanæ iugo tyrannidis & superstitionum vestrarum laqueis, miserante Deo, fæliciſſimè liberatam. Denique eodem modo Ecclesia est in qua sedet Antichristus, quo erant olim Iudæi[k] populus Dei, quando se spurcissimis idololatrijs inquinatissimos k Iere.3.13.

 reddiderunt;

redddiderunt; & nos haud magis schismatici ab huius Ecclesiæ perfidia discedẽdo quàm pijè Iudæis, qui sanioribus vsi consilijs & prophetarum monitis obtemperantes, à nefaria se idololatrarum societate segregarunt. Intelligis ergò, Bellarmine, quàm nihil officiat causæ nostræ, quòd Pontificem vestrum, licèt in Ecclesia sedentem, deseruimus, neque schismate reos teneri, qui sacrilegia vestra quibus pernicies continetur animarum certissima detestamur. Sed tu Pontifici tuo bellè consultum putas vbi addis, *sedet in Ecclesia, non tamen vt episcopus sed vt Deus.* At te responsio ista quid iuuat, si disparata tua coincidant, & qui est loco quidem suo duntaxat episcopus, deitatem tamen assumat, & se quasi Capitolinum quendam Iouem impudenter ostentet? Id ita esse postea videbimus; nunc quod huic loco proprium est agemus, vt somnium illud de templo Hierosolymitano pro sede Antichristi per errorem substituto conuellamus.

l Apoc. 17.9.18.

6 Proprius ergò Antichristi locus distinctè notatur, [l] *septimontana* ciuitas, illa inquit, *magna, quæ regnum habet super reges terræ.* Vbi clarissimum est Romanam ciuitatem quæ sola *septem montibus* celebrata est, & sola tunc orbis imperium habebat, sedem & solium purpuratæ meretricis, id est, Antichristi designari. Nam cùm Antichristus septimum caput sit illius bestiæ, cui toti septicollis Romana ciuitas sedes & caput imperij constituta est, quid aliud quàm sponte cæcutiunt, & ipsi sibi oculos vltrò euellunt, qui reliqua capita regum Romanorum (sic enim omnes promiscuè à regnando vocantur) loco suo permittunt; solum Antichristũ ablegant, qui sibi vel Hierosolymis vel vbi vbi hospitium paret? Res aperta est; quid moramur? Bestię septem capitũ sedentis in septem montes, hoc est, in vrbe Romana septimontana dominantis, caput septimum est Antichristus. Romæ ergo sedebit & dominabitur Antichristus. Bestiæ pars est; proinde à loco bestiæ, qui septem montibus indicatur, discedere non debet. Id verò præterquam quod luce sua in oculos incurrit, suffragatores habet antiquissimos scriptores, qui Romam interpretantur *Babylonem* illam, quam quasi iumentum Antichristo portando seruituram sacræ literæ prodiderunt. Tertullianus, [m] *Babylon,* inquit, *apud* Ioannem *nostrum Romanæ vrbis figuram portat, perinde & magnæ, & regno superbæ, & Sanctorum debellatricis. Hieronymus* quoque, [n] *Romanum,* inquit, *imperium, æternum putant. Vnde secundùm Apocalypsin* Ioannis, *in fronte purpuratæ*

m Tertul. cont. Iudæos. & lib. 3. cont. Marcionem.

n Heron ad Algas quæst. 11.

purpuratæ

purata meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ æternæ. & ad *Marcellam* de vrbe Roma sermonem habens: [o] *Lege*, inquit, *Apocalypsin* Ioannis, *& quid de muliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, & Babylonis canteur exitu contuere.* De quo loco *Ludouicus Viues*: [p] Hieronymus *ad* Marcellam *scribens, non aliam existimat describi à* Ioanne *in Apocalypsi Babylonem, quàm vrbem Romam.* Et idem alibi *Hieronymus* Romam nominatim & expressé cōpellans, [q] *Maledictionem*, inquit, *tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est.* Vbi verò tandem nisi prophetiam illam de Antichristi Babylone ad Romanam ciuitatem pertinere statuamus? Hîc verò *Bellarminus: Mirabilis est impudentia hæreticorum, qui vt probent Ecclesiam Romam esse purpuratam meretricem, vtuntur* Tertulliani & Hieronymi *testimonio.* Quid ita verò? Nempe *authores illi intelligunt Romam Ethnicam & idola colentem, non Romam Christianam.* At nondum es elapsus *Bellarmine.* Vtrique namque Romam affirmant Babylonem illam esse quam describit *Ioannes* in Apocalypsi. Est autem [q] *Babylon* illa quam describit *Ioannes* in Apocalypsi, teste *Sandero, sedes & ciuitas Antichristi.* Roma ergò sedes est & ciuitas Antichristi. Tu verò ipse fateris [r] per meretricem intelligi Romam, sed non aliam vis Romam quàm Ethnicis imperatoribus seruientem. At num tu cæcus es, & non vides eandem ibi describi sedem totius, vt antè diximus, bestiæ? eandem ergò sexti capitis & septimi; hoc est, Imperatoris & Antichristi. Erat autem Roma sedes imperij; Roma ergò sedes Antichristi. Et illi quidem Patres de quibus agimus nescire non poterant, vbi de Babylone agitur apud *Ioannem*, agi de sede Antichristi. Vtriq; verò Antichristum post sua tempora venturo senserunt. Senserunt ergò Romā non de præterito tantùm sub Imperatore ethnico, sed etiam de futuro sub Antichristo Babylonem appellari. *Hieronymus* autem cùm vaticinium illud *de exitu Babylonis* ad Romanam vrbem accommodat, quod extra omnem controuersiam de sede Antichristi omnes intelligunt, Romam esse Babylonem & sedem Antichristi, absq; vlla circuitione contestatur. Quod si qui olim inuenti sunt, qui Antichristum in illis Ethnicis imperatoribus extitisse iudicarunt, quod de *Nerone* quidam putarunt, hac quidem in parte nihil offendunt causam nostram. Nam vt fefellerit eos Antichristi persona, certè locus non fefellit. Viderunt Antichristum; siue extraneus is esset, siue

o Idem epist. ad Marcellam.

p Ludouic. Viues in August. de ciuit. Dei. lib. 18. cap. 22.

q Hieron. aduer. Iouin. lib. 2.

q Sander. visib. Monarc. lib. 8. demonstrat. de Antich. 38.

r Cap. 5. & 13.

domesticus: siue de foris Ethnicus, siue de Ecclesia pseudochristianus, quicúnque demum esset, cathedram suam & regni sedẽ Romæ habiturum. Quod & Anglorhemenses nostri timidè quidem & perturbato anhelitu, sed tamen aliquo modo submurmurant: [f] *fieri posse haud incommodè, vt magnus ille Antichristus Romæ sedem suam habeat*. Edicant quod sentiunt, & clarè loquentur Romam esse sedem magno illi Antichristo destinatam. Sed expressit illis inuitis testimonium hoc euidentia rei quibus alioqui ἀποδεικτικὸν est, Antichristum Hierosolymis sessurum: proinde Romanum Pontificem Antichristum esse non posse. Ita resorbent vomitum suum, & veritatem quam interdum incauti propugnant, mox quasi vertigine quadam impulsi denuò expugnant. *Naturam expellas furca licèt, vsq; recurret*. Sed quiddam amplius viderunt Patres illi qui ante annos prope septingentos Romam iam tum à Pontifice occupatam [t] *Babylonem esse* dixerunt *à sacris vatibus nominatam, vtpote* inquiunt, *quæ diuinitatem vsurpat, cælo se æquat, se æternam fore, neque vnquam errasse aut errare posse gloriatur*. Porrò meminerint *Sybillam* suam quæ Antichristum regem quendam describit alba infula insignem Ponti nomen habentem (vt *Pontificem* agnoscas albam infulam de more gestantem) sedem illi [u] *prope ripam Tybridis*, id est, Romæ collocasse. Quare cùm satis superque manifestum sit Antichristum in Ecclesia dominaturum, & porrò Romam quoque Metropolin & regni sui sedem potissimum habiturum, caput eum Romanæ Ecclesiæ futurum necesse est; & proinde optimè constat hactenus, quod proposuimus, Romanum Pontificem esse verissimè Antichristum.

f Anglorhemen. in Apoc. 17. v. 5.

t Auent. Annal. lib. 4.

u Sybillæ carmina.

6 *Bellarminus* tamen vt sententiæ suæ colorem inducat, duo nobis affert scripturæ loca, quibus euincat non Romæ sed Hierosolymæ Antichristi sedem esse futuram. Alter est *Apoc. 11. corpora testium*, quos Antichristus occidet, *iacebunt in plateis magnæ ciuitatis quæ spiritualiter dicta est Sodoma & Egyptus, vbi & Dominus noster crucifixus est. Hæc*, inquit, *de Ierusalem dici negari non potest: quæ enim ciuitas est vbi Dominus crucifixus est nisi Ierusalem?* Siste verò paululum, *Bellarmine*, & alium tibi sensum *Ioannes* expediet optimus ipse interpres animi sui. Locum verò ponamus integrum, vt manifestior illius explicatio sit: [x] *Et quum consummauerint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet eos & occidet eos; & cadauera eorum*

x Apoc. 11. 7.

iacebunt in plateis ciuitatis magnæ quæ vocatur spritualitèr Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus noster crucifixus est. Bestiam inprimis constat hîc & Apoc. 17. eandem intelligi, quæ vtrobique iisdem verbis describitur; [y] *Bestia quæ ascendit ex abysso.* Sedes ergo bestiæ huius non alia esse debet quàm quæ ibi narratur. Ibi verò sedes bestiæ *septem montium* celebritate definitur. Septem montes proprij sunt, vt antè vidimus, Romanæ ciuitatis: Roma ergo sedes est bestiæ per quam duo illi testes occidendi sunt. Quare qui hîc commemorat *plateas magnæ ciuitatis*, exponit ibi quam appellet *magnam ciuitatem*: *Magna*, inquit, *ciuitas quæ regnum habet super reges terræ.* Erat autem Roma, non Hierusalem quæ regnum habebat super reges terræ. Et illa quidem *spiritualitèr* dicta *Sodoma*, propter nefandas fornicationum turpitudines & superstitionum veneres abhominandas: & spiritualitèr *Ægyptus* propter tyrannidem, qua Ecclesiam semper oppressit & modò fornacibus suis idololatricis seruire compellit. Et hactenus quidem aperta sunt omnia. Quod sequitur, obscurius videtur, *vbi Dominus noster crucifixus est. Quæ est enim ciuitas*, ait Bellarminus, *vbi Dominus noster crucifixus est, nisi Ierusalem?* Atqui appone quod oportet *spiritualitèr*, & Romæ quoq; Dominus noster crucifixus est, nempe non naturali corpore, sed mystico & spirituali. Christus enim induens se in corpus Ecclesiæ, [z] *suam mortem* esse pronunciat, [a] *suas passiones*, [b] *ignominiam suam*, [c] *sua stigmata* quæcunque fidelibus propter nomen eius & fidem illata sunt. Inde vox eius de cœlo, [d] *Saul, Saul, quid me persequeris?* Inde Origenes: [*] *Per singulos Martyres Iesus condemnatur. Si condemnatur Christianus pro hoc tantùm quod Christianus est, Christus est qui condemnatur.* Qui ergò Romanam ciuitatem agnoscimus *ebriam sanguine sanctorum*, quorum in cruce Christus crucifigitur, quorum in morte Christus moritur, quid dubitamus quin Romæ quoque Dominum nostrum crucifixum esse dicamus? Ibi *Nero* [e] *dedicator*, ait Tertullianus, *damnationis nostræ*, qui primus publicata lege perfecit vt insanus populus tumultuosè Christianos occideret, [f] *Christianos ad bestias* conclamaret. Inde secutæ ducentorum & amplius annorum clades, illius vrbis imperio & authoritate subinde repetitæ, vt Romam sciamus præ vniuerso orbe cæde martyrum & sanguine nobilitatam, & proinde Romæ Dominũ singulari quodã modo esse crucifixum. Quòd si tu nescias, *Bellarmine*, alibi Christum quàm Romæ esse crucifixum,

y Apoc. 11. 7. & 17. 8.
z 2 Cor 4. 10.
a Phil. 3. 10.
b Heb. 13. 13.
c Gal 6. 17.
d Act. 9. 4.
* Origen. in Ier. hom. 11.
e Tertul. Apologet. cap. 5.
f Ibid cap. 39 & exhort. ad. castit.

crucifixum, docebit te *Ambrosius*, qui narrat [g] *Petrum Romæ à gentilibus requisitum ad necem: rogatum autem à fidelibus vt paulisper cederet, & ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa*, inquit, *Nocte muro egredi cæpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi, ait, Domine quò vadis? Respondit Christus: venio Romam iterum crucifigi. Intellexit* Petrus *ad crucem suam dominicum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptæ mortis exuerat. Intellexit ergo* Petrus *quòd iterum Christus erat crucifigendus in seruulo. Itaque sponte remeauit: interogantibus Christianis responsum reddidit; statimque correptus per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.* Qui ergò in *Petro* crucifixo Dominum crucifixum intelligis, Romæ Dominum crucifixum agnoscas oportet, quia Romæ *Petrus* est crucifixus. Itaque nihil te iuuat hic locus, quia non impedit hæc clausula quin Roma hîc intelligi commodè possit, & superiora illa confirmant necessariò intelligi oportere.

g Ambros. lib. 5. Epist. 3. in orat. cont. Auxentium.

7 Posterior tantundem: *secundus*, inquis, *locus est Apoc. 17. vbi Ioannes dicit decem reges qui sibi diuident Romanum imperium, & quibus regnantibus veniet Antichristus, odio habituros purpuratam meretricem, id est, Romam, & eam desolatam facturos atque etiam igne crematuros. Quomodo ergo erit sedes Antichristi, si illo ipso tempore debet euerti & comburi?* Miror te verò Bellarmine, quo es in citandis scripturis infortunio, à scripturarum testimonijs non penitus abhorrere. Itane vt tu te confodias, & iugulum Pontificis tui quem defendere simulas, tanquam acutissimo ferro præcidas? *Purpuratam meretricem* tu Romam agnoscis, *Bestiam* Antichristum. At eidem conuenire certũ est *Bestiam & purpuratam meretricem.* Qua in re si nobis non credis, tuis tamen Anglorhemensibus crede, quibus vnum & idem sunt [h] *meretrix & Bestia & Antichristus.* Crede Ioanni Fero: [i] *Abhominationem desolationis (quæ est regnum Antichristi) Ioannes in Apocalypsi nunc quidem per Bestiam illam cui draco potestatem suam dedit, nunc autem per mulierem Bestiæ insidentem, ac de vino prostitutionis omnes gentes potantem intelligit.* Aut si illorum sententiæ non acquiescis, Ioannes te docebit qui vbi *mulierem* siue *meretricem* ait [k] *sedere super Bestiam*, coniunctissima esse confirmat, & vnum quasi corpus siue complexum efficere *bestiam & meretricem.* Quòd si idem sonent meretrix & bestia, certè Roma quæ te fatente

h Anglorhemen Annotat. in Apoc. cap. 13. vers. 1.
i Ferus in Mat. cap. 24.
k Apoc. 17. 3. 7.

tente ſedes eſt purpuratæ meretricis, per te quoque neceſſe eſt ſedes intelligatur Antichriſti. Vis vt dicam verbo? Beſtia principatus eſt & regnum ſeptimontanæ, id eſt, Romanę ciuitatis, & Antichriſtum complectitur principatu illo ſuo ordine potiturũ. *Mulier* ſiue *meretrix* vrbs ipſa Roma eſt, quæ regno illo & principatu gentiũ omnium quaſi ceruicibus ſuperuecta eſt. Nec iſta tu multum abnuis, qui *beſtiam* Romanum imperium, *mulierem* vrbem Romam interpretaris. Quæſo te iam; Antichriſtus qui beſtiæ tam affinis eſt, à muliere ſedente ſuper beſtiam alienus eſſe quî poteſt? At inquis, *reges quibus Romanum diuidetur imperium, & quibus regnantibus venit Antichriſtus, deſolatam facient purpuratam meretricem: quomodo ergo erit eodem tempore ſedes Antichriſti?* Atqui animaduertendum tibi erat, reges illos qui *meretricem deſolatam facient*, priùs[l] *poteſtatem ſuam beſtiæ tradituros*, eidem ſcilicet, vt dictum eſt, purpuratæ meretrici; *id* enim *dediſſe Deum in corda illorum vt dent regnum ſuum beſtiæ donec conſummentur verba Dei.* Quibus impletis, & conſummato Dei iudicio quo ingratum orbem ob *non receptam veritatis dilectionem* flagellabit, reges illi, eodem inſtigante Deo, meretricem cui ſe ante ſubdiderant odio habebunt, & eam iam deſolatam igne cremabunt. Vna eſt ergo & eadem ſiue meretrix ſiue beſtia, cui primò poteſtatem ſuam daturi ſunt, & quam poſtea deſolatam igne cremabunt. Eſt autem Antichriſti principatus cui primò poteſtatem ſuam daturi ſunt: eſt ergo Antichriſti regnum quod poſtea ſubuertent. Roma eſt autem quam ſubuertent: Roma ergò regnum eſt & ſedes Antichriſti.

l Apoc.17.13.17.

8 Quòd ſi nondum iſta ſatisfaciant, aſſumo iterum quod inuitus fateri cogeris, Romam eſſe purpuratam meretricem, & fundamento tuo ſtructuræ tuæ ruinam ſuperſtruo. Ac primùm quidem illud patet, deſolationem meretricis quæ cap. 17. notatur, ſequenti capite latiſſimè deſcribi. Qui ergo meretricem deſolandã Romam intelligis, aut Ethnicam intelligas oportet, aut ſedem Antichriſti. Tu quidem Ethnicam illam ſemper inculcas: ſed quî id tandem hîc conſtare poterit? Nam iam olim Ethniciſmus Romæ diſparuit, & illa nunc ad Chriſtũ tota conuerſa Eccleſiæ nomine ſuperbiſſimè gloriatur. Et num Eccleſiæ tuæ propter veterem Ethniciſmum perditionem illam irrogandam arbitraris? aut propterea[m] *Apoſtolos & prophetas* de tanta Eccleſiæ vaſtitate *exultare* iuberi? An quia erat olim Roma Ethnica,

m Apoc.18.20.

nica, ideo qui gentilitate calcata Christianum nomen profitentur, diris illis vltionibus exponuntur, & Titij perfidiam Sempronius luit? Nunquam dixeris. Restat ergo vt alteram Romam intelligas sedem Antichristi. Neque enim aptabitur Ethnicismo olim abolito vox illa, qua Babylonis, hoc est, Romæ, vt tu ais, iam perdendæ commercium omne prohibetur: [n] *Exite de illa, populus meus, vt ne participes sitis delictorum eius, &c.* Nec illa qua populus dei ab illa Romana Babylone secretus iubetur [o] *reddere illi sicut reddidit ipsis, & duplicare ei duplum secundùm opera eius.* Vbi verò sequitur: [p] *flebunt & plangent se super illam reges terræ qui cum illa scortati & luxuriati sunt*; illam Romã notat cum qua fornicati sunt reges terræ ijdem ipsi qui ruinam eius deplorant. Notat ergò sedem Antichristi: Num tu enim existimas reges illos qui cum Roma Ethnica fornicati sunt resuscitandos esse, qui Romæ Christianæ acerbum exitum deplorent? Id si sit absurdum, vt est, haud aliam poterimus Romam perdendam intelligere quàm sedem Antichristi.

n Ver. 4.
o Ver. 6.
p Ver. 9.

9 Vnus tamen adhuc scrupulus superstes est, qui Templi Hierosolymitani restituendi suspicionem facit. *Antichristus erit Iudæus*, inquis, *& Iudæorum Messias & rex; ergo sine dubio sedem suam constituet in Hierusalem, & Templum* Solomonis *restituere aggredietur.* Propositionem explicas latiùs *Cap. de generatione Antichristi.* Ibi [q] *duo* tibi *certissima* sunt. *Vnum, Antichristum præcipuè propter Iudæos venturum, & ab eis tanquam Messiam recipiendum: alterum, ex gente Iudæorum nasciturum, &c.* Id verò vnde certissimum? Scilicet *ex Euangelio* Ioannis, *vbi Dominus dicit Iudæis*; [r] *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Atqui locum illum de Antichristo nihil euincere suprà docuimus, & tu te hominem ostendis malæ fidei, qui testes nonnisi mutos per ludibrium affers, nihil pro causa tua dicentes, nisi quod tu inuitos illos dicere compellis. Atque ita peccas in altero loco quem auxiliarem adducis *ex Apostolo, secundæ ad Thessal. secundo*; *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt vt salui fiant, ideò mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, &c. Res ipsa clamat*, inquis, *Apostolum loqui de Iudæis. Ipse enim dicit Antichristum mittendum ad eos qui Christum recipere noluerunt. Qui sunt autem qui magis* [...]*uerunt & noluerunt Christum recipere quàm Iudæi?* Immo [...]*llarmine*, res ipsa clamat, improbè à te peruerti locum Ap[...]toli, & ego te perfidiæ

q Cap. 12.
r Ioan. 5. 43.

fidiæ tuæ testem produco. Itaque locum velim primò integrum accipias. [s] *Cuius (Antichristi) aduentus est secundùm operationem Satanæ, in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt; eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur (scilicet* * *iudicio damnationis) omnes qui non crediderunt veritati, sed acquieuerunt in iniustitia.* Vbi animaduertendum tibi esset, perire illos & damnari quos ab Antichristo seducendos narrat Apostolus, & eò Deum illis vim illam immittere illusionis & imposturæ, vt damnentur. Tu verò Iudæos Antichristum tuum suscipientes affirmas [t] ab *Enocho* & *Elia* conuertendos, ac proinde nequaquam perituros. Quid ergò? Pereunt & damnantur de quibus loquitur Apostolus: Secundùm te Iudæi non pereunt, sed conuertuntur & saluantur. De Iudęis ergò Apostolus intelligi non potest. Manifesta res est. Nam horrendam Apostolus iram Dei denunciat exarsuram ad æternam perniciem eorum de quibus ait; *Mittet illis Deus efficaciam illusionis, &c.* At Iudæis, secundùm *Bellarminum*, Antichristi aduentus non iram damnationis, sed occasionem salutis afferet. Quare vt mille nobis interpretes adducas locum hunc de Iudæis exponentes, nihil effeceris, qui ipse dogmate tuo illorum omnium sententiam subuertis.

[s] 2. Thess. 2. 9.

* Tho. Aquin. in eundem locum.

[t] Cap. 6.

10 At, inquis, *qui sunt qui magis debuerunt & noluerunt Christum recipere, quàm Iudæi?* Æquè inquam, reliquus orbis dilectionem veritatis recipere debuit, & non recepit. Veritas quidem per orbem propagata est, & diuinissimis testimonijs atque argumentis comprobata: sed dilectio veritatis quàm citò refriguit? quantus quàm citò locus est habitus superstitionibus & malis moribus quibus eneruata est pietas, corrupta fides Christi, & religio maior humanis placitis quàm institutis Euangelicis attributa! Videns *Augustinus* afflictissimis temporibus suis quàm parum Deus apud ingratum mundum proficeret, [u] *Quid mirum,* inquit, *si Christianis temporibus mundus iste tanquam seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulat multis?* Erant qui tantorum malorum causam in Euangelij prædicationem & religionem Christianam conijcerent: ille verò in contemptu Euangelij & hominum improbitate constituens, [x] *Attendunt,* inquit, *quanta celeritate Euangelium prædicatur, sed non attendunt quanta peruersitate contemnitur.* Hac ratione via munita est apo-

[u] August. epist. 121.

[x] Ibid.